878

28/21

t

Buscæus
De Statibus
Hominum.
N. A. L. A.

DE
STATIBVS
HOMINVM

Liber Posthumus

R. P. IOANNIS BVSÆI
SOCIETATIS IESV
Theologi.

AD REVERENDISSIMVM
& Illustrissimum Principem ac Dominum
D. Theodorum Episcopum Padebornensem, S. R. I.
Principem, &c.



BIBLIOTHECA PROVINCIAE LVGDUNENSIS

LVGDVNI,
Apud Hæredes Gulielmi Rouillij,
SVB SCVTO VENETO.

M. D C. XIV.

D. Lucas Palacios

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. THEODORO, Episcopo Paderbornensi, S. R. Imperij Principi, Domino suo clementissimo

***

Collegium Moguntinum Societatis IESV.

LVCEM aspicit, Illustrissime Princeps, ac rogatu multorum prodit aliquando posthumus R. P. Ioannis Busæi Societatis nostræ Theologi, viri doctrina, pietate, morum suauitate, exquisitáque virtute commendatissimi fœtus. Liber, inquam, de variis *hominum statibus*, summis infimísque, vti speramus, vtilissimus: quippe in quo quisque, quid in vitæ suæ instituto prosequendum, fugiendúmve sit, perspicere manifestò queat. Tutorem ac patronum circumspicit, Te vnum R^me^ ac

Ill^me Princeps appellat. Tibi ſeſe plurimis nominibus debitum obſtrictúmque confitetur. Enimuerò ſuperſtes Auctor, quâ fuit in Cel^dm veſtram obſeruantiâ, hanc ei lucubrationem animo ac voluntate iampridem deſtinârat, vouerátque; ratus ſcilicet, (quod item cæteri iudicant) luculentum hîc exemplar proponi, in quo Cel^do veſtra Epiſcopi Principiſq; ſtatum ac partes contueri poſſit, cognoſceréque non quid facere debeat, ſed quàm rectè omnia faciat; cùm præſtet facto, quod hîc docetur verbo. Siue enim Religionem ſpectem, nunquam in Te, Princeps, reprehendet Auguſtinus Donatiſtarum illud: *Quid Imperatori cum Eccleſia?* (volebant ſceptro tantùm cum Religionis neglectu inuigilandum eſſe) Nam illam Tu egregio pietatis zelo in dies tutaris, ac latiſſimè propagas. Siue etiam Politicen conſiderem, ita eam ſapienter prouidéque moderaris, vt duo illa quæ in eximiis quibuſque Principib Traiani Cæſaris Reſpublica deſiderabat *ſanctitas domi, foris fortitudo, vtrobique prudentia*, in animo Tuo certare videantur. Siue denique ſingularem in ſubditos admirer beneuolentiam, qua eos non extorquen lis vectigalibus: ſed beneficiis onerandis

tandis prolixè hactenus prosequeris, admurmurãtes audio inquilinorum applausus; *Quos decet esse hominum tali sub Principe mores!* Ad summam, PRINCEPS;

Vox diuersa sonat: populorum est vox tamen vna,
Cùm verus PATRIÆ *diceris esse* PATER.

Certè quod ad Nos quidem attinet, benignissimum Te PATREM esse, docet admiranda illa prorsus in SOCIETATEM nostram Cel^dnis Tuæ munificentia: cui parum erat, singulari illam ac incredibili propemodum animi testificatione complecti, nisi & nouum Paderbornæ Collegium exædificaret, amplísque dotaret redditibus. Quid dicam? latiùs sese beneficentiæ tuæ termini diffuderunt, dum toti huic Prouinciæ nostræ alterum à Treuirensi Nouitiatum constituisti, ex quo non modò in vniuersam Tuam ditionem, verùm etiam in exteras nationes plurima commoda importares; & ex hac velut vmbratili Tyronum Christi palæstra, in solem, in puluerem, in apertam cum Orthodoxæ Ecclesiæ hostibus aciem (quos tu lupos ceu vigilantissimus Pastor ab ouili arces) exercitatum militem educere pos-

sis. Neque verò hîc modum tam illustri benignitati Tuæ aut finem ponis, sed plura Tecum animo agitans versansque, fructuosa quotidie largitione delectaris; & vt Salomone teste *gaudium est iusto, facere iudicium*; ita liberali Tibi, cumulare beneficium. Efficeres profectò, PRINCEPS, vt ingrati mereremur, si debitam gratiarum arcam à Simonide Tuo, hoc est, à Societate nostra deposcas. Nunc quoniam *gratia tanta referri non potest, quanta debetur, habenda*, auctore Tullio, *tanta est, quam maximam animus capere queat.* Accipe igitur R^me atque Ill^me Princeps opusculum hoc R. P. Ioannis Busæi Theologi nostri studio concinnatum, Tuóque nomini deuotum; quo Tibi veluti obside propensissimas omnium nostrûm voluntates totius Prouinciæ nomine æternùm dicat, consecrat, oppignerat Archiepiscopale Moguntinum Societatis IESV Collegium. Quas tot tantisque beneficiorum debitis obstrictas exsoluere nûquam posse, glorioſum nobis erit, si vel sola grati animi significatione *Principibus placuisse viris non vltima laus est.* DEVS OPT. MAX. R^mam atque Ill^mam Celſ^dm vestram Ecclesiæ suæ, ac Romano Imperio, nostræque

Socie

Soctieati quam diutissimè saluam sospitémque conseruet. Moguntiæ, die 10. Septembris, Anno Millesimo sexcentesimo decimo tertio.



REVERENDISSIMO ANTISTITI, ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, OPT. MAX. PATRONO suo Votis Emblematicis

***

Soſpitant, gratantur, æternant

PROVIDENTIA,

Patriæ Tutelam.

SI vigiles oculos rediuiuus cerneret ARGVS,
Integra queîs Patriæ, TE PATRE, *vita manet:*
Exclamaret; Ohe, iam vtramuis liber in aurem
Dormio; plus ARGO *nam* THEODORE *vides.*

FORTITVDO,

Animi vigorem.

GRandæuus nunquam LEO *conſopire vigorem*
Dicitur, aut canis degenerare iubis:
TE *curis, anniſque grauem dum viuida,* PRINCEPS,
Armat adhuc ætas, an pauet ipſe LEO?

LIBE

LIBERALITAS,

Beneficiorum largitatem.

VT nuſquam ſibi mellificent, monimenta laboris
Pernigil ARA *tamen luce perennat* APVM.
Mellea ſi neſcit benefacta rependere tellus,
Quam MONTIS *latices* PRINCIPIS *vſque rigant;*
En operam Cœlum ſpondet: modiône recondes,
Quæ ſuperi lychnis inſeruêre ſuis?

PIETAS,

Religionis zelum.

SPartea quos templo Chriſti pepulêre flagella,
Sub Tua iam reduces cogere lora potes?
Scilicet in Stygios quos Error verterat hœdos,
Nunc in oues abeunt, dum Tua flagra vigent.
Felices agri, quibus hæc progignere fas eſt
Licia, ramento nobiliora Midæ!

CHARITAS,

Animarum ſalutem.

QVis veſtris tantam vim FRONDIBVS *indidit auctor,*
Vt tacitâ profugas arte morentur oues?
Irriguæne tuis dulceſcunt, PADERA, *lymphis?*
PRINCIPIS *ánne Tui plùs valet amne manus?*

GLORIA,

Famam immortalem.

INuide, tantarum speras insignia laudum
Exanimi DOMINO *commoritura suo?*
Falleris: en fisso proserpens PALMA *sepulchro*
Sidera virtutum pondere nixa petet.
Non sinet arentes pallere COLONIA *ramos,*
Æternum rorem si PADIBORNA *neget.*
In cinerésne quẽat totus vanescere PHOENIX,
Cuius abit PROLES *tam generosa rogo?*

VNIVERSA,

Felicitatem perennem.

CÆtera virtutum forsan mirabere PRINCEPS,
Non expressa suis stare Trophæa notis.
Angustis sed enim dum incidere singula lamnis
Scalpra parant, refugæ diriguêre manus.
Si geminis iubeas inscribi cunctа columnis,
Eccubi iam reliquæ sunt monimenta DOMVS?
Quam tibi cælator si nunquam humanus adumbret,
In Cœlis olim dextera diu struet.

QVA

VETVS CAMOENA

QVA ILL^mo PRINCIPI THEODORO PRIMAM OLIMPADIBORNÆ MITRAM CONGRATVLATVS, nunc eandem libentem volentem iterato plectro salutat veteranus idem Musarum Sacerdos.

ECce Tibi, PRINCEPS, toties è deside prælo
MVSA verecundum iussa subire diem,
Triginta pluteo latuit proprè clausa Decembres,
Ex quo prima TVO luserat illa PEDO:
Nunc penè exanimem reuocas in luminis auras?
Quis Mecœnatem TE Maro non adamet?
Si desit plausus, sat erit TIBI Carmine nondum,
Quo juueni placuit, displicuisse seni.
Sed tersæ fors est aliquanto antiquius auri?
Quid mirum? veterem tangit arundo chelyn.

DEO,

DEO, PRINCIPI, PATRIÆ

A. M. D. LXXXV.

INclyta cum sacro gaude Padiborna Senatu,
Et præsens toto læta sit orbe dies.
Nobilis antiqua serie Theodorus auorum.
Præsulis officium spirituale tenet.
Cernitis armorum charta lûclenter in ista,
Quæ nouitas sceptri quæ sit imago noui?
Mitra decens habitum fibris distincta duabus,
Quid, nisi quod cleri sit caput ille, docet?
Iungitur effigies rubra crucis: ecquid in illa
Præter odoriferi signa cruoris habet?
Scilicet vt vigili Pastor tuearis amore,
Quas Christus lacera carne redemit oues.
Si lupus accedat prædæ præsentis auarus,
Ecce Pedum manibus pontificale tenes.
Percute, quid metuis? trabibus suffulta duabus
Vis tua, quid trabibus firmius esse potest?
In trabibus Christus sæuo tulit hoste triumphum,
Iunge trabes, Christi crux erit illa, duas.
Quid tibi Mecænas de talibus eloquar armis?
Vnde nouos titulos nomen & istud habes?
Scilicet à Christo tibi contigit illa potestas,
Qui regimen mundi solus & vnus habet.
Singula qui latum partitur regna per orbem,
Ille tibi partem præsul in orbe dedit.
Roma subest Xisto quinto de montibus altis;
Legitimum Dominum Te Padiborna vocat.

Qui

Qui fueras igitur, iam non eris amplius idem,
Mortales animos excute, Numen habes!
Ac velut in celsa DEVS *omnia sede gubernat,*
Sic tuus in celsa sit quoque parte thronus.
Altius à populo superis speculator in astris
Vt videas oculis subdita fige pedem.
Aut iuga præcipitis scandas sublimia montis,
Conueniens rectè sic tibi nomen erit.
Sic poteris meritò Princeps *à* monte *vocari,*
Nobile Fürstenbergk *qui modo nomen habes.*
Omnia per montem fieri iam posse videntur,
Quæ nostris animis vtiliora forent.
Annon Pontificem qui nunc est Xistus, ab alto
Monte etiam nomen constat habere suum?
Sunt tibi cum Xisto communia nomen & omen,
Montis vterque sacri Pastor vterque sacer.
Adde quod electi quoque tempore sitis eodem,
Vix absunt menses inter vtrumque duo.
Te Padiborna vocat, Xistum sibi Roma petiuit:
Ecce, quod augurium Præsul id esse putas?
Quæ nouitas isthæc? si facti causa petatur,
Coniunctis animis vos Deus esse cupit.
Iunctaque pro populi committere bella salute,
Et pro Catholica religione mori.
Viuite felices & ab Alto monte *vocati*
Iam sacri memores nominis este, precor.

ELEN

ELENCHVS CAPITVM HOC IN TRACTATV contentorum.

PARS. I.

De Abbatis ſtatu.

CAP. I. Quid nomine Abbatis intelligamus. fol. 1.
II. De conditionibus in Abbate eligendo requiſitis. 3.
III. De poteſtate & auctoritate Abbatis. 6.

De ſtatu Adoleſcentiæ.

CAP. I. De nomine Adoleſcentiæ, eiuſque proprietatibus illaudatis. fol. 13
II. De proprietatibus adoleſcentiæ laudatis. 13
III. De mediis ad adoleſcẽtiam rectè informandam opportunis. 22

De Ætatis humanæ ſtatu.

CAP. I. Ætatis humanæ quot ſint gradus. fol. 31
II. De ætatis generatim sũptæ proprietatibus. 32

De Aduocati ſtatu.

CAP. I. De nomine Aduocati, quibus conueniat. fol. 35
II. De proprietatibus Aduocati. 37

De Cardinalium ſtatu.

CAP. I. De nomine, titulis & numero Cardinalium. fol. 41
II. De dignitate ſtatus Cardinalium. 43
III. De officio Cardinalium. 47
IV. De virtutibus Cardinaliũ ex S. Bernardo. 51
V. De iiſdem magis ſpeciatim. 53.

Cleri

Clericorum ſtatus.

CAP. I. Quid nomine Clericorum intelligatur. 59
II. De honeſtate vitæ Clericorum, ac primum de Tonſura. 60
III. De Clericorum habitu. 62
IV. De Clericorum precibus & horis canonicis. 66.
V. De Clericorum pia conuerſatione. 70
VI. De Clericorum continentia. 73
VII. De Clericorũ immunitate & priuilegiis. 76
VIII. De quibuſdam officiis Clerico Eccleſiaſtico iure vetitis. 80

De Conſiliariorum ſtatu.

CAP. I. Quos nomine Conſiliariorum intelligamus, & de eorum dignitate. 87
II. De Conſiliariorum virtutibus. 89
III. De mediis, quibus eorum conſilia iuuari poſſint. 97

De Diaconorum ſtatu.

CAP. I. De nomine & officiis Diaconi. fol. 102
II. De proprietatib. & virtutibus Diaconorũ. 105
III. De ſtatu Subdiaconorum. 109
V. De ſtatu minorum ordinum quatuor. 110

Epiſcoporum ſtatus.

CAP. I. Quid nomine Epiſcopi intelligatur. fo. 114
II. De dignitate ſtatus Epiſcopalis. 116
II. De virtutibus in Epiſcopo requiſitis. 119
IV. De Epiſcoporum officio. 130
V. Quam arduum & periculoſum ſit Epiſcoporum munus. 140
VI. De Electione Epiſcoporum. 150

De Eremitarum ſtatu.

CAP. I. De ſignificatione vocis Eremitarũ. fol. 153
II. De Anachoretarum origine & vita. 154
III. De Eremiticæ vitæ excellentia. 157
IV. De

IV. De Eremitarum, Monachorum proprietatibus. 161
V. De vitæ Anachoreticæ commodis. 168

De gloriæ æternæ statu.

CAP. I. Quid nomine æternæ gloriæ intelligatur, & in quo consistat. fol. 175
II. Quod beatitudo formalis in vtraque actione intellectus & voluntatis nostræ consistat. 178
III. Æternæ gloriæ vel beatitudiuis statum, non esse in hac vita, sed in altera. 181
IV. De æternæ gloriæ vel beatitudinis proprietatibus generatim. 185
V. De proprietatibus beatorum speciatim. 189
VI. De Dotibus beatorum maximè quoad animam. 193
VII. De causis vel fontibus gaudij ineffabilis beatorum. 196
VIII. De dotibus beatorum, quoad corpus. 200
IX. De Aureolis beatorum. 203

De gratiæ diuinæ statu.

CAP. I. De nomenclatura, variisque partitionibus gloriæ. 204
II. De Excellentia gratiæ, maximè gratum facientis & habitualis. 207
III. De gratiæ necessitate & vtilitate. 211
IV. De gratiæ diuinæ proprietatibus. 215
V. Media ad gratiam comparandam, fouendam & ad augendam idonea. 220

De liberi arbitrij cooperatione cum gratia Dei.

CAP. I. De nomine & definitione liberi arbitrij. 222
II. A qua libertate arbitrium voluntatis appellatur liberum. 224

III. De

DE ABBATIS STATV.

CAPVT PRIMVM.

Quid nomine Abbatis intelligamus.

ABBAS, teste S. HIERONYMO in Commētariis epistolæ Pauli ad Galatas, Hebræo Syróque sermone significat Patrem. Quo primum vsus est Christus, dum in horto apud Marcum ita oraret: ABBA *pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me.* Deinde Apostolus ad Romanos, dum ait: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Et ad Galatas. *Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba pater.* Cur autem vterque latinam vocem Hebrææ coniunxerit, causam reddit HIERON. loco citato. *quia hanc,* inquit, *consuetudinem in pluribus locis Scriptura conseruat, vt Hebraicum verbum cum sua interpretatione ponat. Bartimæus, filius Timæi. Aser, diuitiæ. Tabita dorcas. Et in Genesi, Mesech, vernaculus. & cætera his similia.* Aliā reddit S. AVGVSTINVS libro 3. de consensu Euangelistarum, & alibi. *Quod autem,* ait, *Marcus ipse non solum pater, sed Abba pater eum dixisse commemorat, hoc est Abba Hebraicè, quod est Latinè pater. Et fortasse Dominus propter aliquod sacramentū vtrūque dixerit, volens ostendere illam se tristitiam in perso-*

Marc. 14. 36.
Ro. 8. 15.
Gal. 4. 5.
H. li. 2. c. 4.
A. c. 4. & de ver. Apost. serm. 14. Et in psal. 78.

na sui corporis, id est, Ecclesiæ susceпisse, cui factus est angularis lapis venientibus ad eũ, partim ex Hebræis, ad quos pertinet, quod ait, Abba: partim ex gentibus, ad quas pertinet, quod ait, Pater. Etiam Paulus Apostolus non prætermittens hoc sacramentum: In quo clamamus, inquit, *Abba pater. Oportuit enim vt bonus magister & verus Saluator inferioribus compatiens in seipso demonstraret, nõ debere suos martyres desperare, si qua fortè cordibus eorum irreperet sub tempus passionis ex humana fragilitate tristitia: cum eam vincerent voluntati suæ præponendo voluntatem Dei, quia ille scit, quid expediat, quibus consuluit.* Et paulo post: *Hoc est enim pater, quod Abba pater, sed ad sacramentum intimandum, planius est, Abba pater: ad vnitatem significandam sufficit, Pater. Et Dominum quidem Abba pater dixisse credendum est, sed tamen non eluceret sententia, nisi alijs* (Euangelistis) *dicentibus tantum, Pater, demonstraretur, sic esse illas duas Ecclesias ex Iudæis & Græcis, vt etiam vna sit.*

Hoc verò Abbatis nomen efflorescente post S. Antonivm monachorum instituto tribui cœpit summis Monasteriorum Præfectis, vt hac nomenclatura admonerentur in gubernandis fratribus non se Dominos præstare, sed Patres, quali Abbas haberi voluit Corinthiis Apostolus, cum scriberet; *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres.* Et habitus fuit à Timotheo, de quo in epistola ad Philippenses; *Experimentum*, inquit, *eius cognoscite, quia sicut Patri filius, mecum seruiuit in Euangelio.*

1.Cor.4. 15.

Phil. 2 22.

Matth.23. 9. H.in epist. ad Gal.

Quod autẽ Dominus noster præcipit in Euãgelio, nullum Patrem vocandum nisi Deum, quo dicto permotus S. Hieronymvs in cõmentariis

tariis ante allegatis, scripsit; *Nescio qua licentia in monasterijs vel vocemus hoc nomine (*Abbatis*) alios, vel vocari nos acquiescamus.* respondeat ipse Hiero- H.ad c.23.
nymus. Nam libro 4. commentariorum in Matthæum exponens verba Christi, *Nec magister,* inquit, *nec pater vocandus est alius, nisi* DEVS *Pater, & Dominus noster* IESVS *Christus. Pater, quia ex* 1.Tim.2.
ipso sunt omnia: Magister, quia per ipsum omnia. Quæritur, quare aduersum hoc præceptum doctorem gẽtium Apostolus se esse dixerit: aut quomodo vulgato sermone maxime in Palæstina & Ægypti monasterijs se inuicem Patres vocent: Quod sic soluitur; Aliud esse natura Patrem, vel Magistrum, aliud indulgentia. Nos si hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non auctorem nostræ ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri. Et ne infinita replicem: quomodo vnus per naturam DEVS, *& vnus filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem* DEI *vocentur & filij: ita & vnus pater & magister non præiudicat alijs, vt abusiuè appellentur Patres & magistri.* Nos hoc loco agimus de Abbate, vt est religionũ monasticarũ Pater, vel summus Præfectus, & prout in Ecclesiasticis canonibus vsurpatur.

CAPVT II.

De Conditionibus in Abbate eligendo requisitis.

PRIMA conditio est, vt in ordine suo sit Professus, non tyro vel nouitius. Ita habet Decretalis BONIFACII VIII. in sexto. *Nullus,* in- De elect.
quit, *religiosus ad Abbatiam, seu Prælaturam suæ vel* c.nullus.
alterius religionis de cætero eligatur, nisi antea fuerit ordinem regularem expresse professus. Quod si secus

actum fuerit, eo ipso irritum habeatur. Potest tamen aliquando Abbatia regularis non professo in Commendam dari, vt dici solet, vel in administrationem perpetuam, vt etiam commendari solet Cardinalibus aliisque primariis Ecclesiæ clericis.

D. c. 1. de æt. & qual. ordin.

II. Est, vt sacerdos fiat, si non sit, secus amittat honorem, vt ex Synodo Pictauensi in Decretalib sancitum est. Potest tamen administratio Abbatiæ committi non sacerdoti.

III. Vt vigesimumquintum ætatis annum attigerit. In Synodo enim Lateranensi sub Alexandro III. hoc decretū exstat, quod habetur in Decretalibus. *Decanatum, Archidiaconatum & alia quæ animarum curam habent annexam nullus omnino suscipiat, sed nec Parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui iam vigesimum quintum annū ætatis attigerit, & scientia & moribus commendandus existat.* Cōstat autem Abbatibus curam animarum commissam.

c. cum in cunctis.

IV. Vt à monasterio, cui præficiendus est, eligatur. Nam S. GREGORIVS Magnus ita scribit ad Castorium Ariminensem Episcopum. *Fraternitatem tuam hortamur, vt obeunte Abbate Monasterij* (Ariminensis) *Ecclesia tua in describendis providendisq́, acquisitis, acquirendisve eiusdem monasterij rebus nulla se occasione permisceat. Abbatem verò eidem monasterio non alium, sed quem dignum moribus atque actibus disciplinæ monasticæ communi consensu cōgregatio tota poposcerit, te volumus ordinare.* Quod si nullus ad præfecturam gerendam idoneus fuerit in eodem monasterio, poterit eligi ex alio, vt idem GREGORIVS monuit in epist. ad Marinianum Episcopum. Posse autem eligi Eremitam statutū est à Cœlestino III. Pontifice, cuius verba exstant

G. lib. 4 ep. 43. Gr. 18. q. 2. c. abbas. & c. abbatē.

c. quā sit. 18. q. 2.

Gr. lib. 7. epist. 18.

exstant in Decretalibus titulo de Electione, si idoneus fuerit. c. cum monasteriū.

V. Vt vni tantum monasterio præficiatur, non pluribus. Sic enim decretum est in Concilio Lateranensi Oecumenico sub Innocentio III. *Illud enim*, inquit, *etiam prohibemus, ne quis in diuersis monasterijs locum monachi habere præsumat, nec vnus Abbas pluribus monasterijs præsidere.* Potest tamen aliquando pluribus præsidere, vt declarauit BONIFACIVS VIII. vt habetur in sexto Decretalium titulo de Præbend. *quando vnum ex alio dependet, vel adinuicem sunt annexa.* Et nunc videmus eorundem Pontificum beneficio aliquos monasticos Ordines, vni generali Abbati, siue Priori, siue Præsidenti, siue Visitatori tanquam capiti obedire, sub quo nempe sint inferiores aliorum monasteriorum Abbates aut Priores, vti sunt Cistertienses, Carthusienses, & qui à monte Oliueto nomen habent. C. Lat. c. 3. c. ne nimia. de relig. dom. c. cum singula.

VI. Vt postquam electus est confirmetur, & quidem, si exemptus sit confirmari debet Romani Pōtificis auctoritate generali, vel peculiari, vel certè Legati à latere, si vllus sit in prouincia. Nam eiusdem BONIFACII VIII. in sexto decretalium sanctio hæc est. *Si Abbatem Ecclesiæ Romanæ immediatè subiectum in vestrum Episcopum elegistis, reprehendi exinde nulla ratione potestis: ei tamen ab alio, quam à nobis vel Apostolicæ Sedis Legato, si sit in prouincia de latere nostro missus: dari nō potest licentia suum deserendi monasterium, & ad vestram Ecclesiam transeundi.* Quod si non fuerit exemptus, Episcopi auctoritate cōfirmari debet, vt notauit Panormitanus & alij Iureconsulti in c. cum monasterium, c. si Abbatem.

de Electione in sexto.

VII. Vt post confirmationem, ab Episcopo consecretur, vel potius benedicatur, si vsus ita obtinuerit, vt VRBANVS Papa insinuat apud Gratianum, dum ait, *Abbatem secundum Ecclesiæ suæ vsum consecrandum.* Dixi autem potius benedici, quia vt interpres loco citato bene annotauit, *Abbas non consecratur, nisi cum ordinatur in sacerdotem*, & sacro chrismate inungitur. Eius autem benedictio in VII. Synodo capit. 14. appellatur manus impositio. Nam tunc benedicit Abbatem Episcopus, cum manu super eius caput imposita certam precum formulam recitat. Vnde S. AVGVSTINVS libro tertio de baptismo contra Donatistas: *Manus impositio, non sicut baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* QVÆRES, quibus diebus benedici debeat? Respondeo ex communi Doctorum sententia, posse non solùm Dominico & Festo, sed etiam quouis feriato, in quo minores ordines conferri queunt. Neque enim tanta est Abbatis benedictio, quanta Episcopi consecratio, nec est maior, quam Ecclesiæ vel altaris, quæ tamen iure communi extra Dominicum Diem institui potest, teste Gratiano, de Consecratione Ecclesiæ vel altaris.

ca. alienationes. 12. q. 2.

ca quoniã. dist. 69.

A.c. 16.

c. tua fraternitas.

CAPVT III.

De potestate & auctoritate Abbatis.

QVONIAM geminam possumus in Abbate considerare potestatem, alteram iurisdictionis, qua opus habet in gubernãdis subditis, altera

teram Ordinis, qua habet potestatem suis fratribus minores ordines conferendi, consecrandi vasa, aut vestes, & populum solemni ritu benedicendi: tradunt Doctores priorem potestatem Abbati conferri per confirmationem, posteriorem verò per benedictionem. Itaque quando vsus obtinuit vt benedicatur, non posset ante benedictionem perceptam iure potestatē Ordinis exercere. Quod si autem Episcopus nollet eum benedicere post vnam alterámve petitionem Episcopo humiliter factam, posset potestate illa vti, quēadmodum ALEXANDER III. concessit Cisterca. statuimus. tiensibus, vt habetur in Decretalib. titulo de supplenda negligentia Prælatorum.

PRIMO ergo potest ABBAS iuxta alteram dictarum potestatum, vel vtramque solemnem benedictionē populo impertiri in Ecclesiis ad ipsum pleno iure pertinentibus post peractum Missæ sacrificium, aut post matutinas vel vespertinas preces decantatas, non autem alibi publicè, hoc est, per vias, oppida, vel pagos. Ita statuit ALEXANDER IV. vt refertur in sexto Decre- c. Abbates. talium titulo de Priuilegiis. Eæ autem Ecclesiæ pleno iure dicuntur subiectæ, quæ æquè quoad spiritualium ac temporalium rerum administrationem sunt in potestate monachorum, vt exponit vetus Interpres.

II. Potest primam tonsuram, vt ibidem con- ca. quoniã. cedit ALEXANDER, & minores ordines con- d. 69. ferre, vt decretum est in VII. Syn. generali cap. 14. & INNOCENTIVS III. respondit Rotoma- c. cum cõ gensi Archiepiscopo, vt est in Decretalibus titulo tigat. de ætate & qualitate ordinandorum. Concilium

Trid.c.10. verò TRIDENTINVM sessione 23. de Reformatione sanciuit, *Abbatibus ac aliis quibuscunque exemptis nõ licere in posterum intra fines alicuius diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre.* Deinde addit: *NEC ipsi Abbates, & alij exempti literas dimissorias aliquibus clericis secularibus, vt ab aliis ordinentur, concedant, sed horum omnium ordinatio, seruatis omnibus huius sanctæ Synodi decretis, ad Episcopos, intra quorum diœcesis fines existunt, pertineat.*

CARDINALIVM autem eiusdem Concil. Trident. interpretũ Declaratio habet, vt Abbates Regulares habentes ex Priuilegio facultatem deferendi Episcopi insignia, videlicet baculum pastoralem, annulum & mithram, si sacerdotes sint, & munus benedictionis susceperint, conferre queant tonsuram, & minores Ordines laicis, & secularibus hominibus Episcopi Iurisdictioni subiectis, si ipsius Episcopi consensus accesserit, & ab eo dimissorias literas acceperint: ita tamen vt satis non sit id generatim Episcopum cõcessisse, sed speciatim singulis. Possunt etiam iidem Abbates iuxta eandem Declarationem Ordines conferre aliis Regularibus, qui dimissorias literas speciales suorum superiorum, nec non specialem assensum habuerint Episcopi illius loci, in quo huiusmodi Ordines suscipiendi sunt. Tuta item conscientia supradicti Abbates possunt cõferre prædictos Ordines secularibus aliorum Episcoporum iurisdictioni subiectis, dummodo acceperint suorum ordinariorum speciales literas dimissorias, & consensus adfuerit Episcopi illius loci, vbi ordines

ſuſcipiuntur.

III. Poteſt Abbas monachos abſoluere ab omnibus peccatis & cenſuris, niſi alteri ipſo iure reſeruentur, vt tradit SYLVESTER in Summa. Atque in eoſdem ferre excommunicationis & ſuſpenſionis ſententiam, etamſi confirmatus tantùm, & non benedictus fuerit, vt colligit idem ex reſponſo INNOCENTII III. ad Abbatem Gemblacenſem, quod relatum eſt in Decretales, titulo de Simonia: & ex reſponſo ALEXANDRI III. ad Forentinum Epiſcopum, quod ibidem extat titulo de officio Iudicis Ordinarij. Immò & ABBATISSA poteſt moniales ſuas, & clericos ſuæ Iuriſdictioni ſubiectos propter inobediẽtias & culpas eorum officio beneficioque ſuſpendere, non tamen excommunicare, vt declarauit HONORIVS III. ad Abbatem S. Michaelis, vt ibidẽ refertur titulo de Maioritate & obedientia.

S. v. Abbas. q. 2.

cap. ſicut tuis.

c. cum ab Eccleſiarum.

IV. Poteſt Monachos à votis ante ingreſſum in monaſterium factis ſoluere: intra monaſterium verò facta iure poteſt vel commutare vel irrita reddere. Sunt autem 4. genera eorum quæ à religioſo voueri poſſunt. Primo, quæ in Regula monaſtica continentur. 2. quæ in diuinis Legibus. v. & noui teſtamenti. 3. quæ adiaphora ſunt, vt ieiunare vel orare amplius, quam regula vel lex diuina poſtulet. 4. quæ ſuperant regulam, vt quæ ſunt perfectiora, quam in Ordine ſeruari poſſint, vt eſt tranſitus ad altiorem religionem. In his omnibus poteſt ABBAS vota religioſi commutare, vel irritare ſecundum ſententiam S. THOME in ſecũda Theologicæ ſummæ parte, cui accedit NAVARRVS in Manuali, & noſter AZOR

Th. q. 88. a. 8. Nau. c. 12. nu. 69.

institutionũ moralium lib. XII. cap. 20. Cum enim Religiosus ratione voti obedientiæ voluntatẽ iudiciumque suum abneget, iuxta illud: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, & subiiciat suo superiori, nihil quoque potest promittere citra consensum superioris. Vnde in Decreto ex S. BASILIO hæc recitatur sententia. *Monacho non licet votum vouere sine consensu Abbatis sui: si autem vouerit, frangendum erit.* quæ sumpta videtur ex sermone 2. de institutione Monachorum, & cap. 28. monasticarum Constitutionum.

Matth. 16. 24.

c. monacho. 20. q. 4.

V. Potest facultatem Monacho suo dare, si iusta & legitima causa suppetat, vt in cella separata seorsum ab aliis monachis viuat. Sunt enim in eodem Decreto hæc Synodi Agathensis verba: *Seruandum quoque de monachis, ne eis ad solitarias cellulas liceat à cõgregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem asperior Abbatis licentia Regula remittatur. Quod ita demum fiat, vt intra eadem monasterij septa manentes, tamen sub Abbatis potestate separatas habere cellulas permittantur.*

c. monachum. 20. q. 4.

VI. Potest monachum incorrigibilem & contumacem eiicere. Decernit enim Regula S. AVGVSTINI; *si quis emendatoriam vindictam subire recusauerit, de vestra Societate proijciatur. Non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* Et S. BENEDICTI Regula manifestè præscribit, Monachum qui sæpe admonitus sese non emendauerit, ferro abscissionis eiiciendum, ne vna ouis morbida totum gregem contaminet. Idem docuit S. THOM. Aquinas quodlibeto 12. quæstione vltima, eo quod secundum

cundum Apostolum, malum sit auferendum, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Et S. BONAVENTVRA in opusculo defensorio Regulæ S. Francisci cap. 14. Humbertus item in Regulam sancti Augustini cap. 99. & Turrecremata in expositione Regulæ S. Benedicti tractatu 88. NEQVE obstat GREGORII IX. Constitutio in Decretalibus, quæ postrema est in titulo de Regularibus, in qua præcipitur monasteriorum Præpositis, vt fugitiuos & eiectos suos perquirant & reuocent, atque eos corrigant. Ea enim intelliguntur ij qui citra iustam causam eiecti sunt, & incorrigibiles non exstiterunt. Vel si incorrigibiles intelligantur, NAVARRVS in Commentario 2. de Regularibus, ait esse quidem fugitiuos reuocandos, licet inuitos; eiectos verò, non nisi volentes redire: Alij vero respondent constitutionem illam, cum sit iuris humani, consuetudine abrogatam, eo quod Religionum Præfecti eiectos suos non amplius quotannis perquirant, vel reducant.

1. Cor. 5. 13.

c. ne religiosi.

Nauar. nu. 36.

VII. Potest Monachum suum cum Episcopi auctoritate, ac populi cõsensu Ecclesiæ Parochiali præficere, quod in Cõcilio Ilerdensi cap. 3. & Tarraconensi cap. 11. statutum est, quorum verba recitantur in Decreto Gratiani causa XVI. potest etiam in ieiuniis, abstinentiis, vsu carnium aliorúmque ciborum, silentio, & operibus manuum, quæ omnia ex Regulæ præscripto Monachi seruare debent, Abbas Regulam remittere atque laxare, immò generaliter in omnibus ad Regulam spectantibus, præterquam in iis quæ ad trium votorum obseruationem, & habitum, & Religionis substan

c. cum pro vtilitate. c. monachi.

substantiam pertinent, vt tradit P. Ioannes Azorius loco citato, quæst. 16.

VIII. Potest vti quibusdam Episcoporum insignibus, vt baculo pastorali, mithra, annulo & scandaliis, & omnia quæ ad potestatẽ Iurisdictionis Episcopalis, ac quædam etiam Ordinis (vt Minores ordines cum tonsura conferre, calices quoque & sacra vasa vestesque consecrare) sine reprehensione vsurpare, quam auctoritatem Abbates quidam compararunt partim consuetudine, vt docent Doctores, partim Romanorum Pontificum, ipsiusque iuris communis concessu, siue permissu. De insignibus Episcoporum certe ex-
ea. vt apostolicæ. stat Priuilegium CLEMENTIS IV. Papæ in sexto Decretalium, titulo de Priuilegiis. Quam-
B. ep. 42. uis olim S. BERNARDVS in exitu epistolæ ad Henricum Senonem Archiepiscopum, in Abbates, qui insignia Episcopalia vsurparent, grauiter
P. ep. 90. sit inuectus, & grauius PETRVS Blesensis in epistola ad Gulielmum Abbatem fratrem suum.

VIDE Plura, Titulis, *De Statu Monachorum & Prælatorum.*

DE

DE STATV ADOLESCENTIÆ.

CAPVT I.

De nomine adoleſcentiæ, eiuſq; proprietatibus illaudatis.

ADOLESCENTIA nomenclaturã ſuam habet à voce adoleſcendi, id eſt, creſcendi, & inter hominis ætates tertium obtinet gradum: ſi primus ſit infantiæ, & ſecundus pueritiæ. Incipit autem ab anno ætatis decimoquinto, & pertinet ad trigeſimum, quo Iuuentus, vel Virilis ætas initium ſumit, teſte S. AVGVSTINO libro 22. de Ciuitate Dei. S. GREGORIVS homil. 2. in Ezechielem, & in tertia parte Paſtoralis, annotauit aliquando in Scripturis adoleſcentiam & iuuentutem pro eodem gradu ætatis vſurpari. *Hinc*, inquit, *per Paulum diſcipulo dicitur. Præcipe hæc & doce. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. Sciendum namq; nobis eſt, quia in ſacro eloquio aliquando adoleſcentia iuuentus vocatur. Quod citius oſtenditur, ſi Salomonis ad medium verba proferantur, qui ait, Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. Si enim vtraque vnum eſſe non decerneret, quem monebat in adoleſcentia, iuuenem non vocaret.* Et nos promiſcuè vtraq; voce pro eadem vtimur, cum Scripturis & Patribus.

Aug. c. 15. G. admon. 26.

1. Tim. 4. 11.

Eccl. 11. 9.

QVOD ad proprietates attinet adoleſcentiæ, illæ vel illaudatæ ſunt & vitioſæ, vel laudatæ; & & virtuti conſentaneæ. De illaudatis primo dicamus, *Senſus enim*, ait in Geneſi DEVS, *& cogitatio*

Gen. 8. 21.

tatio humani cordis in malum prona sunt ab adoleſcen-
B. in ca. 3. Iſa. *tia ſua.* Eas S. BASIL. licet non omnes, in vnum quaſi cumulum coniecit his verbis: *Eſt adoleſcentia perquam leuis, & ad flagitia quæq; apprime mobilis, ceu ſunt indomitæ & effrenes concupiſcentiæ, beluinæ & immanes iræ, linguæ incontinentia, contumeliæ, arrogantia, faſtus ex animi elatione, reliquæ item affectiones iuuentuti vernaculæ & coalumnæ, inuidiæ ob exuperantem alterius eminentiam, ſuſpiciones propter contractam familiaritatem. Examina enim innumerabilium vitiorum ſe agglomerant & adiungunt iuuentuti.* Breuius HORATIVS libro de arte Poetica eas perſtrinxit:

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq;, & amata relinquere pernix.

B. hom. 3. VERVM nos ſpeciatim præcipuas perſequemur. PRIMA ſit leuitas & inconſtantia, quam S. BASILIVS primo loco notauit, & alibi de ea in verba Moyſis; *Attende tibi ipſi*, ita ſcripſit; *Attende tibi ipſi, præſenti conſilio præditus, tenax ſis præſentium, futuri prouidus: at neque eorum, quæ non ſunt, nec futura forſan ſunt, quaſi in manib. ſint, horum certo promittas tibi fruitionem. Hæc enim animi ægritudo ſolet adoleſcentibus natura irrepere, vt per mētis leuitatem ſe iam tenere putent, quæ vel ſpe ſola præſumpſerunt: Hi enim ſi quando otium nanciſcuntur, vel ſolitudinis, vel quietis nocturnæ, imaginationes cōminiſcuntur rerum, quæ nuſquam ſunt, abeunt in omnia præcipites, & di-*
Prou. 30. 18. *uagantur per facilem mentis inconſtantiam.* Ob hanc inconſtantiam ſapiētiſſimus mortalium dixit; *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper terram, viam nauis*

uis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia. In quæ verba S. HIERONYMVS. *Quãtum ad hiſtoriam, ita eſt, vt ſcriptum eſt. Sicut enim illa tam callida ſunt, vt inueniri nequeant: Sic adoleſcens, qui viam veritatis deſerit, difficile eſt cogitatu, quo ſe per omnes horas, & in quot cogitamenta vecors vaga mente declinet.* H. libr. 3. commen.

II. *Proprietas* eſt, propenſio ad libidinẽ. Vnde SALOMON in Prouerbiis de iuuene verborum blanditiis à meretrice ſeducto ita loquitur. *Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans, quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta iecur eius, velut ſi auis feſtinet ad laqueum.* Et CHRISTVS Dominus in parabola de filio prodigo, docet ex duobus filiis adoleſcentiorem fuiſſe, qui à fratre accuſatus eſt, quod *ſubſtantiam ſuam deuorarit cum meretricib.* S. HIERON. in epiſt. ad Chromat. *Scitis ipſi,* inquit, *lubricum adoleſcentiæ iter, in quo & ego lapſus ſum, & vos non ſine timore tranſiſtis.* Et ad Euſtochium de Virginitate; *Vinum & adoleſcentia duplex eſt incendium voluptatis; quid oleum flammæ adiicimus? quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus?* Qua de cauſa S. AVGVSTINVS in ſermone quodam de verbis Domini, docet iuuenum acrius eſſe certamen contra libidinem, quam ſenum. *Quamdiu,* ait, *hic viuitur, fratres, ſic eſt, ſicut & nos, qui ſenuimus in iſta malitia, minores quidem hoſtes habemus, ſed tamen habemus. Fatigati ſunt quodammodo hoſtes noſtri iam etiam per ætatem, ſed tamen etiam fatigati nõ ceſſant qualibuſcunq; motibus infeſtare ſenectutis quietem. Acrior pugna iuuenũ eſt. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Cum quo cõuenit quod M. TVLLIVS in perſona

Prou. 7. 22.

Luc. 15. 30.

H. ep. 43.

Idẽ ep. 22.

A. ſerm. 43.

Gal. 5. 17.

persona Catonis perhibet *petulantiam & libidinem magis esse adolescentium, quam senum, nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum.*

III. *Proprietas* est, plus æquo sectari voluptates huius seculi, conuiuia, ludos & recreationes alias, vnde Ecclesiastes, *Lætare*, inquit, *iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & intuitu oculorum tuorum.* sunt enim hæc verba ironice, teste S. Gregorio Thaumaturgo, & aliis, exponenda, quasi Sapiens manu iniecta reuocare velit à voluptatibus, nam mox subiicit, *& scito, quod pro omnibus his adducet te* DEVS *in iudicium.* Et addit, *Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua: adolescentia enim & voluptas vanæ sunt.* Hanc proprietatem notauit in adolescentia CICERO; nam perorans in Vatinium, *Voluptate*, inquit, *& delicijs facile iuuentus intercipitur*, verum in hoc reprehẽsione dignus, quod in oratione pro M. Cælio, fræna in adolescentibus plus æquo laxet, non modo ad ludos, sed etiam ad libidines, *Detur*, inquiens, *aliquid ætati, sit adolescentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur, non semper superet vera illa & directa RATIO, vincat aliquando cupiditas, voluptasq; rationem, dummodo illa in hoc genere præscriptio moderatioq; teneatur, parcat iuuentus pudicitiæ suæ, ne spoliet alienam, ne probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferat, postremo cum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atque inanes hasce adolescentiæ cupiditates, reuocet se aliquando ad curam rei domesticæ, &c.*

Eandẽ notauit & HORATIVS in arte Poëtica canens.

Eccl. 11. 9.

Imber

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusq́, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, &c.

IV. Est, quod sint imprudentes: nam affectibus potius, quam ratione in actionibus suis ducuntur. *Iuuenile vitium* est, ait SENECA in Troade, *regere non posse impetum.* Qua de causa Salomon parabolas suas his verbis inchoauit. *Parabolæ Salomonis, ad sciendum sapientiam & disciplinam, vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia & intellectus.* Et Ecclesiasticus sic alloquitur adolescentem. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.* S. GREGORIVS Neocæsarienſis in commentario Ecclesiastæ. *Iuuentutis*, ait, *assecla est stultitia, stultitia autem ad exitium ducit.* S. HIERON. in eundem. *Relinque antiqua vitia, quibus in adolescentia tua vanitati, stultitiæq́, seruisti. quia iuuentus insipientiæ copulata est.* & M. TVLLIVS in primo de Officiis ait, *ineunte adolescentia, maximam nobis inesse imbecillitatem consilij.*

Prou.1.2.
Eccl.32.
Greg.c.11.
Hier.c.11.

V. Et extrema sit, quòd pluribus tentationibus sint obnoxij, quàm senes, & alij in allis in ætatum gradibus. Hanc tradit S. AVGVSTINVS in sermonibus de Tempore. *Si ergo*, inquit, *puerilis & senilis ætas non est à tentationibus libera, quarum altera, id est, puerilis nondum bene ingreditur, altera iam egreditur istam vitam, & altera paulo ante non erat, altera paulo post non erit, quid sentiendum est de flagrantia iuuenilis ætatis, quæ vtriusque in medio constituta, & ab infirmitate pueritiæ iam recessit, & nondum ad torporem senectutis accessit. Hæc pluribus atque maioribus tentationum tempestatibus quatitur; Hæc fluctuum crebriore impetu sæculi inundatis operitur. Præsumit viribus,*

A. Serm. 246.
Superbia.

formæ dignitate iactatur, pompa rerum temporalium præfulgere, aut exoptat, aut gaudet. Eodem pertinet
Hier.ep.2. quod S. HIERONYMVS ad Nepotianum, de vita clericorum scribit, *quod adolescentia multa corporis bella sustineat, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes quasi ignis in lignis viridibus suffocetur, vt suum non possit explicare fulgorem.*

CAPVT II.

De proprietatibus adolescentiæ laudatis.

INTER laudatas adolescentum virtutes, vel proprietates primum merito locum vendicat vere-
Amb.c.17. cundia, *quæ cum sit*, inquit S. AMBROSIVS libro de Officiis primo, *omnibus ætatibus, personis, temporibus & locis apta; tamen adolescentes, iuuenilésque animos maxime decet.*
Id. cap.17. Et iterum, *vt in senibus grauitas, in iuuenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia velut quadam dote commendatur natura.* Exemplum
G.39.15. habemus in adolescente Ioseph, *cuius tanta*, inquit idem, *verecundia fuit, vt comprehensus à muliere, vestem in manibus eius fugiens mallet relinquere, quàm*
Ber. serm. 48. *verecundiam deponere.* Et S. BERNARDVS scribens in Cantica. *Quid*, ait, *amabilius verecundo adolescente? quam præclara hæc & quam splendida gemma morum in vita & vultu adolescentis, quam vera & minime dubia nuntia spei, bonæ indolis index. Virga disciplinæ est illi, qui pudendis affectibus imminens lubricæ ætatis motus, actúsque leues coërceat, cõprimat insolentes,* &c. *Famæ custos, vitæ decus, Virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus & insigne totius honestatis. Rubor ipse genarum, quem forte inuexerit pudor, quantũ gratiæ & decoris suffuso vultui afferre solet?* PLAVTI quoq; dictũ est in Asinaria. *Adolescentẽ verecundũ esse decet.*

II. Vir

II. Virtus est Pudicitia. *Est bonorum adolescentum*, ait AMBROSIVS libro supra citato, *timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reuerentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem. Ioseph*, addit, *cum somniasset, quod Sol & luna & stellæ adorarint eum, sedulum tamen obsequium deferebat patri: castus ita vt ne sermonem quidem audire vellet nisi pudicum.* S. HIERONYMVS in epistolam Pauli ad Titum, *proprium*, inquit, *adolescentulorum hoc posuit, vt pudici sint in omnibus* (nos legimus vt sobrij sint) *tam scilicet mente quam corpore, tam opere, quam cogitatione, vt nulla sit in adolescente suspicio turpitudinis.* Et in epistola ad Saluinam, de Viduitate seruanda ab hac virtute vehementer laudat nobilissimum adolescentem Nebridium. *Mirum*, inquiens, *dictu est, nutritus in palatio, contubernalis & condiscipulus Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, & terræ ac maria seruiunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore tantæ verecundiæ fuit, vt virginalem pudorem vinceret, & ne leuem quidem obscœni rumoris in se fabulam daret.* S. BERNARD. verò loco allegato negat pudicitiam à verecundia posse separari. *Quid ita turpiloquij fugitans*, ait, *ac verecundia? Soror continentiæ est, Lampas est pudicæ mentis iugiter lucens, vt nil in ea turpe, vel indecorum residere attentet, quod non illi illico prodat. Ita expugnatrix malorum, & propugnatrix puritatis innata, specialis gloria conscientiæ.* Agnouerunt & Ethnici hanc virtutem maximè necessariam adolescenti. Nam CICERO in oratione ad senatum habita post reditum ab exilio. *Quis vllam vllius*, inquit, *boni spem habebit in eo, cuius primum tempus ætatis palam fuerit ad omnes libidines*

Amb. l. 1. c. 17.

Gen. 37. 9.

Tit. 2. 6.

Hier. ep. 9.

diuulgatum. Et libro de Senectute. *Libidinosa & intemperans adolescentia effætum corpus tradit senectuti.* Et primò de officiis. *Maximè hæc ætas à libidinibus arcenda est, exercendáque in labore, patientiáque, & animi & corporis.*

III. Virtus est, obsequium & reuerentia erga parentes, seniores & quosuis maiores. Vnde Apostolus Petrus in priore epistola. *Adolescentes subditi estote senioribus.* Et Ecclesiasticus. *Adolescens, in medio magnatorum loqui non præsumas, & vbi sunt senes, non multum loquaris, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Et B. Paulus ad Colossenses. *Filij obedite parentibus per omnia.* S. CYPRIANVS, vel quisquis auctor est, libro de 12. abusionibus sæculi. *Tertius*, inquit, *abusionis gradus est, si adolescens sine obedientia deprehenditur, quo mundus à recto rationis ordine deprauatur. Qualiter námque in senectute alijs ministerium imperabit, qui in adolescentia se senioribus obedientem exhibere contemnit. Sicut ergo in senibus sobrietas, & morum perfectio requiritur, ita etiam in adolescentibus obsequium, & subiectio, & obedientia rite debetur.* Et S. AMBROSIVS supra monuit, *bonorum adolescentum esse, deferre parentibus honorem, habere senioribus reuerentiam.* Idem monet TVLLIVS in primo officiorum. *Est*, inquit, *adolescentis maiores natu vereri, exq; his deligere optimos, & probatissimos, quorũ consilio & auctoritate nitatur.* Et in Lælio. *Eum nos qui ætate anteit tanquam superiorem colere debemus.*

1. Petr. 5. 5.
Eccles. 32. 13.
Col. 3. 20.
A. 1. off. c. 17.

IV. Est fortitudo & alacritas animi, vnde S. Ioannes Apostolus ait in prima epistola. *Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum. Scribo vobis iuuenes* (græcè νεανίσκοι vt prius) *quoniam fortes estis, & verbũ Dei manet in vobis, & vicistis malignum.*

1. Ioan. 2. 13.

In

In duobus igitur pius adolescens robur suũ ostendit: in vincendo dæmone, quo nihil fortius, & constantia in diuini verbi obseruatione, hoc enim voce (monendi) significauit. Talis fortitudo erat adolescentum Babyloniorum, Machabæorum, S. Laurentij, S. Agnetis, S. Theclæ, & aliorum innumerabilium martyrum. ARISTOT. quoque in 2. Rhetoricorum c. 14. eis fortitudinem attribuit. Et OVIDII in XV. Metamorph. Carmen est de adolescentia.

Neque enim robustior ætas
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat vlla.

V. Est, quod hæc ætas maximè idonea sit ad capessendas litteras & bonos mores. De litteris testatur GREGOR. Nazianzenus, ad Nicobulum patrem Nicobuli filij in hæc verba scribens. *Literarum, doctrinæq; studijs nullum aliud accommodatius tempus fingi potest, quam cum animorum amor maximè viget, nec multiplicibus formis pectus adhuc impressum est, sed egregijs duntaxat, recensque depictis imaginibus floret: vitæq; in terra fundamentum siue bonum, siue malum ac pestiferum adolescentes iaciunt.* ARISTOTELES tamen in primo de moribus inficiatur adolescentiam esse idoneam ad Ethicam philosophiam audiendam. *Iuuenis*, inquiens, *ciuilis disciplinæ non est idoneus auditor. Est enim rudis actuum vitæ. Et cum perturbationes animi sequatur, vane sineq; vtilitate audiet, quippe cum finis cognitio sit, non actio.* Aristot. 1. Eth. c. 3. Et HIERON. procemio in Ezechielem de litteris sacris ex Hebræorum traditione ita scribit. *Nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerij, id est, tricesimum, annum impleuerit, nec principia Geneseos, nec Canticum canticorum, nec*

huius voluminis exordium & finem legere permittitur; vt ad perfectam scientiam & mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat. QVOD autem eadem ætas idonea sit ad capessendos bonos mores,
Greg. cap. 24. doceat alter S. GREGORIVS Romanus libro II. Moralium, vbi proprietates singulorum graduum ætatis humanæ describens, docet adolescentiam esse primam ætatem bonis actibus aptam &
Hier. t. 4. idoneam. Et HIERON. vel alius ad Demetriadem. *Habent enim*, inquit, *in se lentum quiddam & molle, quod facile formari queat, atque ad arbitrium volentis trahi, & in cunctis fere rebus citius assuescitur omne, quod tenerum est. Nouellas adhuc, & vix firmæ radicis arbusculas, dum ad omnem ductum sequaces sumus, in quamlibet partem flecti facile est, quæ natura plærunque curuatæ cito ad arbitrium colentis corriguntur.*

CAPVT III.

De Mediis ad adolescentiam rectè informandam opportunis.

PRIMVM medium est, vt parentes filios rectè in pueritia educatos tradant piis & eruditis Magistris instituendos, quorum consilio & auxilio in omnibus dirigantur. Vnde Tobias seni
Tob. 4. 18. filio adolescenti dixit. *Consilium semper à sapiente perquire.* Et Ecclesiasticus omnibus adolescenti-
Eccl. 9. 21. bus. *Cum sapientibus & prudentibus tracta.* AM-
Amb. c. 20. BROSIVS in secundo de officiis in hanc rem præclarè. *Plurimum*, inquit, *prodest vnicuique bonis*
Prou. 13. 20. *iungi. Adolescentibus quoque vtile, vt claros & sapientes viros sequantur: quoniam qui congreditur sapientibus sapiens est, qui autem cohæret imprudentibus, imprudens agnoscitur. Et ad institutionem itaque bonis*

iungi

iungi plurimum proficit & ad probitatis testimonium. Ostendunt enim adolescentes eorum se imitatores esse, quibus adhaserint, & ea conualescit opinio, quod ab his viuendi acceperint similitudinem, cum quibus conuersandi hauserint cupiditatem. Inde tantus IESVS Naue, quod eum nõ solum erudiuit ad legis scientiam Moysi copula, verum etiam sanctificauit ad gratiam. Et infra. Pulchra itaque copula seniorum atque adolescentium, alij testimonio, alij solatio sunt, alij magisterio, alij delectationi. Omitto quòd Abrahæ adhæsit Loth adolescentulus etiam proficiscenti. In Actibus Apostolorum Barnabas Marcum assumpsit, Paulus Silam, Paulus Timotheum, Paulus Titum. Plerúnque etiam virtutibus pares, dispares ætatibus sui delectantur copula, sicut delectabantur Petrus & Ioannes. Nam adolescentem legimus in Euangelio Ioannem & sua voce, licet meritis & sapientia nulli fuerit seniorum secundus: erat enim in eo senectus venerabilis morũ, & cana prudentia. Vita enim immaculata bonæ senectutis stipendium est. Similia pro adolescentia bene instituta scripsit quondam S. IGNATIVS in epistola ad Magnesianos, Nec, inquit, annosi sapientes continuo sunt, nec senes intelligentiam possident, sed spiritus, qui in hominibus est. Daniel enim ille sapiens cum duodecim esset annorum spiritu DEI afflatus erat, & senes frustra canos ferentes calumniatores, & alienæ formæ appetentes esse coarguit. Samuel autem puer paruulus, Heli nonagenarium reprehendit, quod suos filios plus quàm Deum honoraret. Similiter Ieremias audit à Deo, ne dicas, iunior sum. Porro Salomon & Iosias, ille quidem duodecimo ætatis anno, hic verò octo natus annos, regni gubernaculis admotus est, aras & tẽpla diruit, & lucos cõbussit, & falsos illos sacerdotes ingulauit. Adolescẽtia igitur nõ est contemnenda, quoties Deo

Sap. 4. 9.

Igna. ep. 6.

D. 13.

1. Reg.

Ier. 1.

1.Tim.4. *dedita consecratáque fuerit. Iuuenis erat Timotheus ille Christo plenus, verum quid illi magister scribat, audite. Adolescentiam tuam nemo contemnat.* PLVTARCHVS in scripto de liberis educandis arbitratur adolescentes etiam habere opus domesticis pædagogis, eo, quod illorum annis quam puerilibus maior cautio debeatur. *Nam quis*, ait, *ignorat puerorum delicta parua esse, ac medicatu facilia? fortassis enim, aut pædagogorum incuria, aut præceptorum in ludis peragendis inobedientia. At iuuenum peccata, immensa plerúnque sunt, & miseriarum plena, ventris immodestia, paternorum bonorum expilatio, alea, saltandi proteruia, ebrietates, amores virginum, mulierum corruptiones, adulteria. Horum igitur impetus omni cura & diligentia coërcendi, reprimendique fuerant. Petulantem enim vigorem ætatis non facile à voluptatum obseruabis incursu: quocirca illi fræno vehementer opus existit.* Et vero experientia quotidiana docet, hoc Plutarchi consilium admodum salutare esse, ne dicam necessarium, & vsu huius seculi apud prudentes probatum. Videmus enim in Polonia, Germania & Gallia hactenus optimos quosque parentes, quos ad Academias studiorum causa ablegant, filiis suis non modo pueris, sed adolescentibus etiam, probatissimos quosque morum inspectores præficere, vel certe eos ad Conuictorum ædes & domicilia à Societatis nostræ Patribus administrata amandare.

II. Medium est, vt à consuetudine improborum adolescentum abstineant. *Qui tetigerit picem,* Eccl. 13. 20. ait Sapiens, *inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Et rex Dauid. *Cum* Psalm. 17. 26. *sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.* Et

S. Pau

Et S. Paulus. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Vnde S. BASILIVS in homilia, quod Deus non sit auctor malorum. *Rectè prouerbium dicit. Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Vt enim in pestilentibus locis sensim attractus aer latentem corporibus morbum inducit, sic in prava consuetudine ac conuersatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur.* Et S. HIERON. ad Furiam de viduitate seruanda. *Iuuenum fuge consortia: comatulos, comptos atque lasciuos domus tuæ tecta non videant, cantor pellatur vt noxius. Fidicinas & Psaltrias, & istiusmodi, quorũ diaboli, quasi mortifera Sirenarũ carmina proturba ex ædibus tuis.* EVSEBIVS Cæsarienſis libro Ecclesiasticæ historiæ tertio, refert adolescentem quendam, quem S. Ioannes Euãgelista Episcopo cuidam velut pædagogo tanquam depositum suum commendarat consuetudine improborum sodalium, non modo latronem, sed etiam principem latronum factum. Et S. AVGVSTINVS libro tertio Confessionum fatetur se non alia de causa ad furtum pomorum committendum pellectum, quàm vt placeret quibusdam adolescentibus, quorum tunc consortio vtebatur. Idem medium non tacuit loco ante citato PLVTARCHVS. *Generatim autem,* inquiens, *liberos nostros flagitiosorum hominũ consortio segregare decebit: eorum enim malignitatem reportant. Hæc & Pythagoras obscuris quibusdam præcepit sermonibus, quos hoc in loco explanabo, quoniam ad conquirendam virtutem non minimum videntur afferre momentum, quale illud, quæ nigrantes habent caudas, gustari non oportere, hoc est, cum hominibus consuetudinem non esse habendam, quos morum depravatio ipsa*

1. Cor. 5. 6.
Basil. hom. 9.
Hier. epist. 10.
Euseb. cap. 33.
Aug. c. 8. & 9.
Plut. de liberis educ.

denigrat. Plura vide de hoc argumento in PANARIO noſtro V. Societas praua. & in STIMVLO Virtutum, lib. 1. cap. 13. & ſequent.

III. Medium eſt, vt ſi contingat eos aliquando grauius labi, cito reſipiſcant, & ad meliorem frugem ſe, diuinis deinceps mandatis parendo, recipiant, ne ſi in conſuetudine labendi perſiſtant, callum obducant. *Prouerbium eſt,* inquit Salomon,
Prou. 22. 6. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Hoc medium indicauit regius Pro-
Pſal. 118. v. 9. pheta, cum ait in Pſalmo 118. *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam, in cuſtodiendo ſermones tuos.* Loquitur enim de adoleſcente, *in lapſu poſito,* inquit S. AMBROSIVS ſermone 2. in eundem Pſalmum, *& adoleſcentiæ luxu ac laſciuæ ætatis capto illecebris. Et bene ad Deum conuerſus reſpondit, in cu-*
Thren. 3. 27. *ſtodiendo ſermones tuos. Bonum enim eſt viro, (vt eſt in Hieremiæ threno) cum tollit iugum in iuuentute. Non ſolum tollere iugum verbi, ſed in iuuentute debemus tollere. Si enim ſero tollamus, incipimus pœnitentiam ſuperiorum magis habere, quàm tenere gratiam. Præueniamus ergo iuuentutis annos correctione con-*
Pſal. 24. 7. *grua, vt magis dicamus ſinguli, Deus qui paſcit me à iuuentute mea, quam recordationem habentes lapſuum deſleamus dicentes. Delicta iuuentutis meæ, & ignorãtias meas ne memineris. Hoc debilitatis eſt remedium, illud robur ſalutis. Ei autem qui poſt decurſa iuuentutis annos iugum tulerit, non eſt ſtatim perfectum bonum. Stimulant enim eum peccata ſua, exagitat conſcientiam conſuetudo peccandi, & vſus erroris inſtabilem facit. Luctandum eſt diu huiuſmodi viro, vt abolere faciat inueterata atque diuturna.* Et infra lo-
Matt. 4 22. quens de S. Ioanne Apoſtolo, *En tibi iuuenem,* ait,

qui

qui viam suam in iuuentute correxit. Piscator erat cum fratre suo, vidit Dominum Iesum cum plicaret retia sua, & audiuit dicentem; Venite faciã vos fieri piscatores hominum, & relictis retibus suis & patre secutus est eum. Viam seculi cœperat currere, sed auditis Christi imperiis deseruit viam mũdi, secutus est Christum: probauit, quia in eo corrigit iuuenior viã suã, si Christi verba custodiat.

IV. Medium est, magna animi submissio & humilitas. Hæc enim, teste Ambrosio, virtus huic conuenit ætati; cuius exemplum illustre dedit idem rex Dauid cùm aliis factis, tum in allegato iam Psalmo, quando ait: *Adolescentulus sum ego & contemptus, iustificationes tuas non sum oblitus.* Psal. 118. 141. in quæ verba idē S. Ambrosius. *Multis*, inquit, *Sanctorum, qui à prima adolescentia exercitati sunt duris laboribus, potest hic versiculus conuenire. Nam & Ioseph cum à fratribus iunior in Ægyptum venderetur, iunior erat & despectus, qui ad seruitutis iniuriam vendebatur, &c. Ipse Dauid quoque iunior fratribus, cum patris oues pasceret, tanquam vili obligatus obsequio, non oblatus est sacerdoti, quasi indignus, qui vngeretur in regnum, sed à sacerdote quæsitus & accersitus à pascuis prærogatiuam regiæ vnctionis accepit. Hic iuuenis atque despectus strauit Allophylum Goliam, potitúsque victoria in decem millibus iuuencularum psallentium testimonia triumphauit. Gerebat enim typum eius, qui quasi despectus venturus esset in terras, Christus.* Et multò post. *Sed etiam specialis singulis Christianis suppetit prærogatiua dicendi; Iuuenis sum ego & despectus. Præmittat ætatis generalem iactantiam, quo plus commendet humilitatis suæ gratiam. Non mirabilis humilitas in senectute, quæ effœta viribus, fracta debilitatibus, tristis doloribus, anhela suspiriis, cocta curarũ æstibus,* A. serm. 18. Gen. 39. 1. 1. Reg. 16. 11.

æstibus, & ipso viuendi mœsta fastidio, alacritatem est oblita iactantiæ. Rara sane in iuuenibus est humilitas, ideoque miranda. Dum ætas viget, dum vires solidæ sunt, dum sanguis æstuat, dum solicitudo nescitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur, tunc feruet iactantia, tunc se iuuentutis superbus extollit affectus, tunc humilitas quasi vilescit, abiecta contemnitur, tunc subiectio degeneris conscientiæ æstimatur esse infirmitas. Grandis igitur morum assuefacienda est maturitas, quæ vincat naturam.

V. Medium est, vt in eos, cum monita non iuuant, pro grauitate delicti seuerius animaduertatur à Magistris & maioribus. *Adolescentes enim,* teste eodem D. AMBROSIO libro de Ioseph Patriarcha, *magis metu, quam ratione reuocantur à vitio.* iuxta illud Poetæ,

Amb.c.10.

Oderunt peccare boni, virtutis amore:
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Quod autem necessitas incumbat non solum magistris, pædagogis, parentibus & quibusuis superioribus adolescentes delinquentes, imò quosuis homines reprehensione dignos corrigendi, ipsisq; correctis patiĕrer & humiliter correctionis censuram perferendi fusè à nobis probatũ in VIRIDARIO, titulo de correctione fraterna. Idem medium & Ethnico suggesserunt. vt ad Herennium M. TVLLIVS. *Qui adolescentum,* inquiens, *peccatis ignosci putat oportere, falluntur propterea quod ætas illa non est impedimento bonis studiis: at hi sapienter faciunt, qui adolescentes maximè castigant, vt quibus virtutibus omnem vitam tueri possunt, eas in ætate maturissima velint comparari.*

Tull.lib.4.

Et PLAVTVS in Bacchid.

Cura

Cura & castiga hominem probè,
Qui dedecorat te, me, amicos, atq; alios flagitiis suis.

Quod si verò castigationis disciplinæque seuerioris capaces amplius non fuerint, suadet S. Ioannes Chrysostomus, vt tēpestiue sacro Matrimonij vinculo illigentur, *prudentique & modestæ coniungantur vxori, quæ ab omni praua consuetudine maritum eripiat, & frenum pullo facta salutari domatione cōtineat. Non enim,* inquit, *fornicationes & adulteria aliunde proueniunt, quam ex nimia iuuentutis licentia.* Idem consilium suggessit ex Ethnicis Philosophis PLVTARCHVS in libro de educandis liberis, sub finem. *Enitendum est,* ait, *vt qui libidinibus succumbunt, & increpationibus omnino rebelles existunt, connubio subiugentur: hoc siquidem tutissimum iuuentutis est vinculum. Eas autem despondere filiis vxores conueniet, quæ nec multo nobiliores, nec ditiores sint. Sapientia vtique refertum est prouerbium. Æqualem tibi mulierem inquire. Nam qui seipsis longe ampliores capiunt vxores, non earum maritos, verum dotis mancipia fecisse se nesciunt.* Ch. hom. 60. in Mat. Clem. Ro. epist. 1. ad Iacobum.

VI. Medium sit, vt demum aures præbeāt Spiritui sancto serio cohortanti ad Sapiētiæ studium his verbis: *Audite filij disciplinam Patris, & attendite vt sciatis prudentiam. Possidē sapientiam, possidē prudentiam, ne obliuiscaris, neque declines à verbis oris mei. Tene disciplinam, ne dimittas eam, custodi illam, quia ipsa est vita tua. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via: ne forte gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas. Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & Magistris non inclinaui aurem meam,* Prou. 4. 1. Prou. 5. 12.

meam, &c. In eandem sententiam alicubi adolescentes hortatus est S. AVGVSTINVS, dicens:

Aug. serm. de Temp. 247.

Vos ergo, ô Iuuenes, maximè monemus, & hortamur, vt verâ virtutis pulchritudine capiamini. Nulla species terrena, vel cœlestis, nullus fulgor metallorum, nulla nemorum amœnitas, nullæ florum purpuræ, nullus vel naturalis, vel adhibitus carnis ornatus, nullus quarumlibet chordarum atque tibiarum sonus, nulla odorum iucunditas, nulla saporum suauitas, nulli amplexus, pulchritudini, inspirationi, dulcedini, fomentis sapientiæ comparantur. Ab his enim, quæ turpiter amantur, non ab ipso amore prohibemur. Amare vultis? amate sapientiam, ambite vt perueniatis ad eam, vt non vos exhorreat eius aspectus in homine, vos in timore componite. Sicut lasciui oculi ornamenta corporis, sic illa cordis inquirit. Nec de vestris diuitiis hæc ornamenta proferatis, quia odit superbos, & quasi de suo se iactare cupientes.

1. Cor. 4. Prou. 4. 6. Sap. 6. 13. Sap. 8. 2.

Quid autem habes, quod non accepisti? Ipsa ergo donat, vnde illi placeas. Tantum dilige eam, & seruabit te. Circunda eam & exaltabit te, honora eam, & amplexabitur te, vt det capiti tuo coronam gratiarum. Clara est, & quæ nunquam marcessit sapientia, & facile inuenitur ab his, qui diligunt illam. Proponite hanc adiungere vobis, in illam suspirate, in illam exardescite, in illam deperite. Si amatores estis, hanc amate, si formosi estis, Deo

Dan. 9. 23.

placete: si iuuenes estis, diabolum vincite. Daniel ab angelo vir desideriorum appellatus est. Quæ illius erant desideria, nisi quibus in sapientiæ pulchritudinem ardenter inhiabat? quia in iuuenili ætate calcauit lasciuiam, & Regum superbiam pressit captiuus, & ora leonum clausit inclusus?

DE

DE ÆTATIS HVMANÆ STATV.

CAPVT I.

Ætatis humanæ quot sint Gradus?

ÆTATIS nomen deductum est ab quo, hoc est, certo humanæ vitæ spacio. Non conuenit autem inter priscos auctores, quot sint ætatis gradus. S. HIERON. scribens aduersus Pelagianos. *Quid dicemus,* inquit, *de vtriúsque sexus ætate diuersa, quæ iuxta* PHILONEM, *& prudentissimum Philosophorum* (Platonem) *ab infantia vsque ad decrepitam senectutem septenario ordine deuoluitur: dum sibi sic inuicem ætatum incrementa succedunt, vt quando transeamus de alia ad aliam, sentire minime valeamus?* Hier. lib. 3. Alio vero loco nominat singulas ætates, vt prima sit Infantia. 2. pueritia. 3. iuuentus, 4. virilis ætas. 5. ingraueſcens ac matura ætas. 6. Senectus. 7. decrepita Senectus. Eundem numerum habet, teste CENSORINO, Medicorum Princeps HIPPOCRATES, aítque primum gradum ætatis terminari anno septimo. 2. quartodecimo. 3. duodeuicesimo. 4. triceſimoquinto. 5. duodequadrageſimo. 6. ſexageſimoprimo. 7. ad vitæ coronidem protendi. GALENVS in libro, cui Titulus περὶ ἡλικιῶν, ætates ſtatuit quatuor, quarum prima ſit Iuuenum. 2. ἀκμαζόντων, vigentium. 3. Mediorum, poſtrema ſenum. A. GELLIVS in Noctib. Atticis redigit ad tres. TVBERO, ait, *in hiſtoriarũ primo, ſcripſit Seruiũ* TVLLIVM Id. in c. 6. Amos. Cenſ. lib. de die Natali. Aul. lib. 10. c. 28.

Regem

Regem pueri Romani pueros esse existimasse, qui minores essent annis septendecim, atque inde ab anno XVII. milites scripsisse, eósque ad annum quadragesimum sextum iuniores, supráque eum annum seniores appellasse. Rectius M. VARRO quinque gradus facit. In primo vsque ad annum XV. pueros dictos, quod sint puri, id est, impuberes. In secundo ad annum XXX. adolescentes ab adolescendo nominatos. In tertio vsque ad annum XL. Iuuenes appellatos, eo quod Rempl. in re militari iuuare possent. (nunc vocamus viros.) In quarto autem gradu vsque ad LX. annum seniores nuncupatos, quod tũc corpus senescere incipiat. Inde vsque ad finem vitę vniuscuiúsque quintum gradum factũ, in quo qui essent, SENES appellatos, quod ea ætate corpus iam senio laboraret. NOS sequimur sententiam B. GREGORII libr. II. Moralium in hæc verba scribentis. PRIMA *hominis ætas infantia est, cum etsi innocenter viuit, nescit tamen fari innocentiam, quam habet. Ac deinde Pueritia sequitur, in qua iam valet dicere, quod vult, cui succedit Adolescentia, qua videlicet prima est ætas in operatione, quam Iuuentus sequitur, scilicet apta fortitudini, ac postmodum Senectus, etiam per tempus congrua maturiati.* Senium enim, quod rarò in sacra lectione reperitur, potius æui magis affectionem & infirmitudinem significat, quàm tempus.

Greg. c. 25.

CAPVT II.

De Ætatis generatim sumptæ proprietatibus.

INTER Ætatis generatim sumptæ Proprietates, PRIMA sit, quod vnaquæq; in suo esse sit perfecta,

perfecta, & ex annorum numero debeat iudicari. Hanc commemorat S. HIERON. in procœmio commentar. in Abdiam Prophetam. Hieron. ad Pammac.

II. Proprietas est, quod continuo quæque ætas fluat & abeat, viuat & moriatur. *Res enim seculi,* ait idem in Amos Prophetam, *& omnia corpora secundum Epicurum per momenta fluunt & abeunt, & nihil in suo consistit statu, sed vel crescunt omnia, vel decrescunt, & aquarum more torrentium labuntur in præceps. Vnde & in seculari litteratura legimus; Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus. Et in alio loco. Heu heu fugaces, Posthume, posthume labuntur anni: nihil enim fugacius seculo, rebúsque seculi: quas dum tenemus, amittimus.* Et S. AVGVSTINVS in Psalmos; *Cum accedit*, ait, *vna ætas, altera moritur, veniente pueritia, moritur infantia, veniente adolescentia moritur pueritia, veniente iuuentute moritur adolescentia, veniente senectute moritur iuuentus, veniente morte moritur omnis ætas. Quot optas gradus ætatis, tot simul optas & mortes ætatum.* Virgil. 3. Georg. Aug. in Psal. 127.

AVSONIVS in Rosa.

Collige Virgo rosas, dum flos nouus & noua pubes,
Et memor esto æuum sic properare tuum.

Et OVID. 10. Metamorph.

Labitur occultè, fallitq; volubilis ætas,
Et nihil est annis velocius.

Et 6. Fastorum.

Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis,
Et fugiunt fræno non remorante dies.

III. Proprietas est, quod cuique ætati propria sint studia, & mores. *Cursus est certus ætatis*, ait CICERO libro de Senectute, *& via vna naturæ eaq; simplex, suaq; cuiq; parti ætatis tempestiuitas est*

data. Vt enim infirmitas puerorũ est, ferocitas iuuenum, grauitas iam constantis ætatis, sic senectutis maturitas naturale quiddã habet, quod suo tẽpore percipi debeat. Et infra. *Sunt pueritiæ certa studia. num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt & ineuntis adolescẽtiæ, nuem ea iam constans requirit ætas, quæ media dicitur? sunt etiam eius ætatis; ne ea quidem à senectute quæruntur. Sunt externa quædam studia senectutis. Ergo vt superiorum ætatum studia occidunt; sic occidunt etiam Senectutis. Quod quum euenit satietas vitæ tempus maturum mortis affert.*

IV. Proprietas est, quod quilibet ætatis gradus sit breuis, excepta sola Senectute. Nam M. VARRO, vt notauit Cœl. Rhodiginus Lectionum Antiquarum libro 10. quatuor primis ætatibus, & quidem singulis, tribuit tantum XV. annos: Senectuti verò certos nullos, cum alij in cẽtesimum, alij in centesimum vigesimum ætatem produxerint, vt MOYSES, S. Symeon Episcopus, & S. Romualdus Abbas. Ætas aut CXX. annorum, cum bis cõtineat sexaginta, bis omnium quatuor aliarum ætatum numerum exæquat. Vnde M. TVLLIVS in Catone Maiore; *Omnium*, ait, *ætatum certus est terminus; Senectutis autem nullus certus est terminus: rectéq; in ea viuitur, quoad munus officij exequi & tueri posset.* R. c. 61.

V. Proprietas est, quod noui aliquid assiduè adportet, atque ad scientiam maximè conferat. Vnde TERENT. in Adelph.

T. scen. 4. *Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,*
Quin res, ætas, vsus semper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat, vt illa quæ te scire credis, nescias.

Et

Et quæ tibi putaris prima in experiundo repudies.

Et OVID. 6. Metamorph.

---Non omnia grandior ætas,
Quæ fugiamus habet: seris venit vsus ab annis.

Et 15. Metamorph.

Etenim mihi multa vetustas
Scire dedit.

VIDE plura speciatim, Verbo, *Adolescentia, Infantia, Pueritia, & Senectus.*

DE ADVOCATI STATV.

CAPVT I.

De Nomine Aduocati, quibus conueniat.

VLPIANVS Iureconsultus lib. 8. de omnibus tribunalib. ita definit; *Aduocatos*, inquit, *accipere omnes debemus omnino, qui causis agẽdis quoquo modo operantur.* A Procuratore discrepat dupliciter. Primo, quod hic absentis, ille præsentis causam pertractet: deinde quod Procurator negotia sibi à Domino mandata suscipiat, aduocatus non mandata. ff. l. 1. præsens.

NON omnibus autem conuenit Aduocati vel Procuratoris functio. Nam quidam ea arcentur, vt vtroq; in iure docetur, vel impotẽtia, vel indecentia. Impotentia muti, surdi, furiosi, impuberes vsq; ad 18. saltem annũ, quia sensu vel interno, vel externo destituuntur. Verba enim S. Rom. Synodi apud Gratian. sunt, vel Felicis Papæ epistol. 2. ad 3. quæst. 7. q. 7. c. infamis. ff. de iudiciis. l. cũ prætor.

Episcopos Galliæ; *Infamis persona, nec procurator esse potest, nec cognitor. Tria sunt quibus aliqui impediuntur, vt iudices non fiant. Natura, vt surdus & mutus: & qui perpetuo furiosus est, & impubes, qui iudicio caret.* Indecentia verò arcētur clerici & monachi, quia huiusmodi personæ rebus diuinis sunt addictæ, & ideo non conuenit illas addici officiis secularibus. Deinde nomine indecentiæ arcentur ab hac functione etiã aliæ personæ, siue ob defectum corporalem, vt ob cæcitatē, siue ob spiritualem alicuius noxam, vt ob infidelitatē, infamiam, damnatum crimen. TITVLO de postulando in Iure Ciuili ita scribitur; *Infames non possunt esse procuratores, vel patroni causarum. Quidam autem prohibētur omnino postulare, vel propter ætatē, vt minores 17. annis, vel propter casum, vt surdus, qui prorsus non audit. Alij prohibentur ne pro alijs postulent, vel propter sexum, vt fœminæ, vel propter casum, vt vtroque lumine orbati, vel propter notam infamiæ, turpitudinis. Similiter qui capitali crimine publici iudicij sunt damnati.*

Lib. 3. tit. 1.

NON tanti tamen fit huiusmodi indecentia, quin aliquando & clerici res Ecclesiasticas, monachi verò monasticas defendere possent, si superior imperet; nam ex Cōcilio Tarraconensi eiusmodi canonem habemus; *Prohibemus, vt nullus eorum, id est, monachorum forensis negotij susceptor vel executor existat, nisi id quod monasterij exposcit vtilitas Abbate sibi nihilominus imperante.* Et INNOC. III. ad Compostellanum Episcopum exponēs dictum canonem. *Vnde*, inquit, *consultationi tuæ taliter respondemus, quod idem iudicium de canonicis regularibus, quod & de monachis, quantum ad supradicta, credimus obseruandum, licet de monachis in canone specialiter*

16. q. 1. c. monachi.

c. ex parte, de postul.

liter sit expressum. Similiter & infames, si necessitas aliqua incumbat sui suorúmque defendendorum aduocati partes sustinere possunt, vt est in Digestis ciuilis iuris, titulo de postulando. *Alij, inquiũt, omnes, qui vt infames notantur, nisi pro se & certis personis postulare non possunt. Permittitur autem eis postulare pro parente, pro patrono & patrona, pro liberis etiam, suis fratribus, & sororibus, socero, socru, genero, nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuigna, pupillo, pupilla, furioso, furiosa, fatuo, fatua, surdo, prodigo, & adolescente. Item pro his quibus propter infirmitatem curatores dari solent.* 3.q.2.c.infames Lib. 3.tit.1.

CAPVT II.

De Proprietatibus Aduocati.

PRIMA Proprietas est, vt in extrema necessitate pauperi patrocinium suum præstet gratis, quando nulla alia via existimat ei posse subueniri. Esset autem in extrema, si accusaretur de crimine capitali, vel spoliandus foret omnibus bonis. Et ratio est, quia Medicus vel Chirurgus in simili casu teneretur curare pauperem. *Habẽs intellectum,* inquit B. GREGORIVS in Euangelia, *curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam à misericordia largitate non torpescat: habens artem qua regitur, vsum illius cum proximo partiatur, habens loquendi vsum apud diuitem pro pauperibus intendat, talentum quoque nostrum venturus Iudex exiget, quãtum dedit.* G.hom.9.

QVOD si grauis tantum necessitas incumberet pauperi, v.c. si iniuste damnaretur ad triremes, publicam flagellationem, vel carceres, teneretur quidem aduocatus patrocinium suum ei suppeditare

gratis, non detrahendo quidem aliquid suo statui necessariis, sed tamen detrahendo superfluis, vt de tempore quo vacare solet causis, ex quibus iucrum facit non necessarium. Et quidem aliqui volunt eum tantum teneri sub noxa leuiori, rectius tamen docent qui docent etiam sub grauiori & lethali.

G. Valent. & Lossius cõtra Nauar & Caiet.

II. PROPRIETAS, Si necessitas gratis patrocinandi non occurrat, licite potest Aduocatus pro precio patrocinari. Est enim S. AVGVSTINI ad Macedonium sententia; *Aduocatum licite vendere iustum patrocinium & Iurisperitum verum consilium.* Quia tamen ibidem subiungit Augustinus *extorta per immoderatam improbitatem repeti solere*, nota duplicia esse posse pretia Aduocatorum. Alia *lege taxata*, vltra quæ si aliquid accipiant, cõstat esse iniustitiam. Alia vero determinata iuxta *hominum arbitrium*, & hæc debent definiri moderate habita ratione industriæ, laboris, & cæterarũ circumstantiarum. Peculiariter vero vetitũ in lege Ciuili est, ne Aduocatus de *quota litis* paciscatur, si obtinuerit causam. Cuius ratio est, ne crescat cupiditas, & caueantur fraudes. Deinde S. THOMAS notat hoc discrimen esse in hoc genere inter *aduocatos & iudices*, quod Aduocatis liceat accipere suorum laborum stipendia à suis clientibus, Iudicibus verò non nisi à communitate. Iudex enim pro immediato scopo habet bonum vtriusq; partis indifferẽter secundum iustitiam, & ideo ne inclinetur ad fauendum contra iustitiam alterutri, conuenit vt non accipiat aliquid ab illis. At vero aduocatus solum procurat bonum vnius, & ita non imminet inde simile periculum.

A.ep. 54.

l. si qui. C. de postul. l. sumptus. ff. de pact. S. Tho. 22. q. 71. ar 4.

III.

III. PROPRIETAS, si sciens prudens suscipiat iniustam causam, peccat & mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Nec mirum, quia suo auxilio consilióve incommodauit alteri parti. Dixi, si sciens prudens id faciat, quia aliquando potest excusari per ignorantiam. Tunc autem ea excusat Aduocatum ab iniustitia & vinculo restituendi, quando est inculpabilis, videlicet, quãdo est ignorantia rei, ad quam sciendam fecit Aduocatus, quod tenebatur & potuit. Et quando ignorantia talis est causa actus, ita vt si Aduocatus sciuisset, talem causam non suscepisset. Nam si est tantum ignorantia concomitans, hoc est, quando etiamsi Aduocatus iniustitiam causæ sciuisset, nihilominus suscepisset causam iniustam, tunc nõ excusat. Nam qui eo modo dispositus causam suscipit, virtualiter vult iniustitiam facere; sicut etiam aduocati illi, qui non adhibent diligentiam, vt sciant iustitiam partium.

IV. PROPRIETAS, Si Aduocatus in processu causæ comperit se patrocinari parti iniustæ, debet aliquo modo sine scandalo eã deserere: non debet tamen aduersæ parti aperire iniquitatem partis, quam sequebatur, nisi sit magni momenti causa, vt sanguinis. Si enim tunc Aduocatus euidenter veritatẽ cognosceret, & admonito cliente vt desistat, nõ vellet desistere, deberet Aduocatus iniquitatem causæ prodere ad liberandũ innocentem, imò agere testem & patronũ pro illo, si opus esset: maximè si Aduocatus iudicaret innocentem alias condemnatum iri, & speraret se suo testimonio aliquid profuturum ad liberationem. Immò semper licet Aduocato, secluso scandalo,

ſuſcipere cauſam alterius partis, poſtquam eius iuſtitiam cognouit. Neque hoc eſt facere iniuriam parti priori, ſiquidem iã reputat cauſam eius iniquam. Quare grauiter peccant aduocati & conſiliarij, qui dum in ſucceſſu litis aduertunt partem alteram tueri cauſam iniquam, inducunt alteram ad compoſitionem.

V. PROPRIETAS, Quando autem cauſa eſt dubia & anceps, aliter agendum eſt aduocato. Si enim vtraque pars æquè ſit probabilis, poteſt vtriuſuis, id eſt, ſiue Rei, ſiue Actoris patrocinium ſuſcipere. tunc enim vterque Ius habet iudicio experiundi. Si autem Rei minus ſit probabilis, quam Actoris, abſolute tamen ſit probabilis, poteſt aduocatus eam tueri. Et ratio eſt, quia reus tunc ſe poteſt tueri. Regula eſt enim, *cum ſunt*, de Regulis Iuris in 6. Reo eſſe fauendum, *cum ſunt partium iura obſcura*. Si autẽ actoris ſit minus probabilis quam Rei, vere tamen probabilis, aliqui putant quidem nõ poſſe ſuſcipi actoris, ſed rectius dicemus, vtriuſuis poſſe ſuſcipi, quia non ſemper id quod videtur probabilius eſt verius. Quare aduocatus, etſi ei cauſa Rei videatur probabilior, poteſt tamẽ bona fide ſuſcipere cauſam actoris, quæ etiam probabilis ſit, & ſubiicere ſe Iudicis determinationi, allatis iis, quæ pro illa faciunt.

VIDE *De Statu Iudicum & Laicorum.*

DE

DE CARDINALIVM STATV.

CAPVT I.

De nomine, titulis & numero Cardinalium.

CARDINALIS, si vocis significatum spectes, idē est, quod principalis. nam olim virtutes quædam à S. AMBROSIO, aliisque Patribus vocatæ sunt Cardinales, quasi principales, & à Physicis Venti Cardinales, atque ab Ecclesiasticis Scriptoribus presbyteri vel Diaconi Cardinales. In Concilio enim Rom. sub Sylvestro celebrato, canon. 6. legimus in Ecclesia Romana septem fuisse *Diaconos Cardinales*. Et S. AVGVSTINVS libro 1. de Baptismo, primarios quosdam Donatistas appellat *Donatistas Cardinales*. Et S. GREGORIVS mandat Fortunato Episcopo Neapolitano, vt quendam in sua Ecclesia *Diaconum Cardinalem* faciat. Et Ioanni Episcopo Syracusano, vt subdiaconum quendam *presbyterum faciat Cardinalem*. In Synodo quoque MELDENSI statuitur, vt Episcopus *titulos Cardinales* in vrbibus, vel suburbiis constitutos ordinet atque disponat. NVNC vero ab aliquot seculis contractum est hoc nomen ad designandos Cardinales, Episcopos, presbyteros & Diaconos, quorum consilio auxilióque Ecclesiam Romanam Summus Pontifex administrat, quique ius & auctoritatem habent, Pontifice vita defuncto alium subrogandi. Et hoc significatu noster sermo est de Cardinalibus.

Aug. c. 6.

Gr. li. 5. ep. 11. Et lib. 11. ep. 34.

M. can. 14.

ETSI verò, qui à Consiliis Romano Pontifici fuerunt, non semper Cardinalium nomenclaturam vsurparint, tamen si res ipsa nemini subiecta spectetur, nunquam inde ab Ecclesiæ incunabulis defuerunt, qui sacrum hoc munus sustinerent, vti creduntur apud B. PETRVM sustinuisse LINVS, CLETVS & CLEMENS, apud S. SYXTVM Martyrem, S. LAVRENTIVS Archidiaconus, apud S. SYLVESTRVM Papam Victor & Vincentius, qui Concilio Nicæno eius loco præsederunt; quod munus certe magnum fuit & Cardinalium proprium.

TITVLI Cardinalium fere sumpti sunt ab Ecclesiis Romanæ Vrbis, quibus gubernandis sunt adhibiti, ac crebrius quidē à nomine Sancti, cui Ecclesia erat dicata, vt S. Ceciliæ, S. Clementis. 2. à Pontificibus tituli institutoribus, vt Iulij aut Damasi. 3. à templorum constructoribus, vt Lucinæ, Eudoxiæ. Horum titulorum 25. instituti sunt ab Euaristo Papa, ab aliis plures, sic tamen vt semper octo supra viginti permanserint, vsque ad annum circiter 1455. hoc est, vsq; ad Callistum III. qui vnum addidit; alterum deinde Sixtus IV. Leo X. vndecim, tres Iulius III. vnum Paulus IV. & Pius IV. tres postremo Pius V. vt omnino noui tituli adiecti sint vnus & viginti.

Quod ad NVMERVM attinet, olim fuere numerati Cardinales LIII. vsque ad annum Dom. M. C. XXV. sedente Papa Honorio, à quo tempore numerus incertus fuit vsque ad annum M. CCLXXVI. deinceps verò iterum augeri cœpit, ita tamen vt sub Bonifacio VIII. tantum essent XX. In Constantiensi verò Synodo decretum est,

vt

vt XXIV. numerus non excederetur. At Xistus IV. XXX. supergressus est. Alexander VI. ad L. perduxit. Leo X. ad 65. cum vice vna vnum supra triginta creasset. Paulus IV. quinque amplius addidit. Pius IV. vsque ad LXXVI. processit. Postremo Xistus V. numerum LXX. definiuit, vt essent instar LXX. Seniorum, quos Dominus Moysi adiutores dedit.

CAPVT II.

De dignitate Status Cardinalium.

STATVS Cardinalitij dignitas intelligi potest. PRIMO ex collatione Status Ecclesiastici cū Politico. Constat enim statum Ecclesiasticum, in quo eminent Episcopi & Sacerdotes, longe nobiliorem, sublimiorémq; esse statu Politico, etiam Regum & Imperatorum, vt in titulo Sacerdotum & Episcoporum ex Scriptura Sacra & S. Patribus docebimus. Quanta ergo Cardinalium dignitas, qui omnes diaconos, presbyteros & Episcopos honore & loco superāt? II. intelligi potest eorum officio; neq; enim eorū munus est vnam aliquam paræciam gubernare, quod faciunt Parochi & sacerdotes simplices, nec vnam ciuitatem vel alteram, vt Episcopi: nec integram prouinciam, vt Archiepiscopi & Patriarchæ, sed totum orbem suis instruere & dirigere consiliis. Eorum enim est de causis & controuersiis ex vniuerso orbe ad Sedem Apostolicam allatis disceptare, eorum est Conciliis Oecumenicis totum orbem repræsentantibus loco Summi Pontificis Romani præsidere, & iudicare; eorum denique est, vbi S. D. N.

vniuer

vniuersalis Ecclesiæ Papa vita defunctus fuerit, aliũ ex toto Cardinalium Senatu tam sublimi solio dignissimum allegere. III. cognosci potest ex titulis quos iam olim veteres honorificè illis detulerunt. Nam CONSTANTINVS Magnus, in Edicto suo, quod Latinè exstat in Gratiano, & Græcè in Nomocanone PHOTII, cum locutus esset de Summo Pontifice SYLVESTRO, mox subiicit de præcipuis eius cõsiliariis, vel Cardinalibus. VIRIS *etiam diuersi Ordinis Reuerendiss. Clericis S. Romanæ Ecclesiæ seruientibus, illud culmen singularis potentiæ & præcellentiæ habere sancimus, cuius amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari, id est, Patritios & Cõsules effici, nec non & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari: & sicut Imperialibus exstat decorata militia, ita clerum S. Rom. Ecclesiæ adornari decernimus.* Quid verò magnificentius dici poterat ab Imperatore totius orbis? Nam Patritiorum dignitas proxima fere erat Imperatoriæ. Vnde & HADRIANVS I. non dubitauit CAROLO Magno ob Ecclesiã Romanam ab eo in pristinam libertatem vindicatã, remunerationis loco, hunc titulum PATRITII Rom. Vrbis deferre, quẽ & alius Papa postea detulit HENRICO Imperatori eius nomínis Secũdo. Deinde S. SYLVESTER in Rom. Synodo cauit, vt Presbyter Cardinalis, si contingat eum grauiter labi, nõ nisi quatuor & 40. testib. condemnetur, Diaconus autem Cardinalis nõ nisi octo & viginti. Cuius certè priuilegij causa nulla alia fuit, teste S. THOMA Aquinate, nisi eorum super alios clericos dignitas & auctoritas. In eosdẽ Cardinales etiam S. HIERONYMVS intendisse videtur digitos, cum in verba

G. d. 96. c. Constantinus.

Ph. tit. 8.

2. q. 5. cap. Præsul.

Tho. 22. q. 70. art. 2.

H. in 1. c.

verba Isaiæ: *Et honorabilem vultu & cõsiliarium*, ita scribit, *Senatus quoque consulta dicuntur. Et nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum cœtum presbyterorum.* B. PETRVS Damiani Cardinalis Ostiensis ita de eorũ dignitate loquitur: *Romani Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam alijs prærogatiuis, non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum atque primatum iura transcendunt. Saluo quippe vniuersalis Ecclesiæ sacramento, isti sunt oculi vnius lapidis, id est, Romanæ Ecclesiæ, de quibus per Zachariam dicitur: Ecce,* inquit, *lapis, quem dedi coram* IESV. *Super lapidem vnum septem oculi sunt.* Et alibi in epistola quadã ad Episcopos Cardinales; *Sicut,* inquit, *Episcopi duodecim Apostolorũ noscuntur obtinere primatum, ita & sacerdotes Ecclesiæ 70. discipulorum ordinem repræsentant. Quod profecto mansio illa Israëlitici populi in Helim figurate designat. Ibi nimirum duodecim profluebant Apostolici fontes, qui diuini verbi imbribus arentia hominum corda perfunderent: ibi 70. virebant palmæ, totidem videlicet discipuli, qui mundo diabolicæ tyrannidis seruitute depresso victoriæ Christi palmas inferrent. Quia igitur dilectissimi, non modo sacerdotes, sed & sacerdotum vos decet esse magistros, necesse est vt vita vestra quædam sit linea, & velut adamantis signaculum, quod viuendi ceteris adhibeat formam.* Eorundem dignitatem etiam supra Episcopos agnouit S. BERNARDVS. nam ad Eugenium III. Papam scribens quartum librum de Cõsideratione; *Veniamus,* ait, *ad collaterales, & ad Coadiutores tuos. Hi seduli tui, hi intimi sunt.* Et paulo post. *An non eligendi de toto orbe (*Cardinales) *de toto orbe iudicaturi?* Et in epistola quadam ad Cardinales data;

P.lib. 1.ep. 20.

Zach.3.9.

Id.ep.22.

Bern.c.5.

Id.ep.188.

Nulli

Nulli dubiũ, quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Et rursus; *Agite pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua polletis, pro potestate, quam accepistis.* Ad hæc EVGENIVS IV. Papa in epistola ad Cantuariensem Archiepiscopũ data, qui hac ipsa de causa cum Ioanne presbytero Cardinali litigabat, multas causas affert, cur Cardinalis presbyter anteferendus sit Episcopo, & inter ceteras, quod Episcopus tantum suæ diœcesis vtilitati seruiat, Cardinalis verò publicæ totius populi Christiani: ille vnam priuatam duntaxat regat Ecclesiam; hic vna cum Sede Apostolica vniuersas. & cum Cardinales à nemine nisi à Summo Pontifice iudicentur: ipsi tamen simul cum Pontifice omnes Ecclesiæ gradus diiudicent. Exstat hæc epistola apud Iacobatium Cardin. lib. 1. de Concil. num. 252. DICES S. AVGVSTINVM epistol. 19. quæ est ad Hieronymum, Episcopatum anteponere presbyterio Cardinalis; *Quanquam*, inquiens, *secundum honorũ vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus presbyterio maior sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* S. HIERONYM. enim videtur fuisse Cardinalis, tum quia ab epistolis fuit DAMASO Papæ, vt ipse testatur in epistola ad Ageruchiam de Monogamia, tum quia in habitu Cardinalitio pingitur. Respõdeo nõ fuisse Presbyterum Ecclesiæ Romanæ, ac proinde nec Cardinalem, sed Antiochenæ, vt ipse ait ad Pammachium de erroribus Ioannis Episcopi Hierosolymæ. De pictura notum est illud Horatianum: *Pictoribus atque Poëtis, Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Et habitus ille Cardinalitius

H. ep. 61.

multo

multo posterior fuit Hieronymi tẽporibus. Nam Innocentius IV. sub annũ Domini 1246. primum sanxit vt Cardinales rubro galero vterentur, & equo vecti in publicum procederent. Purpuram verò eis, reliquúmque ornatum attribuit, vel Bonifacius VIII. teste Hieronymo Albano libro de Cardinalibus, vel Paulus II. teste Platina, Sabellico, & Volaterrano, qui vixit sub annum Dom. 1464.

CAPVT III.

De Officio Cardinalium.

OFFICIVM Cardinaliũ est triplex. Primum est eis commune cum cæteris Episcopis, Presbyteris vel Diaconis non Cardinalibus. Omnes enim Cardinales aut Episcopi, aut Presbyteri aut Diaconi officio in Ecclesia funguntur. Et quidem quod ad Episcopos attinet, olim erant tantum septem vel sex, ex oppidis vrbi Romanæ vicinis, vt Ostia, Tusculo, Prænestę, & aliis delecti, vt summo Pontifici adesse, & tamen suo gregi non deesse possent. Quod vero ad Presbyteros & Diaconos, olim Presbyteri Cardinales animarum quæ in sua parœcia essent, curam gerebant, ministrabant sacramenta, concionabantur. Diaconorum vero proprium erat Pontifici Missam celebranti assistere, vnde est illud S. Laurentij dictum ad Sixtum apud S. Ambrosium. *Quo sacerdos sancte sine diacono properas? tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras.* 2. Eorundem erat distribuere S. Eucharistiam populo: nam ibidem S. Laurentius addit; *Cui cõmisisti consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium sangui*

A. 1. off. c. 41.

sanguinis tui negas. 3. Euangelium in sacro Missæ,
H.ep.48. vt liquet ex epistola S. Hieronymi ad Sabinianū. *Tu,* inquit, *exanguis & pallidus Euangelium Christi quasi Diaconus lectitabas.* 4. fidelium eleemosynas colligere, & Ecclesiæ opes custodire, quod item præstitum à S. Laurentio tradit S. LEO in serm. de ipso. 5. baptizare, prædicare, reconciliare publicos pœnitentes, denique omnia presbyterorū munera, ipsis absentibus, obire, excepta consecratione Eucharistica, & absolutione Sacramētali. Quibus de causis factum est, vt Diaconi aliquando ausi fuerint se præferre presbyteris, quos arguit S. Bernardus in libris de Consideratione, *Ridiculi*, inquiens, *ministri vestri* (Diaconi scilicet) *vestris se compresbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non consentit auctoritas. Nos sumus, inquiunt, qui in omni celebritate Domino Papæ coniunctiores assistimus, sedenti propiores assidemus, priores sequimur procedentem. Hoc totum non dignitatis priuilegium, sed sedulitatis debitum est, Diaconi nomen solenni ipsa administratione interpretans, Propiores assistitis, vt habeat paratiores.*
Ber. lib. 4.

ALTERVM Officium est nobilissimum, Pōtificem Maximum eligere. Nam cum nullum in Ecclesia fastigium maius sit summo Pontificatu, nulla sublimior functio, quam cœli claues gestare, & vices Christi obire, consequens est, & eum qui talē creat & designat summa auctoritate præditum esse debere. Functionem quidem hanc inde ab initio Ecclesiæ Romanæ vsurparunt sibi Cardinales, sed non soli. S. CYPR. de Cornelio Papa sui æui scribens ait eum Romanæ factum Episcopum à plurimis Episcopis qui aderant & *de clerico*
Cypr. li. 4. ep. 2.

clericorum pænè omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum Collegio. Postea annis multis & Imperatoris consensus postulatus est. Donec tandem sub annum Domini MCLIX. Alexander III. Papa in Synodo Lateranensi decretum condidit, quo totum electionis ius in solos Cardinales translatum est, quod deinde confirmatum est in Concil. Lugdunensi anno 1284. à Clemente V. Quæ formula adhuc in vsu est, per totos annos quingentos. Vnde coniici potest eam omnium esse commodissimam & optimam. Idque euentus ipse ostendit, nam ante Alexandrum III. Sex supra viginti in Ecclesia Romaaa exstitere Schismata, his autem postremis quinque seculis vix tria; atque vnum tantum culpa Cardinalium, alterum ab Imperatore Ludouico, tertium à Synodo Basilien si.

c. licet. ex. de Elect.

Clem. ne Roman. de elect.

TERTIVM officium est summo Pontifici perpetuo assistere eúmque in gubernanda vniuersa Ecclesia consilio & industria adiuuare, & ideo S. BERNARDVS supra vocauit eos *Pontificis collaterales & coadiutores.* Et in Decretalibus appellantur *principales assessores, Consiliarij, & in executione principales officij cooperatores.* OLIM quidem Pontifices in grauioribus negotiis conuocabant Concilia nationalia, id est, Italicorum Episcoporum, (quibus tamen Cardinales Presbyteri intererant) vt apparet ex Synodo Gregorij, quæ est inter eius epistolas. At cum auctis Ecclesiæ opibus cœpisset Pontifex indigere consiliariis & adiutoribus, nec possent tam sæpe euocari Episcopi, Conciliis prætermissis res tota tandem redacta est ad Senatum Cardinalium, idque multo commodius.

c. fundamenta De elect. in 6.

Greg. lib. 4. c. 88.

Erant enim hi magis in promptu & ad manum. Deinde cum hi assidue in his negotiis versentur, magis etiam perspectum habent eorum statum. Demum illa Episcoporum euocatio non poterat fieri sine ingenti singularum diœcesium iactura. Ratione autem huius tertij officij, non satis est Cardinali, si Romanæ curiæ negotia tractet, si in controuersiis ad signaturam relatis iudiciũ suum interponat, si huic aut illi amico beneficium, vel honorificum officium procuret, etiamsi iuste id faciat: hoc enim parum admodum est, nimisque restrictum. Verum cogitatio eius totum terrarum orbem complecti debet, ipsámque Ecclesiam vniuersam. Quomodo hæreses tam diffusæ profligentur. Quæ sit ratio iuuandi Germaniam, quæ retinendi Galliam, quæ Angliam restituendi, &c.

Bern. ep. 188. Vnde S. BERNARDVS ad Episcopos & Cardinales Curiæ ita scribit. *Nulli dubium, quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Sic enim præcepit Moyses, cum montem subijt, Habetis, inquiens, Aaron & Vr vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad ipsos. Illum loquor Moysen, qui venit per aquam, & non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et ideo plus quam Moyses, quia & in sanguine venit. Et quoniam pro Vr & Aaron stat zelus, & auctoritas Romanæ Ecclesiæ super populum* DEI, *ad ipsam merito referimus, non quæstiones, sed læsiones fidei & iniurias Christi, Patrum probra atque contemptus, præsentium scandala, pericula posterorum. Legite si placet librum Petri Abailardi, quem dicit Theologiæ, & videte, qualia ibi de S. Trinitate dicantur, & alia innumera Catholicis auribus & mentibus insueta, &c.*

Agit

Agite pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua polletis: pro potestate, quam accepistis.

CAPVT IV.

De Virtutibus Cardinalium ex S. Bernardo.

SANCTVS BERNARDVS in libro de consideratione ad EVGENIVM III. Papam quarto, in vnum quasi aceruum omnes Cardinalium virtutes collegit, quas hic eius verbis describam: TVVM *est*, inquit, *vndecúnque euocare, & asciscere tibi* (Cardinales) *exemplo Moysi senes, non iuuenes: sed senes non tam ætate, quam moribus, quos tu nosti, quia senes populi sunt. Non volentes, neque currentes assumito: sed cunctantes, sed renuentes, etiam coge illos, & compelle intrare. In talibus, vt opinor, requiescet* Luc. 14. *Spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecundi, sed temerati, qui præter Dominum timeant nihil, nihil sperent nisi à* DEO. *Qui aduentantium non manus attendant, sed necessitates. Qui stent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro mansuetis terræ. Qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subiecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, Catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad vnitatem. Qui sint in iudicio recti, in consilio prouidi, in iubendo discreti, in disponendo industrij, in agendo strenui, in loquendo modesti, in aduersitate securi, in prosperitate deuoti, in zelo sobrij, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in conuiuio non effusi, in cura rei familiaris non anxij, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, vbique & in omnibus circumspecti. Qui legatione*

pro Christo fungi, quotiens opus erit, nec iussi renuant, nec non iussi affectent. Qui quod verecundè excusant, obstinatius non recusent. Qui missi, post aurum non eant, sed Christum sequantur. Qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. Qui Regibus Ioannem exhibeant, Ægyptijs Moysen, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Heliſæum auaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant: diuites non palpent, sed terreant: pauperes non grauent, sed foueant: minas Principum non paueant, sed contemnant. Qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant. Qui Ecclesias non spolient, sed emendent. Qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant: famæ prouideant suæ, nec inuideant alienæ. Qui orandi studium gerant, & vsum habeant; ac de omni re orationi plus fidant, quàm suæ industriæ vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit. Quorum sermo ædificatio, quorum vita iustitia, quorum præsentia, gratia: quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant, non verbo, sed opere: reuerendos exhibeant, sed actu, non fastu. Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes; duros dure redarguant, malignantes coërceant, reddant retributionem superbis. Qui non de dote viduæ & patrimonio crucifixi, se vel suos ditare festinent, gratis
Psal. 145. 149. *dantes, quod gratis acceperunt: gratis facientes iudicium iniuriam patientibus, vindictam in nationibus, in-*
Num. 11. *crepationes in populis. Qui de tuo denique Spiritu instar illorum septuaginta Moysi, accepisse cernantur: per quem siue præsentes, siue absentes contendant placere tibi, placere* DEO. *Qui ad te redeant, fatigati quidem, sed non suffarcinati: simul & gloriantes, non quod curiosa, seu*

pretiosa

pretiosa quaq; terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monasterijs, Ecclesiis ordinem, clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Tit. 2. 13.

CAPVT V.

De ijsdem magis speciatim.

NEQVE mirum cuiquam videri debet, tam multas, támque magnas virtutes exigi à Cardinali, quia quo quis in sublimiori dignitatis Ecclesiasticæ fastigio est constitutus, hoc plures, maioréſque ab eo postulantur virtutes. *Monstruosa res*, inquit idem S. BERNARDVS in iisdem de Consideratione libris, *gradus summus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus grauis, & actus leuis: ingens auctoritas, & nutans stabilitas.* Bern. lib. 2. c. 8. Certè multi Theologorum Principes iam olim docuerunt Cardinalium Statum esse Statum perfectionis, vt AVGVSTINVS Triumphus. S. Antoninus, & Turrecremata, atque eminentiorem etiam Statu Episcoporum, ac proinde maiorem in eis charitatem, iustitiam, rerúmque temporalium despicientiam requiri, quam in ipsis Episcopis: eo quod bonum vniuersalis Ecclesiæ, ad cuius gubernationem assumuntur, & pro cuius propugnatione spondent se animas exposituros maius diuiniúsque sit, quam bonum particularium Ecclesiarum, quas administrandas suscipiunt Episcopi. Vnde cum in tridentina Synodo de Cardinalium Reformatione ageretur, ita locuti sunt Patres: *Quorum consilio apud Sanctissimum Roma-*

Augusti. in sum. q. 102. a. 2. Ant. 3. p. t. 21. c. 2. T. lib. 1. de Eccles. c. 8. Trid. Sess. 25. c. 1.

num Pontificem cum vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus, ac viuendi disciplina eos fulgere, quæ merito in se omnium oculos conuertant.

INTER omnes autem virtutes, quibus ornatus esse debet Cardinalis, merito ob similitudinem nominis principem locum dare possumus Virtutibus 4. Cardinalibus, Prudentiæ, Iustitiæ, Fortitudini & Temperantiæ, atque imprimis PRVDENTIÆ, quia est fundamentum muneris Cardinalitij. Nam cum Cardinales ad hoc instituti sint, vt sint summi Pontificis Consiliarij perpetui, quomodo id ab eis præstari poterit sine prudentia, & quidem magna atque insigni? Si enim Principis cuiusuis Consiliarium prudentem esse necesse est, quanto magis vniuersalis Principis totius Ecclesiæ per orbem terrarum diffusæ? Vt autem veram, non adulterinam prudentiam assequantur, necesse est vt finem quidem omnibus fidelibus communem habeant propositum, nempe vitam æternam, ad quam omnes conditi sumus, sed alium status sui proprium adiungant, vt Ecclesiæ propugnationem; diuini honoris propagationem, hæresum extirpationem, subleuationem summi Pontificis. Qui enim secus faciunt & tantum suis student commodis, sæpe & vita æterna excidunt, & temporalia bona, quæ ambierunt, minimè assequuntur. Sic teste S. AVGVSTINO tractatu 49. in Ioannem vsuenit Iudæis, qui cum timerent, ne temporalia perderent cum Christo, cum illis simul & vitæ æternæ iacturam fecerunt, & in Romanorum ipsorum odium inciderunt. Deinde quoad media in prudentia exequenda, opus est vt

cautio

cautionem adhibeant, in credendo, in loquendo, in promittendo, & in concedendo; ac seruent, quod S. BERNARDVS monuit Rollandū Cardinalem & Cancellarium, vt scilicet cautè obseruent, ne inter tot negotiorum tumultus, subripiatur eis verbum, quod sit indignum Pontificis dignitate. Addit verò & qualis ipse esse debeat. *Cura*, inquiens, *dilectissime & desideratissime Pater, etiam in hac dispensatione fidelis inueniri Domini seruus & prudens, quatenus & pro te faciat columbina simplicitas, & pro ea, quæ tuæ quàm maximè fidei & solicitudini credita est, Domini tui sponsa aduersus venenatas maligni & antiqui serpentis astutias militet prudentia serpentina, & in vtráque glorificetur* DEVS. Bern. ep. 334.

SECVNDVS locus inter Cardinales virtutes tribuitur IVSTITIÆ, multa enim in hoc Romano, q. totius Ecclesiæ foro quotidie accidunt, quibus contra iustitiam peccari possit: sæpe Principum causæ, & postulata parum æqua, immò etiam aliis damnosa proponuntur. Certe VRBANVS VI. mox atque renuntiatus est Pontifex, Cardinalibus omnibus conuocatis grauissimam pœnam interminatus est iis, qui causas iniustas fouerent, vel in iustis munera acciperent. Diuina siquidem lege præceptum est; *Iustè quod iustum est persequeris*, hoc est iusto modo, at non est iustus modus interueniente munere iustitiam tueri. Deut. 16. 20.

SVNT autem 4. fere iniustitiæ genera, quæ possunt committi. PRIMVM est, iniuriam alteri inferre, quod minime debet clericum. 2. Iniuriam illatam vindicare. Vnde S. AMBROSIVS: *Non hæc*, inquit, *sola est forma iustitiæ, vt non lædas eum, qui te non læserit, sed etiam illa, vt etiam remittas ei, qui te læserit.* Amb. ep. 25.

Etenim si iustitia virtus est, crimine debet vacare, nec improbitatem improbitate refellere. 3. Est, si iniuria ab altero alteri illata non prohibetur, cum prohiberi

A.cap.28. possit. Sic enim idem Pater in primo de Officiis loquitur: *Magnus iustitiæ splendor, quæ alijs potius nata, quam sibi communitatem & societatem nostram adiuuat, excelsitatem tenet, opem alijs ferat, officia non*

Bern.4. de consid. *abnuat, pericula suscipiat aliena.* Et S. BERNARDVS supra inter alia Cardinalium hoc exegit, *vt stent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro mansuetis terræ.* 4. Est, si munera accipiantur; nihil enim ita peruertit animum, vt munera, vt fusè

P. verbo, *munerum corruptela.* ostendimus in Panario, vbi & exẽplum MARTINI Cardinalis ex S. Bernardo recensuimus, qui nequaquam passus est iis se corrumpi.

Amb.1.off. c.36. III. Virtus est FORTITVDO animi, quæ teste S. AMBROSIO hæc duo exigit. 1. vt Cardinalis externa corporis bona pro minimis ducat. 2. vt ea quæ summa sunt, omnésque res honestas præclara animi intentione vsque ad effectum prosequatur. Multa enim negotia ardua, multísque impedimentis obsepta sæpe in consultationem vocantur. Nunc Principum vrget auctoritas, nunc importunæ preces amicorum, nunc familiarium beneuolentia. Quibus omnibus fortiter resistendum est, ne à recto abducatur, & imitãdus Rex Salomon, qui matri suæ alienum quippiam petenti assentiri noluit, maternámque gratiam & reuerentiam sapienter vicit. Illustre in eo genere est exemplum REGINALDI Poli, Cardinalis à Paulo III. in Galliam Legati, quem cum Rex Galliæ hostis infestissimum in suam potestatem per nuncios ad Franciscum Galliarum Regem, redigere

3. Reg.12.

conare

conaretur,& à Gallo moneretur,si saluus esse vellet,illico recederet, cum omnes viæ grassatoribus Anglis essent refertæ, comitésque ita trepidarent, vt nemo crucem ei præferre auderet, vt solet fieri Legatis Apostolicis, ipse crucem gestauit, donec famuli pudefacti eam repeterent. Cumque Belgis, ad quos saluus peruenerat, idem impius rex eius caput 50. aureorum millibus proscripsisset; Polus dixisse fertur, se quidem iamdudum mortem optare: itaque Henricum regem nihil aliud facere, quam si quis dormitum ire cupienti vestes detrahere velit. O præclaram vocem, animúmque Cardinale dignum, quẽ & factis declarauit; nec enim ante inde discessit, quam in Vrbem à Papa reuocaretur.

IV. Est TEMPERANTIA, delectationes enim corporis, in quibus moderandis versatur temperãtia, homini communes sunt cum belluis, ac ideo nihil in iis inest ingenuum & nobile, quod hominem deceat, quanto magis Principem Ecclesiæ? Hæc autem temperantia, teste Philosopho in quarto de moribus, non proprie in omnibus delectationibus sita est, sed præcipue in iis quæ ad gustatum pertinent. Etsi mensa Cardinalium, sicut & Episcoporum, aliquãto lautior esse possit, quã hominis priuati. Vult enim hoc consuetudo, patitur ratio, faciũt boni, laudatíque Cardinales, denique dignitatis splẽdor ita postulat, vt sicut in ędibus, in vestibus, in familia, ita in hoc quoque sit quædam laxitas. Sed modus hic seruandus est. Quo enim illa tanta ferculorum abundantia, tam multa condimenta, tam varia gulæ lenocinia? pretiosa vina & varia, tam exquisitæ dapes tanquam in perpetuis P. 4. Eth. c. 10.

Bacchanalibus; vt recte hanc clericorum profusionem S. HIERONYMVS irriserit. NOVI, ait, *genera & nomina piscium, in quo littore lecta sit calleo, saporibus auium discerno prouincias, & ciborũ me raritas, ac nouissimè damna ipsa delectant.* Damna ait delectare, quia cibi illi interdum non tam sapore ipso, quam sumptu commẽdantur, idque plus placet, quod pluris constitit.

Hier. ep 4.

NEC desunt exẽpla Cardinalium, qui hac virtute excelluerũt; vt IVLIANI Cæsarini à Martino V. ad dignitatem illam euecti, quem legimus longa exercuisse ieiunia, omnibus sextis feriis pane & aqua ieiunasse, & ita in eleemosynis profusum fuisse, vt à suis alter Martinus vocaretur. Similis fuit Ioãnes Caruatalus Hispanus, ab Eugenio IV. creatus, & Nicolaus Albergatus, & Thomas Sarzanensis, postea Papa electus, dictúsque Nicolaus V. Nam de B. CAROLO Borromæo nostri æui Cardinale, nihil attinet dicere, cuius vita omnium teritur manib. cuius familiares tradũt, eum quotidianis pœnitentiæ incrementis eò peruenisse, vt quotidie pane & aqua ieiunaret, exceptis Dominicis ac festis diebus, imò ante obitum etiam festos dies non parum restrinxerat, ad sola se legumina, aut olera, fructúsve arborum redigens. ANTONIVS quoque Caraffa, Cardinalis optimus, ita coercendi corporis studiosus fuit, vt præter cæteram victus parsimoniam, ter cilicio quauis hebdomade vteretur, & ter flagro in corpus suum animaduerteret. VIDE plura in libro nostri HIERON. Plati de dignitate & officio Cardinalium.

VIDE *De clerici Statu. Cõsiliariorũ. Episcopi. Põtificis summi. Prælati. Regũ & Principũ. Sacerdotum.*

CLE

CLERICORVM STATVS.

CAPVT I.

Quid nomine Clericorum intelligatur.

SANCTVS HIERONYMVS ad Nepotianum, de vita clericorum & sacerdotum, CLERICVS, inquit, *qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος græcè, sors latinè appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini, vel Dominum partem habet: talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino.* Quæ definitio perfectissimè conuenit in clericos religiosos, quales fuerunt tempore Apostolorum, cum *credentium esset cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suũ esse dicebat.* Et tempore S. AVGVSTINI Hippone in Africa, qui teste Possidio, *cum Dei seruis viuere cœpit secundum modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam, maximè vt nemo quicquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia.* Nam S. HIERONYM. loco citato mox hæc verba subiicit: *Qui Dominum possidet, & cum propheta dicit; Pars mea Dominus, nihil extra Dominũ habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus, verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem: cum istis partibus, Domi*

Hier. ep. 2.

Act. 4. 32.

P. in vita eius c. 5.

Psal. 15. 5.

Dominus pars eius fieri non dignabitur.

Isidor.cap. 12. cleros. dist.21.

QVI autem nomine Clericorum censeantur descripsit B. ISIDORVS libro sexto etymologiarum. *Generaliter*, inquiens, *clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deseruiunt, quorum gradus & nomina sunt hæc, Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolytus, subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus.* VERVM Psalmistæ non Ordinis sacri, sed officij nomen esse alibi docemus. sicut *Prima tonsura*, non ordo, sed præparatio ad ordinem est, per quam Clerici, primũ clerici esse incipiunt; nam detonsio paucorum capillorum ab Episcopo facta, designat contemptum rerum temporalium, vt ex S. HIERON. citat Gratianus.

De statu diac.

c.duo. q.1.

CAPVT II.

De Honestate vitæ Clericorum, ac I. de Tonsura.

AD honestatem vitæ Clericorum S. Patres depoposcerunt imprimis certã capitis Tonsuram, quam vocarunt coronam, qua à Laicis distinguerentur. ANICETVS siquidem Pontifex Episcopis Galliæ scribens; *Prohibete*, inquit, *fratres per vniuersas regionum vestrarum Ecclesias, vt clerici iuxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant.* Et MARTINVS Papa. *Non oportet clericos comam nutrire, & sic ministrare, sed attonso capite, auribus patentibus, & secundum Aaron talarem vestem induere, vt sint in habitu ornato.* Et GREGOR. II. in Concilio Romano. *Si quis ex clericis relaxauerit comam, anathema sit.* Et Conciliũ Carthag. IV. cui Augustinus interfuit. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam.* Et AGA-

c.prohibete. dist.23. ibid.c.non liceat. ibid.cap. si quis.

C. cap.44.

THENSE.

THENSE. *Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono etiamsi noluerint inuiti detondeantur.* Concilium Toletanum IV. iubet, vt omnes clerici toto capite detonso, solum circulum capillorum supra aures relinquant. Vnde apparet olim clericorum tonsuram talē fuisse, qualis nūc est Monachorum. c. Clerici. d. 23. Tol. 4. cano.

RATIONEM autem huius tonsuræ non eandem reddunt S. Patres. Nam S. DIONYSIVS Areopagita in Ecclesiastica Hierarchia, vult ea significari vitam puram & apertam, nulla specie fucatam, nullis fictis coloribus deformatam. S. EPIPHANIVS verò in Panario ait monachos debere esse tonsos, quia gerere cōmā longam est propriū Nazareorum testamēti veteris, & S. AVGVSTINVS libro de opere monachorum ait, Patres veteris testamenti gestasse longos capillos, quia mysteria redemptionis nondum reuelata erant. Quare nunc postquam Christus caput nostrum apparuit, conuenit, vt qui ei sunt consecrati, contrarium significent tonsione comarum. S. BEDA lib. 5. historiæ, tradit id factum ad exprimendam imaginem spineæ coronę Christi, ac S. Petrū omniū primum gestasse coronam capillorū toto reliquo capite detōso, & ad eius imitationem clericos & monachos morem illum secutos. Alij, vt B. ISIDORVS libro 2. de Officiis, & HVGO libro 2. de Sacramentis, aiunt tonsura significari debere clericos, monachósque omnia superflua, & præcipuè vitiosas cupiditates amputare, vt vertex capitis, id est, animus maneat liber & apertus diuinis contemplationibus. Et rursum addunt in tonsura ideo relinqui circulum capillorum, vt designetur eos regia q. corona redimitos: quandoquidem Dion. c. 6. Epiph. hęr. 80. Aug. in fine. Bed. c. 22. Isidor. c. 4. Hug. p. 3. c. 1.

quidem seruire DEO regnare est: Nec tamen ideo reprehendendus est mos huius tẽporis in tonsura Clericorum, quia pro temporum & locorum varietate huiusmodi ritus mutari possunt.

CAPVT III.

De Clericorum habitu.

Carth. c. 45. DEINDE exegerunt iidem S. Patres à Clericis honestum habitum. SYNODI Carthaginensis quartæ verba sunt; *Clericus professionem suam & habitu & incessu probet, & ideo nec vestibus,*

Syn. 7. cap. 16. *nec calceamentis decorem quærat.* Et Synodus VII. *Omnis iactantia & ornatura corporalis à sacrato ordine aliena est. Eos ergo Episcopos vel clericos, qui se fulgidis, & claris vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint, epitomio tradantur. Omne quippe, quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam, quem-*

B. reg. b re. c. 49. *admodum magnus ait Basilius. A priscis enim vsque temporibus omnis sacratus vir cum mediocri & vili ve-*

καὶ σειμνῆς. *ste conuersabatur. Sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitate vestimentorum. Au-*

Matth. 11. 8. *dierant enim ex Deiſona lingua; Qui mollibus ve-*

Aq. c. 124. *stiuntur, in domibus Regum sunt.* Et SYNODVS Aquisgranensis: *Oportet Canonicos sanctarum Scripturarum auctoritati parere, sanctorúmque Patrum documenta vigilanter perpendere, vt humilitatem quam corde gestant, actu, habitu, incessu, ipsa etiam equitatione religiosissimè demonstrent. Non enim specialiter præsumi debet ab aliquo, quod nõ generaliter teneatur ab*

omni

omnibus, id est, nec plus iusto cultior vestis, nec insolita atque deformis. Inter vtrumque enim virtus discretionis moderatissimè tenenda est. ZACHARIAS Papa in Synodo Romana; *Episcopi, presbyteri, diaconi* Zach.c.31.
secularibus indumentis non vtantur, nisi vt condecet, tunica sacerdotali (talari) sed neque dum ambulauerint in ciuitate, aut in via, aut in plateis, sine operimento præsumant ambulare: præter si in itinere longo ambulauerint. Quia sicut mulier orans in Ecclesia non velato capite deturpat caput suum iuxta Apostoli vocem: ita 1. Cor.11.
sacerdos sine operimento deturpat sacerdotium suum. 5.
Quod si temerè præsumpserit contra statuta agere, communione priuetur, donec quæ statuta sunt implere præsumat. Et LEO Papa IV. in Synodo Romana; Leo c.12.
Sine ornatu Sacerdotali extra domos Sacerdotes apparere non conuenit, ne vt aliquis secularium iniurias patiatur: sed ea solummodo, quæ per Patres constituta videntur, obseruet. Contrarius denique inuentus, aut desinat, aut canonicæ subiaceat disciplinæ. S. HIERONYMVS ad Napotianum de vita clericorum: Hier.ep.2.
Vestes pullas æquè deuita vt candidas, ornatus & sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Et ad Eustochium; *Vestis,* Id.ep.22.
nec satis munda, nec sordida, & nulla diuersitate notabilis, ne ad te obuium prætereuntium turba consistat, & digito monstreris: siquidem nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conueniunt Christiano. POSSIDIVS de S. Augustino in eius vita; *Vestes eius &* Poss.c.22.
calceamenta, vel lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum, quibus plerique vel iactare se insolenter homines solent, vel abycere, ex vtroque non quæ IESV Christi, Ac.12.
sed quæ sua sunt quærētes. Ipse verò in tertio libro de doctri

doctrina Christiana hanc generalem tradit regulam. *Quisquis rebus prætereuntibus restrictius vtitur, quam sese habent mores eorum, cum quibus viuit, aut temperans, aut superstitiosus est. Quisquis verò sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est.* S. BERNARDVS certè in exitu tertij libri de Consideratione, non dubitauit arguere Summum Pontificem EVGENIVM, quod neglexisset obseruationem Legum de habitu Clericorum in Synodo Rhemensi latarum: *Nonne os tuum,* inquit, *in Rhemensi Concilio dicta Capitula promulgauit? quis ea tenet? quis tenuit? falleris, si teneri putas. Si non putas, ipse peccasti, aut statuens, quæ non tenerentur, aut quæ non tenentur dissimulans. Præcipimus, aiisti, vt tam Episcopi, quàm clerici, neque in superfluitate, seu inhonesta varietate colorum, aut fissura vestium intuentium, (quorum forma & exemplum esse debent) offendant aspectum, sed potius ita in suis actibus errata condemnent, & amorem innocentiæ conuersatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis Clericorum. Quod si moniti ab Episcopis suis intra quadraginta dies non obtemperauerint, Ecclesiasticis beneficiis eorundem Pontificum auctoritate priuentur. Episcopi verò, si præfixam pœnam irrogare neglexerint, quia inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides, negligentésque Rectores, tamdiu ab officio Pontificali abstineant, donec pœnam à nobis constitutam clericis sibi subiectis imponant, &c. Quod ad primum Capitulum pertinet, luxus vestium interdictus, sed non restrictus, pœna dictata, sed minimè secuta est. Iam quartus annus est, ex quo datum mandatum audiuimus, & neminem adhuc clericorum priuatum beneficio, neminem Episcoporum*

suspensum

suspensum ab officio luximus. Et paulo post: *Solent dicere; Num de vestibus cura est* DEO? *& non magis de moribus? At forma hæc vestium deformitatis mentium, & morum, indicium est. Quid sibi vult, quod clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem castum, minúsque sincerum: nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque vt milites pugnant, neque vt clerici euangelizant, cuius ordinis sunt? Cum vtriúsque esse cupiunt, vtrúmque deserunt, vtrúmque confundunt. Vnusquisque,* inquit, *in suo ordine resurget. Isti in quo? an qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? Aut si summè sapiens* DEVS *veraciter creditur à summo vsque deorsum nihil inordinatum relinquere, vereor non alibi ordinandos, quam vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Similia habet in Declamatione ad verba: *Ecce nos reliquimus omnia.* Denique in Decreto de reformatione hæc sunt extrema SYNODI Tridentinæ verba: *Quia, etsi habitus non facit monachum,* C. Trid. c. 6. *oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant: tanta autem hodie aliquorum inoleuit temeritas, religioníque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem clericalem parui pendentes vestes etiam deferant publicè laicales, pedes in diuersis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes Ecclesiastica persona, quantumcúnque exempta, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini & dignitati congruentem, & iuxta ipsius Episcopi ordi-*

nationem & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio & beneficio ac fructibus, redditibus, & prouentibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum & beneficiorum huiusmodi coërceri possint, & debeant secundum constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam, quæ incipit; Quoniam innouando & ampliando.

Clem. lib. 3. de vita & hon. cler. c. 2.

CAPVT IV.

De Clericorum precibus & horis Canonicis.

AD honestatem quoque & munus proprium Clericorum iuxta traditiones S. Patrum pertinet, vt multo amplius, quam plebei vacent precibus, iisque certis & secundum certa tempora distinctis. Nam & in veteri testamento qui typum nostrorum Clericorum gerebant, Leuitæ soli psalmis decantandis vacabant. Vnde in primo Paralipomenon scribitur: *Dixit Dauid Principibus Leuitarum, vt constituerent de fratribus suis cantores, &c.*

1. Par. c. 15.

Ibid. c. 16. Et iterum: *Constituitque coram arca Domini de Leuitis, qui ministrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israhel.* DEINDE in testamento nouo vt liquet ex Actis Apostolicis, Apostoli posthabita rerum temporalium solicitudine, orandi officium & concionandi sibi tribui voluerunt. *Nos*, inquientes, *orationi & ministerio Verbi instantes erimus.* Sicut enim non omnium, sed certorum Ecclesiæ Dei ministrorum est Verbum Dei publicè exponere populo, ita conuenit etiam certos homines sacros instituí,

Act. 6. 4.

ſtitui, qui vacent publicis precibus habendis diuinóque officio celebrando. Si enim Reſpub. ciuilis certos aſciſcit milites, qui pro tuendis vrbis mœnibus noctu diúque vigilent & excubent, cur non & ſpiritualis vel Eccleſiaſtica Reſpublica deligat ſacros milites, qui ſimiliter nocturnis, diurniſque horis vigilent, & armis ſpiritualibus aſſiduarum precum incurſum hoſtium ſpiritalium auertant? maximè cum Dominus ipſe dicat apud Eſaiam; *Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes tota die & nocte, in perpetuum non tacebunt.* Iſa.62.6. Hæc enim verba de Eccleſiæ Paſtoribus expoſuit S. HIERONYMVS in huius loci commentario. *Qui cuſtodes*, ait, *nec diebus debent, nec noctibus tacere, ſed ſemper Domini clementiam deprecari, vt grex illius & muri Hieruſalem cuſtodiantur, & vallentur eius auxilio. Vnde & ad eoſdem cuſtodes atque Doctores ſermo dirigitur. O vos, qui recordamini Domini, eiúſque clementiam die ac nocte precibus fatigatis, cauete ne vnquam in ore veſtro ſileat oratio.*

DEINDE in variis Epiſcoporum Synodis variæ leges latæ ſunt de diuino officio à clericis certis horis peragendo. SYNODI Toletanæ primæ verba ſunt: *Si quis presbyter aut diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus, ſi intra ciuitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi officium matutinis vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non conuenerit, deponatur à clero, ſi tamen caſtigatus veniam ab Epiſcopo per ſatisfactionem noluerit promereri.* cap. 5. Diſt. 92. c. final. Et SYNODI Aquiſgranenſis patres agentes de horis diurnis & nocturnis; *Studeant*, aiunt, *ſummopere Canonici prædictas horas vigilantiſſimè cuſtodire, & in his diuinum officium* A.c.131.

humiliter ac deuotè persoluere. Psallentium autem in Ecclesia Domino mens concordare debet cum voce, vt impleatur illud Apostoli; Psallam spiritu, psallam & mente. Quoniam quamuis non lateat angelos crebro electis inuisibili adesse præsentia, vt eos vel ab hostis callidi defendant insidijs, vel maiori cœlestis desiderij gratia sustollant, maximè tamen angelici spiritus nobis adesse credendi sunt, cum diuinis specialiter mancipamur obsequijs, id est, cum Ecclesiam ingressi, vel lectionibus sacris aurem accommodamus, vel psalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel etiam Missarum solemnia celebramus, vnde Propheta ait; In conspectu angelorum psallam tibi. DEINDE AGATHENSIS, quæ citatur in Decretalibus, de celebratione Missarum; *Presbyter mane,* inquiunt, *matutinali officio expleto pensum seruitutis suæ videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperámque persoluat, ita tamen, vt horis competentibus iuxta possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur, &c. Prophetа dicente; Septies in die laudem dixi tibi, qui septenarius numerus à nobis impletur, si matutini, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ & completorij tempore nostra seruitutis officia persoluamus. Nam de nocturnis vigilijs idem ipse Propheta ait; Media nocte surgebam. Ergo his temporibus laudes creatori nostro super iudicia iustitiæ referamus.* ADHÆC Synodi Lateranensis sub Innocentio III. habitæ, hæc in clericos querela est, *Dolentes referimus, quod non solum quidam minores clerici, verum etiam aliqui Ecclesiarum Prælati circa comessationes superfluas & fabulationes illicitas fere medietatem noctis expendant, & somno residuum relinquentes vix ad diurnum concentum auium excitantur, transcurrendo vndique cõtinua syncopa matutinum.*

1. Cor. 14. 15.

Psal. 137. 1.

D. c. presbyter.

Psal. 118. 164.

Psal. 118. 62.

c. dolentes. de celebr. Miss.

Sunt

Sunt & alij, qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno, &, quod deterius est, interesse contemnunt, &c. Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum eis DEVS *dederit, studiosè celebrent pariter & deuotè.*

CVR autem in tam diuersa tempora, maxime autem in septenas horas Ecclesiasticæ preces sint distributæ ab Ecclesia iam ab Apostolico seculo causas & rationes PATRES sancti reddunt varias. I. est S. CYPRIANI, vt nempe in honorem sanctissimæ Trinitatis tertia quaque hora Ecclesia Deum collauder. II. est ATHANASII, Basilij & Cassiani ad memoriam redemptionis conseruandam, eo quod septem horis omnia eius mysteria completa videantur. Nam VESPERTINA (vnde officium Ecclesiasticum initium sumit) Christus cœnam cum discipulis faciens Eucharistiam instituit. Hora COMPLETORII orauit in horto, captus & ad Annam ac Caipham deductus & illusus est. MATVTINO in Concilio Pontificum & Pharisæorum de nece Christi actum est. PRIMA ad Pilatum & Herodem ductus. TERTIA flagellatus & spinis coronatus à Pilati milite. SEXTA crucifixus, & à terra exaltatus, se pro salute nostra maximum Deo Patri sacrificium obtulit. NONA spiritum emisit, ad inferos descendit, & regnum Satanæ destruxit. VESPERTINA rursus hora de cruce depositus & sepultus est. COMPLETORII vero sepulchrum signatum est à militibus, & custodia septum. MATVTINA sub auroram resurrexit. PRIMA apparuit sanctis mulieribus. C. serm. 6.

TERTIA spiritus sanctus descendit in Apostolos. SEXTA S. Petrus orans mandatum accepit de gentilibus in Ecclesiam recipiendis. Et S. Paulus conuersus, & Gentilibus prædicator destinatus. NONA Cornelius Centurio primitiæ gentium per angelum ad audiendum S. Petrum missus. III.

Cassian. c. 4. & 5. RATIO est CASSIANI libro 2. de institutis cœnobiorum, quia angelico magisterio canonicarum horarum ordo est constitutus. Quod confirmari potest ex eo, quod narrat ADO in Martyrologio, trucidatis tempore Diocletiani multis sacerdotibus circa eorum reliquias auditam cœlestem psalmodiam, mane, vesperi, tertia, sexta & nona, quibus martyres illi Deum laudare consueuerant.

A. 9. Ian.

CAPVT V.

De Clericorum pia conuersatione.

DVBIVM non est Clericos, instituti sui ratione, sic debere vitam moresque componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præ se ferant, *Nihil enim est*, aiunt Concil. Tridentini Patres Sessione 22. de Reformatione, *quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Cum enim à rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conijciunt, ex ijsq; sumunt, quod imitentur.* Vnde PAVLVS Apostolus Timotheo, & omnibus clericis scribit: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.*

Trid. c. 1. c. clericos. 21. dist.

1. Tim. 4. 12.

Pluri

Plurimum aut ad honestatem clerico parandam & conseruandam prodest conuersatio: nam vt regius Propheta ait: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Vnde Salomon sapientissimus ingenuè profitens, quam institutionem à Dauide patre acceperit; *Posside prudentiam,* inquit, *ne obliuiscaris, neque declines à verbis oris mei. Ne dimittas eam & custodiet te. Dilige eam, & conseruabit te. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via: Fuge ab ea, nec transeas per illam, declina, & desere illam. Non enim dormiunt, nisi cum malè fecerint, & non rapitur somnus ab eis, nisi supplantauerint. Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt. Iustorum autem semita q. lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectum diem. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; Amicus stultorum, similis efficietur. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Et S. Clemens Romanus ad Iacobum fratrem Domini scribens: *De reliquo ornent*, ait, *tam clerici quam seculares animas suas ornamentis dignissimis, dogmatibus scilicet veritatis, decore pudicitiæ, splendore iustitiæ, candore pietatis, aliisq; omnibus, quibus compositam & comptam decet esse rationabilem mentem. Tum præterea declinare à consortijs inhonestis & infidelibus, & societates habere fidelium, atque illos frequentare conuentus, in quibus de pudicitia, de iustitia, de pietate tractatur.* Et S. Cyprianvs de vnitate Ecclesiæ: *Constantis*, inquit, *Apostoli vox est. Præcipimus vobis in nomine Domini* Iesv *Christi, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè, & non secundum traditionem,*

Psal. 17. 26.

Prou. 4. 5.

Cl. epist. 2.

2. Thessal. 3. 6.

quam accepistis à nobis. Et iterum: *Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira* DEI *super filios contumaciæ. Nolite ergo esse participes eorum. Recedendum est à delinquentibus, vel imò fugiendum, ne dum quis male ambulantibus iungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, à via veri itineris exerrans pari crimine & ipse teneatur.* Hinc ergo habemus in conuersatione malos & improbos deserendos, bonos autem & probos inquirendos.

QVO autem boni & probi nobiscum conuersari velint, laborandum est, vt vicissim nos eorum amore & consuetudine dignos præstemus.

Amb.c.7. Qua de re agens S. AMBROSIVS libro primo de Officiis; *Primum nouerimus*, inquit, *nihil tam vtile, quàm diligi: nihil tam inutile, quam non amari. Nã odio haberi, exitiale ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, vt omni sedulitate commendemus existimationem, opinionémque nostram, ac primum placiditate mentis & animi benignitate influamus in aspectum hominum. Popularis enim, & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facilè illabatur humanis sensibus. Legimus enim non solum in priuatis, sed etiam in ipsis Regibus, quantum facilitas blandæ affabilitatis profuerit, aut superbia, verborúmque obfuerit tumor, vt regna ipsa labefactaret, & potestatem solueret.*

IAM verò & illud necessarium est, vt eis, à quibus nos diligi animaduertimus, mutuam dilectionis significationem rependamus, vt idem monuit S. AMBROS. nam paulo post hæc subiungit: *Ad incentiuum charitatis communis plurimum proficit, si quis vicem amantibus reddat, nec minus redamare se probet, quàm ipse amatur, idque amicitiæ fidelis patet exemplis.*

exemplis. Quid enim tam populare, quam gratia? Quid tam insitum naturæ, quam vt diligentem diligas? Quid tam inolitum atque impressum affectibus humanis, quam vt eum amare inducas in animum, à quo te amari velis? Merito Sapiens dicit; Perde pecuniam propter fratrem & amicum. Et alibi; Amicum salutare non erubescam, & à facie illius non me abscondam. Siquidem vitæ & immortalitatis medicamentum in amico esse, Ecclesiasticus sermo testatur: & summum in charitate præsidium nemo dubitauerit, cum Apostolus dicat; Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam cadit. Ideo Dauid non cecidit, quia charus fuit omnibus, & diligi à subiectis, quam timeri maluit. Prima ergo ad commendationem nostri est charitas. Hinc nascitur fides, vt committere se tuo affectui non vereantur etiam alieni, quem pluribus charum aduerterint.

Eccl. 29.
13.
Eccl. 22.
1. Cor. 13.
7.

CAPVT VI.

De Clericorum continentia.

DE Clericorum continẽtia vel castitate complures exstant veterum Synodorum sanctiones, mulcta sanctorum Patrum monita & exempla, qua de re multa reperies in nostro PANARIO in Titulo, *de Commemoratione mulierum cum Clericis vel Monachis.* Tantum hic describam ex S. HIERONYMO aurea quædam documenta clericis de hoc argumento tradita. Ita enim alloquitur NEPOTIANVM clericum, *Hospitiolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites,*

Hier. ep. 2.

nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Dauid, nec Sampsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecit. Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana, vel mater, aut probatæ qualibet apud omnes fidei. Quod si huiuscemodi non fuerint consanguinitatis, castimoniæq; personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, vt infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam conualuisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. Periculosè tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis. Si propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si lector, si Acolytus, si psaltes te sequatur, non ornentur veste, sed moribus, nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum sola secreto, & absque arbitro, vel teste, non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem maiorem, domus, virginem, viduam, vel maritatam: non est tam inhumana, vt nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Cauete omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, & oblatos ac degustatos cibos, blandásque ac dulces litterulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias, & lepores, & risu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comœdiis erubescimus, in seculi hominibus detestamur: quanto magis in monachis & clericis, quorum & sacerdotium proposito, & propositum ornatur sacerdotio.

QVOD autem è clericis, hypodiaconi, & alij maioribus ordinibus initiati etiam vouere debeant

beant DEO perpetuam continentiam, liquet ex publica Ecclesiæ Catholicæ Constitutione. Nam B. GREGORII Pontificis Romani lex est libro primo epistolarum; *Nullum facere subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit, &c. quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.* Et SYNODI Toletanæ II. decretum; *Vt quos voluntas parentum clericatus officio mancipauit, vbi 18. ætatis suæ compleuerint annum, coram totius cleri, plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo coniugio ab Episcopo perscrutetur, quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuerit, & professionem castimoniæ suæ absque coniugali necessitate spoponderint seruaturos, hi tanquam appetitores arctissimæ viæ lætissimo Domini iugo subdantur: ac primo subdiaconatus ministerium habita probatione professionis suæ à vigesimo anno suscipiant.*

Greg. ep. 42. c. nullus dist. 28.

Tol. cap. 1. c. de iis. d. 28.

QVAMVIS autem ordinandi ad sacros Ordines expressis verbis votum seruandæ continentiæ non præstent, sicut religiosi, per sacrorum tamen ordinum susceptionem, quibus ius Ecclesiasticum annexuit perpetuam continentiæ legem, hoc ipso facto & opere saltem implicitè profitentur: maximè cum ab Episcopis ante sacri Ordinis collationem moneantur, & requirantur, vt si coniugati sint, aut alicui de Matrimonio contrahendo fidem dederint, aut deinceps continenter & castè viuere nolint, discedant: si non, procumbant & genua flectant ad Ordinem sacrum suscipiendum. Neque vt ita fiat rationi & æquitati repugnat, hoc est, vt pari continentia, cum presbyteris, diaconi

coni & hypodiaconi eorum Ministri obstringantur, quia de omnibus his dictum est à Prophe-

Isa. 52. 11. ta: *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Vnde S. LEO

L. ep. 48. c. omnium, d. 32. Pontifex ad Anastasium Episcopum scribens: *Omnium*, inquit, *Sacerdotum tam excellens est electio, vt hæc quæ in aliis Ecclesiæ membris vacant culpa, in illis tamen habeantur illicita. Cum enim extra clericorum Ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectam continentiæ puritatem, nec subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, vt etiam qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares & innupti. Quod si in hoc ordine, qui quartus exstat à capite, dignum est custodiri: quanto magis in primo, vel secundo, tertióve seruandum est? ne aut Leuitico, aut presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate luxurie necdum refrænasse detegitur.*

CAPVT VII.

De Clericorum immunitate & priuilegiis.

PRIMA Immunitas vel libertas Clericorum est, quod in causis Ecclesiasticis, hoc est, quæ pendent ab Euangelio, vel canonibus Ecclesiasticis, liberi sint à secularium Principum potestate. Omnis siquidem regendæ gubernandæque Ecclesiæ auctoritas commissa est Apostolis, ac im-

Ioan. 21. 17. primis B. Petro, cum ei dictum est à Christo: *Pasce oues meas.* ergo saltem in rebus Ecclesiasticis omnes Laici, etiam Principes & iudices, sunt subiecti Petro & Ecclesiæ. Vnde Apostoli suo æuo,

cum

cum nulli adhuc Principes essent Christiani, nunquam causas Ecclesiæ ad tribunal seculare detulerunt, immò & B. Paulus in priore epistola ad Corinthios, ne quidem ciuiles cótrouersias voluit ad iudices infideles deferri. Et SVLPITIVS lib. 2. sacræ historiæ commemorat S. MARTINVM aliquando exclamasse, nouum esse & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ iudex seculi iudicaret. Ac S. AMBROSIVS epistola 78. ad Theophilum, & D. AVGVST. epist. 162. reprehendunt eos, qui causas Ecclesiæ terrenis iudicibus diiudicandas exponunt. Signatè autem dixi *immunes esse clericos in rebus Ecclesiasticis*: nam à secularium legum obseruatione quæ non repugnant sacris canonibus certe non sunt immunes. V.g. cum Princeps vel Magistratus politicus constituit pretia rebus venalibus, vt frumento vel vino, vel cum imperat ne quis noctu per vias incedat sine lumine. Cui rei ratio perspicua est, quod Clerici præterquam quod Clerici sint, sint etiam ciues & patres quædam Reipubl. politicæ. Atque ita docuit NICOLAVS I. Papa ad Michaelem Imperatorem. Et VALENTINIAN. Imperator ad Episcopos Asiæ, quam recitat THEODORETVS. 1. Cor. 6. 1. Th. lib. 4. hist. c. 7.

II. Immunitas est, quod Clerici, quando legum ciuilium sunt præuaricatores, non possint tamen à politicis Iudicibus puniri. Absurdum siquidem est pastorem ouis iudicio subiici, quod fieret si secularis iudex in causis ciuilibus, atque etiam criminalibus clericum iudicaret. Vnde cum magna laude retulit RVFFINVS libro 10. historiæ Ecclesiasticæ, & post eum B. GREGORIVS lib. 4. epistolarum, vocem illam CONSTANTINI I. Ruff. c. 2. Greg. ep. 75.

Cæsa

Cæsaris ad Episcopos; *Vos Dij estis à summo Deo constituti, æquum non est, vt homo iudicet Deos.* Et CAIVS Papa ad Felicem Episcopum,& Marcellinus epist.2. & GREG. epist.14. libri 11.exemerunt clericos à iudicio politico. Verba Synodi Chalcedonensis canone 9. sunt; *Si clericus aduersus clericum habet negotium, non relinquat Episcopum suum, & ad secularia iudicia non recurrat.* Et AGATHENSIS can. 32. Clericum nullus præsumat apud secularem iudicem, Episcopo non permittente,pulsare. Quin & IVSTINIANVS Imperator clericos & monachos in Nouellis, à seculari iudicio in causis ciuilibus exemit.

Nou. 79. 83. & 123.

III. Immunitas est,quod Clericorum bona,siue Ecclesiastica, siue secularia immunia sint à tributis Principum secularium. Constat enim id esse nunc in Ecclesia Clericos, quod erant Leuitæ in testamento, & Pontificem summum in Ecclesia Christi, non solum paris, sed maioris etiam esse auctoritatis, quam fuerit Aaron in lege veteri; *Nunc*,ait S. LEO in serm.de passione Domini, *& ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior Seniorum, & sacratior vnctio Sacerdotum.* Cum ergo Leuitæ in veteri lege exempti fuerint à tributis Principum secularium; (siquidem in libris Numerorum Deus sæpe repetit Leuitas suos esse,eósque ex omni populo à se delectos) multo magis erunt clerici in noua. Habemus & exemplum vetustissimum Iosephi Patriarchæ in Genesi,qui exemit sacerdotes Ægyptiorum à tributo Pharaonis, & Artaxerxis regis Persarum apud Esdram, qui exemit sacerdotes Israheliticos. Idem constat de sacerdotibus gentilium ex Aristotele lib.2. Oeconomicon.

L.serm.8.

Exod.30. Num.1. Num.3.

Gen.47.

1.Esad.7.

Ex

Ex Iulio Cæsare libro 6. de Bello Gallico, & Plutarcho in Camillo, aliisque. Certe & primus Christianus Imperator CONSTANTINVS Ecclesiasticos à communibus Reip. oneribus exemit, vt liquet ex epistola eius ad Auilinum apud EVSEBIVM libro Ecclesiasticæ historiæ decimo, & post eum multi alij Imperatores, ac IVSTINIANVS quidem rationem exemptionis reddit, lege, *sancimus*, Codice, de sacro sanctis Ecclesiis; *Cur enim*, inquit, *non facimus discrimen inter res diuinas & humanas, & cur non competens prærogatiua cœlesti fauori conseruetur?* Euseb. c. 7.

DENIQVE ita definitum est in Concilio Lateranensi sub ALEXANDRO III. celebrato. vbi excommunicantur omnes Laici, qui post canonicam commonitionem non desistunt exigere tributum à clericis. Et in alio Lateranensi acto sub INNOCENTIO III. vbi additur, constitutiones omnes Laicorum contra Ecclesiasticam hanc libertatem factas inanes esse, & nullo vnquã tempore valituras. Renouauit idem decretum CLEMENS V. in Concilio Viennensi, & postremo Synodus TRIDENTINA, sess. 25. monétque omnes Reges & Principes, vt curent quæ de immunitate Ecclesiastica legibus tam Politicis quã Ecclesiasticis iam olim sancita sunt, diligenter seruari. L. p. 1. c. 19. L. c. 46. c. quoniã. in Clement. Trid. c. 20.

IV. Immunitas est. Vt qui violentas manus ausus fuerit iniicere clerico, sit excommunicatus excommunicatione summo Pontifici reseruata. Ita sanxit INNOCENTIVS II. Papa in Synodo Lateranensi; *Si quis*, ait, *suadente diabolo huius sacrilegij reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vincu* Lat. c. 15. 17. q. 4 c. si quis.

vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum susciperiat. Et ALEXANDER III. libro quinto decretalium; *Non dubium est,* inquit, *quod hi, qui violentas manus in clericos, vel canonicos, aut cuiuslibet religionis conuersos iniciunt ex constitutione Concilij* (Lateranensis) *sententiam excommunicationis incurrunt, nec nisi in articulo mortis sine Romano Pontifice absolutionis possunt beneficium impetrare.* De reliquis Priuilegiis vide SYLVESTRVM in summa V. CLERICVS primo, sectione quinta.

c. non dubium: de sent. excom.

CAPVT VIII.

De quibusdam officiis Clerico Ecclesiastico iure vetitis.

PRIMVM est Mercatura, vel negotiatio propter quęstum. Negotiationem cum S. CHRYSOST. in Matthæum vocamus, *cum quis rem aliquam comparat eo animo, vt integram & non mutatam vendendo lucretur.* Per vēditionem quamlibet permutationem intelligit. Est autem clericis vetita primò, quia indecorum est hominem sacrum, profanis lucris deditum esse, vnde Apostolus in altera ad Timotheum dicit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probarit.* 2. quia plena est periculis fraudum, mendaciorum, periurij & iniustitiæ. Vnde Ecclesiasticus ait: *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt: difficile exuitur negotians à negligentia* (nempe rerum ad salutem pertinentium) *& non iustificabitur caupo à peccatis.* Et Apostolus in 1. ad Timotheum: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus:*

Chr. hom. 38.

2. Tim. 2. 3.

Eccl. 26.

1. Tim. 6. 8.

Et

Et rationem subdit: *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

S. PATRES idem docent. GELASII I. epistola ad Episcopos per Lucaniam verba sunt: *Consequens est, vt illa quoque quæ de Picenis partibus nuper ad nos missa relatio nuntiauit, non prætereunda putaremus, id est, plurimos clericorum negotiationibus inhonestis & turpibus inhiare lucris, nullo pudore censentes Euangelicam lectionem, qua ipse Dominus negotiatores ex templo verberatos asseritur expulisse, nec Apostolica verba recolentes, quibus ait; Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. Psalmistam quoque surda aure, dissimulantes aure cantantem; Quoniam non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini. Proinde huiusmodi aut ab indignis posthac quæstibus nouerint abstinendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio, cupiditatéque cessandum, aut in quocunque gradu sint positi mox à clericalibus officijs cogantur abstinere, quoniam Domus Dei domus orationis & esse & dici debet, ne per officia negotiationis potius sit latronum spelunca.* Et S. HIERONYMVS ad Nepotianum; *Negotiatorem*, inquit, *clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge.* Et S. AVGVSTINVS libro quæstionum veteris & noui testamenti. *Fornicari hominibus semper non licet, negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto iam non licet.* Et in NICÆNO Concilio: *Quoniam multi auaritiæ causa turpia lucra sectantes, obliti sunt diuini præcepti, quo dictum est: Qui pecu-*

cap. consequés. dist. 88.

Ioan. 2. 15.

2. Tim. 2. 2.

Psalm. 70. 16.

Hier. 7. 11. Matth. 21. 13.

Hier. ep. 2.

Nic. c. 17.

Psal. 14 5.

niam suam non dedit ad vsurã, statuit hoc sanctum Concilium, vt si quis inuentus fuerit post hanc definitionem ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, deijciatur à clero, & alienus habeatur ab Ecclesiastico gradu. Et in

T. cap. 1. Concil. Tarraconensi; *Canonum statutis firmatum est, vt quicunque in clero esse voluerit, emendi vilius & vendendi carius studio non vtatur, quod si exercere voluerit,*

c. secundũ. ne cler. vel mon. *cohibeatur à clero.* Immo in Decretalibus ALEXANDER III. ad Londonensem Episcopum; *Sub interminatione anathematis,* inquit, *prohibemus, ne monachi vel clerici causa lucri negotientur.* Vnde liquet peccare clericos in sacris constitutos mortaliter, si multum negotiationi dent operam, maximè sine

c. multa. tit. cit. Act. 18. 3. necessitate. Nam vt habet Conc. Moguntinum; *Nec tamen iustum negotium est contradicendum propter necessitates diuersas, quia legimus sanctos Apostolos negotiatos fuisse, & in regula B. Benedicti præcipitur prouideri, per quorum manus negotia monasterij procurentur.*

c. multa. tit. cit. II. Officium est opificium vel artificium Mechanicum mera spe lucri susceptum. Hoc autem artificium discrepat à negotiatione, quod per hanc res empta, non mutata materia, vt diximus ex S. Chrysostomo, vendatur, per illud vero mutata per artem in meliorem formam vendantur, vt cum ex viminibus fiunt sportæ, ex corio, ligno & charta conficitur liber. DICO ergo etiamsi à Clerico in sacris constituto, vel monacho ex professo sicut fit à secularibus opificibus, mera spe lucri, sine vlla necessitate palam eiusmodi artificium exerceri non possit, posse tamen necessaria ad vitam artificio aliquo honesto comparari. Nam primo habemus exemplum D. Pauli, qui victus parandi causa scenefactoriam exercuit,

vt est

vt est in Actorum Apostolicorum historia. Deinde exemplum veterum eremitarum, pœne innumerabilium, qui vt haberent vnde viuerent ex præscripto Regulæ id faciebant. Aliquando enim tria millia monachorum erant sub vno Abbate, teste S. AVGVSTINO libro primo de Moribus Ecclesiæ. Vnde S. HIERONYM. agens de viuendi forma ita scribit ad Rusticum monachum: *Facito aliquid operis, vt semper te diabolus inueniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere, laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in vsus tuos cessura non præparas? Vel fiscellam texe iunco, vel canistrum lentis plecte viminibus, sarriatur humus, areolæ æquo limite diuidantur, in quibus cum olerum iacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ, vt pulcherrimorum versuum spectator assistas. Ecce supercilio cliuosi tramitis vndam, Elicit: illa cadens raucum per læuia murmur, saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arua. Inserantur fructuosæ arbores, vel gemmis, vel surculis, vt paruo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomonis prouerbia. Texantur & lina capiendis piscibus: scribantur libri vt & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant, non tã propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem.* Act. 18. 3. Aug. c. 31. Hier. ep. 4. 1. Thess. 2.

III. OFFICIVM, vel Exercitium Medici & Chirurgi, quando vtuntur adustione & incisione: nisi miserabilibus personis, remoto periculo salutis, ex pietate id beneficium forte præstiterint, vel consanguineis. Ita in Synodo Generali,

Constit. xviij. c. sétiam. ne cler. vel mon. c. tua nos.

teste GREGOR. IX. in Decretalibus definitum est; *Nec vllam*, inquit, *chirurgiæ artem subdiaconus, diaconus, vel sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit.* Eodem tempore INNOC. III. Papa, vt ibidem habetur in Decretalibus titulo de Homicidio voluntario cuidam Abbati percontanti de Monacho sacerdote an irregularitatem incurrisset, quod cuidam mulieri ægræ suasisset, ne se exponeret vento, quæ postea non parens consilio obierit, in hæc verba respondit: *Nos igitur f. t. respondemus, quod licet ipse monachus multum deliquerit officium alienum vsurpando, quod sibi minimè congruebat; si tamen causa pietatis & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnémque quam debuit diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium eius accidit, adeò reprobandus, quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, vt diuina valeat celebrare: alioqui interdicenda est sacerdotalis ordinis executio de rigore.*

IV. OFFICIVM Venatoris & Aucupis. Nam

Psalm. 90.

S. HIERONYMVS in verba Psalmi: *Ipse me liberabit de laqueo venantium*, ita scribit: *Multi sunt venatores in isto mundo, qui animam nostram venari conantur. Denique & Nemrod ille Gigas, magnus in conspectu* DEI *venator fuit. Et Esau venator erat, quoniam peccator erat, & penitus non in Scripturis sanctis, sanctum aliquem venatorem, Piscatores inuenimus sanctos.* Et S. AVGVSTINVS in Psalmum 102. generatim affirmat, qui aliquid donat venatoribus, *donare aliquid peccatoribus propter peccatũ*, & subiungit: *Dicant mihi, quare donant venatori? Hoc in illo amant, in quo nequissimus est, ipsam nequitiam publicam in spectaculis omnium.* NICOLAVS deinde Papa, apud

c. quorundam. dist. 34.

Gratia

Gratianum, ad Aluinum Archiepiscopum de quodã Lanfredo Episcopo Venatore ita scribit: *Oportet fraternitatem tuam Synodale cum Episcopis & suffraganeis tuis conuocare Concilium, & hunc salutaribus eloquijs Episcopum conuenire, atque illi pastorali auctoritate præcipere, quatenus ab omnium bestiarum vel volucrum venatione penitus alienus existat. Quod si parere contempserit, & pro venationis delectatione vitanda vobis admonentibus obedire distulerit, à vestro Collegio excommunicatus abscedat.* In Concilio autem AVRELIANEN. relato in Decretalibus hic extat canon: *Episcopum, presbyterum aut diaconum canes aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus à communione, si presbyter duobus, si Diaconus ab omni officio suspendatur.* Et rursus in eodem: *Omnibus seruis* DEI *venationes & syluaticas fatigationes cum canibus, & accipitres, aut falcones habere interdicimus.* Deinde CLEMENS V. in Concilio Viennensi, vt habetur in Clementin. de Statu Monachorum: *Porrò*, inquit, *à venationibus & aucupationibus omnes semper abstineant, nec ijs interesse, aut canes, vel aues venaticas per se vel alios tenere præsumant, nec à familiaribus secum morantibus teneri permittant, nisi saltus, viuaria vel garinas proprias, vel ius venandi in alienis haberent, in quibus cuniculi, vel feræ alienæ forsan essent, quo casu hoc eis permittitur, dum tamen intra monasteria seu domos, quas inhabitant, aut eorum clausuras venaticos canes non teneant, nec venationi præsentiam exhibeant personalem.* Et paulo post: *Si qui vero eorum venationi aut aucupationi clamosè vel alias cum canibus aut auibus ex proposito*

cap. Episcopum de cler. venat.

Ibid. cap. omnibus.

Cap. 1.

interfuerint, iuxta præmissarum personarum distinctionem dictarum suspensionis & inhabilitatis pœnas per biennium ipso facto incurrant: Abbate autem vel Priore à collatione beneficiorum suspenso, &c. SYNODVS denique Tridentina sessione 24. de Reformatione clericis præcipit, *vt ab illicitis venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, luſibúſque abſtineant, atque morum integritate polleant, vt merito Eccleſiæ Senatus dici poſſit.* Bene autem monet de illicitis venationibus, cuiusmodi sunt clamosæ: nam si sine clamoribus & magno strepitu instituantur, causa recreationis vel necessitatis, (nempe quando feræ noxiæ sunt alienis agris, vineis vel hortis) licitæ sint. Imo si cum clamore fiat venatio ab Episcopo vel alio clerico, sed non sæpius, non ideo Episcopus Venator appellandus est, quia in canone Concil. Aurelianensis diserte dicitur: *Si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit.* S. AVGVSTINVS autem supra de illicitis venationibus est locutus, nimirum de periculosis, quæ in publicis spectaculis olim cum feris belluis instituebantur, sicut & S. HIERONYMVS de clamosis & inquietis.

Trid. c. 12.

V. OFFICIVM Histrionis vel Mimi in publicis theatris. Nam INNOCENT. III. Pontifex in Concilio Generali, vt refertur in Decretalibus titulo de vita & honestate Clericorum, hanc legem tulit: *Mimis, ioculatoribus, & histrionibus non intendant clerici.* Et BONIFACIVS VIII. in VI. Decretalium: *Clerici*, ait, *qui clericalis ordinis dignitati non modicam detrahentes se ioculatores, seu goliardos faciunt, aut bufones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso iure: si autem tempore breuiori,*

C. c. 14. cap. clerici officia.

S. c. clerici.

uiori, & tertio moniti non resipuerint, careant omni priuilegio clericali.

ADDE clericos non posse etiam huiusmodi ludis theatralibus interesse: nam Concilium Laodicense, apud Gratianum, de Consecratione, ita loquitur: *Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptijs, aut scenis exhibentur, interesse, sed antequam thymelici ingrediantur, surgere eos de conuiuio & abire.* Certe S. CYPRIAN. negat histrionem debere admitti ad communionem Catholicam. & S. CHRYSOST. populum spectacula gentilitia adeuntem à sacra mensa arcebat. PIVS V. quoque Papa in Constit. anni 1566. sub grauissima pœna vetuit, ne clerici choreas, comœdias, fabulas, hastiludia, aut profanum vllum spectaculi genus agerent, vel spectarent.

L. c. 54. c. non oportet, dist. 5.

Cyp. lib. 2. ep. 10.

Chryf. ho. 5. de Dauid & Saul.

VIDE V. De statu Diaconi, Episcopi, Prælatorum, Sacerdotis.

DE CONSILIARIORVM STATV.

CAPVT I.

Quos nomine Consiliariorum intelligamus, & de eorum Dignitate.

CONSILIARIOS hoc loco appellamus, non quosuis homines, qui consilium aliquod siue priuatim, siue publice suppeditant, sed qui ob eximiam prudentiam & doctrinam ad hoc munus delecti sunt, vt sint Principibus, vel Magistratibus, siue Ecclesiasticis,

siasticis, siue Politicis à consilio, & propriè Consiliarij Principum, vel Reipublicæ alicuius Senatores vocantur. QVORVM dignitas ex duplici capite sumi & cognosci potest. Primum quidem ex dignitate Regum, Principum vel Magistratuum, quibus in commune consilium suum præbere tenentur; Quo enim nobiliores & eminentiores solent esse Domini, hoc maiori in pretio & existimatione habentur eorum ministri & assecłæ. SECVNDO cognoscitur ex functione consulendi. Consulere enim actio Virtutis PRVDENTIÆ est inter Cardinales Virtutes primæ &
Tit. Prudentia. præstantissimæ, vt ostendimus in nostro VIRIDARIO; *Melior est acquisitio eius* (prudentiæ) ait
Prou. 3. 14. SALOMON, *negotiatione argenti, & auri primi, &*
Eccl. 37. 29. *purissimi fructus eius.* Et Ecclesiasticus; *Sapiens in po-*
Bas. hom. 12. *pulo hæreditabit honorem, & nomen illius erit viuens in æternum.* S. BASILIVS in principium Prouerbiorum ita de ea loquitur; *Prudentiam vnam ex virtutibus præclaris existere palam est, qua bonorum & malorum & indifferentium nos homines scientes reddi-*
Orat. 21. *mur.* Et in oratione de felicitate; *Profecto diuina quadam res est consilium: est námque animi coniunctio, charitatis fructus, mentis demissæ demonstratio.* Immò
Cass c. 2. IOAN. CASSIANVS collatione secunda, & S.
Ber. serm. 49. BERNARDVS in Cantica aiunt eam non solum esse præstantissimam virtutem, verum etiam omnium virtutum generatricem, moderatricem, & custodem. *Tolle hanc,* inquit Bernardus, *& Virtus vitium erit.* NEC aliud solo naturæ lumine collu-
Arist c. 13. strati prisci Philosophi. Aristoteles siquidem in sexto de Moribus inficiatur quidquam propriè bonum existere citra prudentiam. Et in Rhetor.

ad

ad Alexandrum, *Consiliari*, ait, *eorum, quæ inter homines diuinissimum est.* CICERO in altera Tusculana, ne intelligi quider[illegible]c ea vllam virtutem posse. SENECA ad L[illegible]m, satis esse ad vitam Senec. ep. 85.
[illegible] IVVENALIS in Satyris. Iuuen. Sat. 10.
[illegible]llum numen abest, inquit, *si sit prudentia.*

Hæc de dignitate. NECESSITAS verò & Vtilitas Consiliariorum tanta est, quanta est bonorum & salutarium consiliorum, de quibus egimus in VIRIDARIO titulo, de PRVDENTIA. Virid. c. 2.

CAPVT II.

De Consiliariorum Virtutibus.

A CONSILIARIO autem merito id primum exigitur, vt vera virtute præditus sit, atque imprimis fide vera & Catholica, quæ omnium virtutum fundamentum est, *Sine fide* enim, teste Apostolo, *impossibile est placere Deo.* cur ergo fide illa, ac proinde virtute destitutus placeat Catholico Principi vel Magistratui? *Quis è turbida aqua*, differit S. AMBROSIVS secundo de officiis, *potum petat? quis in cœno fontem requirat? quis vtilem alienæ causæ iudicet, quem videt inutilem vitæ suæ? quonam modo potes iudicare consilio superiorem, quem vides inferiorem moribus?* Huc pertinet quod A. GELLIVS libro XVIII. commemorat: *Populus*, inquit, *Lacedæmonius de summa Rep. sua quidnam esset vtile & honestum deliberabat: tum exurgit sententiæ dicendæ gratia homo quispiam turpitudine pristinæ vitæ defamatissimus, sed lingua tunc atque facundia nimium quanto præstabilis: consilium quod dabat, quoque oportere fieri suadebat, acceptiũ ab vniuersis,* Heb. 11. 6. Ambr. c. 8. & 12. A. c. 3.

& complacitum est, futurúmque erat ex eius sententia populi decretum. Ibi vnus ex illo Principum ordine, quos Lacedæmonij ætatis dignitatisque maiestate tanquam arbitros & magistros disciplinæ publicæ verebantur, commoto iratoq; animo exilit. Et quænam, inquit, Lacedæmonij ratio, aut quæ tandem spes erit vrbem hanc, & hanc Rempublicam, inexpugnabilémque diutius esse posse, si huiusmodi anteactæ vitæ hominibus consiliariis vtemur? Atque vbi hoc dixit, elegit virum fortitudine atque iustitia præter alios præstantem, sed inopi lingua, & infacundum: iussitq; eum eonsensu petitúque omnium eandem illam sententiam diserti viri cuiusmodi posset verbis dicere, vt nulla prioris mentione habita scitum atque decretum populi ex eius vnius nomine fieret, quod ipsum denuo dixerat. Atque ita vt suaserat prudentissimus senex factum est. Sic bona sententia mansit: turpis auctor mutatus est. Hæc Gellius. QVONIAM autem consilium, vnde nomenclaturã capiunt Consiliarij, Prudentiæ actus est, merito inter eorum virtutes principem locum tribuimus Prudentiæ.

I. Ergo virtus eorum sit PRVDENTIA, hoc est, rerum agendarum omittendarúmve notitia, vt definit BASILIVS in principium Prouerbiorum. & AVGVSTINVS de libero arbitrio. Hæc siquidem prudentia, directrix & auriga, vt loquebatur S. BERNARDVS loco supra allegato, omnium virtutum, vnde PLATO in Menone: *Prudentia sola præit, & ducit ad rectè faciendum.* Vt enim architectis opus nullum recte processerit sine libella & linea, ita nec Consiliariis, sine norma hac directrice. Quare vere scripsit M. TVLLIVS libro 5. de finibus: *Prudentiam esse artem viuendi, vt medicinam valetudinis.* Hæc siquidem est, quæ *præ-*

sentia

sentia ordinat, futura prouidet, & præterita recordatur: quæ fallere non vult, & falli non potest. Nam vt bene MENANDER Auctor libri de 4. virtut.

Ἅπαντα δῆλα τῷ φρονεῖν καθίσταται.

Famulatus omne, quidquid est, Prudentiæ.

II. VIRTVS, RERVM peritia & vsus, eoque maior, quo potentior Princeps cui sunt à consilio, quoque grauiores causæ in Senatu pertractantur. Vnde Sapientia ipsa apud SALOMONEM ita loquitur: *Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis interfum cogitationibus.* Et S. GREG. Nazianz. inter tria, quibus ornatum vult Consiliarium, est rerum vsus. M. TVLLII in altero de Oratore dictum est: *Ad consilium de Republ. dandum caput est, nosse Rempubl.* Et PLATO in Alcibiade breuiter scripsit: *Consilium eius est, qui rei cuiusque peritus.* Et in Phrædo: *In omni re consulendi*, inquit, *principium est, nosse id, de quo consilium institutum, aut tota via aberrare necessum est.* Nec mirum. Nam vti si quis Grammaticum se profiteatur Grammaticæ ignarus, vel Medicum, qui operam Medicinæ non dederit, ridiculus habetur, sic Consiliarius earum rerum imperitus, quæ in Principum Consiliis aguntur, omnium ludibrio se exponit. Vnde videmus sapientes Principes, quando ad manum non sunt periti earum rerum, de quibus consilium capiendum est, aliunde aduocare earum gnaros, vt viros militares, si de bello gerendo: Iureconsultos, si de quæstionibus iuris, Architectos, si de palatio extruendo, Theologos, si de materia ad conscientiam pertinente disceptandum sit. *Vnusquisque enim*, vt loquitur Ecclesiasticus, *in arte sua sapiens est.* Et: *Anima viri sancti enũtiat aliquãdo vera, quam*

Prou. 8. 12.

N. in carmine.

C. in 2. Tuscul.

P. Alcib. 1.

Eccl. 38. 35.

Eccl. 37. 18.

quam septem circumspectores sedentes in excelso.

III. Virtus est FIDES, vel fidelitas. Nazianzenus loco citato vocat charitatem, in Principem scilicet cui consulit; quæ aliud non est, quàm voluntas iuuandi eum, cui consilium datur, posthabita commodi proprij ratione: *Nullus enim*, inquit alter GREG. Romanus, *tibi fidelior esse ad consilium*
Greg. 1. ep. 33. *potest, quam qui non sua, sed te diligit.* Hæc Fides vel charitas à cõsiliario exigit puram intentionem, & constãtem voluntatẽ ea tantum suadendi vel dissuadendi, quæ animaduerterit esse è Republ. sic vt neq; gratia Principis, neq; proprij vel quæstus spe, neque damni metu ab eo quod æquum & iustum
Ber. ep. 42. est mentem suam dimoueri sinat. Vnde S. BERNARDVS in epistola ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Omnes*, ait, *iuxta Domini præceptum, etiam inimici, diligantur, sed ad consilium soli eligantur, qui & prudentes esse videantur & beneuoli: absque prudentia & beneuolentia non sunt perfecta con-*
Mar. c. 8. 32. *silia. Propterea Dominus & imprudens discipuli, & fratrum infidele consilium refutabat, respondens improuido; Non sapis, quæ DEI sunt, & maleuolis; Vos*
Ioan. 7. 8. *ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam. Nec istorum malitiæ, nec illius imprudentiæ se credendum putauit. Quærens denique cui se credere debeat, cui tuto sua committat dispensanda mysteria, & quasi difficile inueniens, sub admiratione interrogat; Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Do-*
Matth. 24. 45. *minus super familiam suam? Quamobrem & Petro curam ouium crediturus, prius eius studuit probare be-*
Ioan. 21. 15. *neuolentiam, ter sciscitans si se diligeret? Vix in multitudine hominum vnum reperias in vtraque gratia consummatum. Haud facile siquidem, vel prudenti beneuolen*

neuolentiam, vel fideli ineſſe ſapientiam deprehendas.

IV. Eſt LIBERTAS in dicenda ſententia. Hanc virtutem in Conſiliario tertiam poſtulauit dictus GREG. Theologus, dum ait: *Nam trina cum ſint, vt vetus ſenſit cohors, pollere debet optimus monitor, quibus Rerum vſus, ingens charitas, os liberum. In me requires prorſus ex tribus nihil.* Qui enim hac libertate deſtitutus eſt, ſimilis profecto eſt militi ab armis inſtructiſſimo, qui dum pugnandum eſt, ex vagina gladium educere, hoſtemque ferire non audet. Vnde Sapiens his verbis Principem commonefacit: *A conſiliario ſerua animam tuam, prius ſcito quæ ſit illius neceſſitas, & ipſe enim animo ſuo cogitabit, ne forte mittat ſudem in terram, & dicat tibi. Bona eſt via tua, & ſtet è contrario videre, quid tibi eueniat.* vbi mittere ſudem in terram eſt periculum rei facere, & tentare quis ſit rei exitus futurus, ſicuti ſudibus & palis præacutis tentatur fundus terræ, qualis ſit. Eadem de cauſa S. AMBROSIVS in epiſtola ad Theodoſium Imperatorem agens de Epiſcopo Principi à conſiliis: *Clementiæ tuæ*, inquit, *diſplicere debet Sacerdotis ſilentium, libertas placere: nam ſilentij mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris.* Apud Ethnicos quoque Theopompus rogatus, qua ratione quis ſartum tectum regnum ſeruare queat, teſte PLVTARCHO, reſpondiſſe fertur: *Si iuſtam dicendi libertatem Princeps amicis permittat, & ſubditorum, quantum fieri poteſt, vindicet iniurias.* Quo & SOLONIS dictum collimat, *Conſulenda non quæ ſuauiſſima, ſed quæ optima ſint.* Verum rara hæc nimis in Aulis Principum Virtus eſt, & ſemper fuit: *Monſtrabo tibi*, ait SENECA in

N. in carm.

Eccl. 37. 91.

Ambr. l. 5. ep. 29.

Plutar. in Apopht.

Laer. in Solon.

Sen. c. 30.

VI.

VI. De beneficiis, *cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet ille, qui verum dicat. Non vides, quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadétque, sed adulandi certamen est, & vnum amicorum officium, vna contentio, quis blandissimè fallat?* Subiicit deinde exemplum XERXIS, cui, cum bellum Græciæ indiceret, alij è Consiliariis alia per adulationem consulerent, vnus DEMARATVS Lacedæmonius non veritus est veritatem patefacere. Quamobrem XERXES post infelicem belli exitum, *pudore quam damno*, inquit SENECA, *miserior, Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, & permisit petere, quod vellet.*

d.c.31.

V. Est SENECTVS, non tam annorum numero computata, quam moribus; *Senectus venerabilis est*, ait Sapiens, *non diuturna, neque annorum numero computata. Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Et Ecclesiasticus; *Quam speciosum canitiei iudicium. Quam speciosa veteranis sapientia, & glorioſus intellectus, & consilium? Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor DEI.* Nec non B. IOB; *In antiquis est sapientia, & in multo tẽpore prudentia.* SALLVSTIVS quoque in Catilinaria senes requirit, *quorum corpus licet annis infirmum, ingenium tamen sapientia validum sit.* PINDARI dictum est, vt liquet è Plutarchi Lycurgo. *Consilia senum, hastas iuuenum esse.* Cum quo cõgruit illud Aristoteleum in 7. Politico. *Vires in iuuenibus, prudentia in senibus.* IVVENES certè non solum à consiliis, sed etiam à Republ. arcendos duę persuadent

Sap.4.8.

Eccl.25.6.

Iob 12.12.

A.c.9.

dent causæ. Prior quod impetu & temeritate ferantur, at *cum ad gubernacula*, teste M. TVLLIO de Senectute, *temerarij atque audaces homines accedunt, maxima & miserrima naufragia fiunt.* Exemplum habemus in sacra Regum historia de ROBOAM filio Salomonis, regni paterni hærede, qui quod maluisset iuuenum, quàm seniorum consiliis annuere, pœne totius regni iacturâ fecit. Posterior est, quia in eam ætatem non cadit ea auctoritas, quæ ad suadendum, iubendúmque magnopere valeat. Quare SOLON, teste Stobæo, lege vetuit, ne valde iuuenis, aut Magistratum gereret, aut à consiliis Magistratui esset, etiamsi à mente optimè constitutus videretur. 3. Reg. 12.

VI. Est CONSTANTIA in consiliis, iuxta illud Sapientis; *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Quare SALLVSTIVS alicubi arguit eos consiliarios, qui *ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur, interdum alia, deinde alia decernunt, vti eorum, qui dominantur, simultas atque arrogantia fert, ita bonum malúmve publicum existimant. Plerumque enim regiæ voluntates*, vt idem loquitur in historia belli Iugurthini, *vt vehementes, sic mobiles, sæpe ipsæ sibi aduersæ.* facile enim cupiunt, quod auersabantur, & oderunt, quod amabant. NEQ. ita constantem volumus esse consiliarium, vt nunquam consilium mutet. Hoc enim Dei solius est. Potest enim fieri, vt non animaduerterit noxium esse suum consilium, vt expediat etiam consilium licet bonum, in melius commutare. Nemo autẽ doctus, vt recte dixit M. TVLLIVS ad Atticum, mutationem cõsilij in melius affirmarit esse constantiam. Eccl. 37. 20. S. ad Cæs. Tull. libr. 16. ep. 4. Sen c. 38.

Sapientis

Sapientis SENECÆ oratio est in 4. de beneficiis: *Non est leuitas, à cognito & damnato errore discedere. Hæc verò superbæ stultitiæ perseuerantia est. Quod semel dixi, qualecumque est fixum ratúmque sit. Non est turpe*
Id. cap. 34. c. 35. *cum re mutare consilium*; Et rursus; *Illud superbum promissum, nunquam sapientem facti sui pœnitere, nec vnquam emendare quod fecerit, nec mutare consilium.* Et: *Tunc fidem fallam, tunc incōstantiæ crimen audiam, si cum omnia eadem sint, quæ erant promittente me, non præstitero promissum. Alioquin quicquid mutatur, libertatē facit de integro consulendi.* Consilia ad euentus & tempora accommodanda & sæpe inflectenda sunt, atque vt
Plat. x. de Rep. PLATO ait, *oportet tanquā in telorum iactu ad id quod ceciderit, res suas aptare, quocumque modo ratio id optimum esse duxerit.*

VII. Virtus est SILENTIVM earum rerum, quæ in consilium sunt vocatæ; *Qui ambulat fraudulenter*,
Prou. 11. 13. ait SALOMON, *reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum*; Consentit Poëta canens:

Ouid. 2. de arte Amā. *Eximia est virtus præstare silentia rebus:*
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.

Eccl. 27. 24. Et SYRACIDES: *Denudare*, ait, *amici mysteria, desperatio est animæ infelicis*. nempe recuperandæ amicitiæ cum eo, cuius arcana patefecit. At consi-
Val. l. 2. c. 2. liario quis maior amicus esse debet Principe? VALERII MAX. sententia est; *Taciturnitas optimum atque tutissimum rerum administrandarum vinculum.* ALEXANDER Magnus cum arcanas quasdam literas Hephæstioni Consiliario legisset, detractum annulum ori eius admouit, indicans silen-
Am. lib. 21. tio negotium premendum. AMMIANVS Marcellin. scribit apud Persas neminem esse consiliorum

rum conſcium, præter Optimates, taciturnos, & fidos, apud quos Silentij quoque DEVS colitur. VALERIVS quoque teſtatur apud Romanos Curiam in tanto numero Senatorum ſilentio ſic vndique clauſam, vt neminem audiſſe crederes, quod tam multorum auribus fuerat commiſſum. Et LIVIVS commemorat de Eumene Rege, cum Romam veniſſet, & Regem Perſen in Senatu accuſaſſet, déque toto bello cum Patribus deliberaſſet, nihil ſciri potuiſſe, niſi Regem in Curia fuiſſe: perfecto autem bello prius emanaſſe, quid à Rege dictum, & à Senatu reſponſum fuiſſet. Vale. lib. 2. c. 2. Liu. lib. 42. Val. l. cit.

CAPVT III.

De Mediis, quibus eorum conſilia iuuari poſſint.

PRIMVM Medium eſt, libenter percontari iudicia & ſententias doctiorum & ſapientiorum. Nemo enim ita prudens eſt, quin alio audito prudentior fieri poſſit. *Da occaſionem ſapienti*, ait Spiritus Sanctus in Prouerbiis, *Et addetur ei ſapientia.* Et *Audiens ſapiens, ſapientior erit.* Et; *Qui ſapiens eſt, audit conſilia.* Et in Eccleſiaſtico; *Non te prætereat narratio Seniorum, ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis. Conſiliarijs omnes opus habent*, ait CHRYSOST. de laudibus S. Pauli, *etiamſi Moyſi conferri poſſint.* Et HIERON. in Iſaiam; *Græci Poëtæ laudabilis illa & admiranda ſententia eſt, primum eſſe beatum, qui per ſe ſapiat: ſecundum, qui ſapientem audiat.* Et BASILIVS in eundem; *Intolerabilis eſt ſuperbiæ argumentum, exiſtimare ſe nullius egere conſilio.* Et AMBROSIVS primo de officiis; *Negligere bonorum iudicia, vel arrogantiæ, vel diſſolutionis eſt: quorum* Prou. 9. 3. Prou. 1. 5. Prou. 12. 15. Eccl. 32. 24. Chr. hom. 9. Hieron. in c. 3. Baſ. in c. 1. Iſa. Amb. c. 47.

alterum superbiæ asscribitur, alterum negligentiæ.

II. Medium est, sedulo legere Pandectas iuris, & responsa Iureconsultorum, atque imprimis sacras æque ac profanas Veterum recentiúmque
Cic. 1. de Oratore. scriptorum historias. HISTORIA enim teste M. TVLLIO *lux veritatis est, & magistra vitæ. In qua tanquam in speculo ornare & componere vitam*
P. In Timoleonte. *tuam,* vt loquitur Plutarchus, *ad alienas virtutes po-*
L. 1. Dec. *tes. In qua,* LIVIO auctore, *hoc præcipue salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita intueri: vt inde tibi, tuæq; Reip. quod imitere, capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Eandem ad publicas deliberationes perutilem fatetur in Rhetoricis Philosophorum Princeps. Qua
Alex. 1. c. 5. de causa & Imperator ALEXANDER consiliis tam togæ quam militiæ historiarum peritissimos, vt habet Lampridius, adhibuit. Et ALPHONSVS quondam Siciliæ Rex libros historiarum solitus
Basil. c. 56. c. monit. est appellare *Consiliarios mortuos.* BASILIVS quoque Orientis Imperator non dubitauit eos LEONI filio, Principi futuro impense commendare, *Per historias veteres,* inquiens, *ire ne recusa. Ibi enim reperies sine labore, quæ alij cum labore collegerunt; illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, mundi huius instabilitatem & Imperiorum præcipites casus. Et vt verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia, quorum illa fugies, ne in diuinæ iustitiæ manus incidas, hæc amplecteris, vt præmijs quæ ea comitantur, potiaris.* Hæc ille in monitoriis capitibus.

III. Medium est, firmiter apud animum suum constituere, se nihil suasurum vel dissuasurum in

Consi

Consiliis, quod impium sit, vel diuinæ voluntati manifeste repugnet. *Non enim est sapientia*, teste SALOMONE, *non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Inite consilium*, inquit Isaias, *& dissipabitur.* Et, *Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt; Quis videt nos, & quis nouit nos? Peruersa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo; Non fecisti me,* & figmentum dicat fictori suo, *non intelligis.* Et; *Væ filij desertores, vt faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem.* Vnde concludit Ecclesiasticus: *Facienti inquinissimum consilium super ipsum deuoluetur, & non agnoscet vnde aduenerit illi.* Cum qua sententia conuenit illud prouerbium: *Malum consilium consultori pessimum:* Id verissimum esse testantur exempla tum sacræ, tum profanæ historiæ quamplurima. SACRÆ quidem: nam quis exitus fuit consilij fratrum S. IOSEPH Patriarchæ, de eo vendendo Ismahelitis, nisi vt illum suum & Ægypti dominum constituerent? Quo recidit conatus PHARAONIS contra Dei populum, quem extinctum cupiebat, nisi vt se, regnúmque suum in extremum excidium præcipitaret? Quid profecit SAVLIS fraudulentum consilium aduersus Dauidem, nisi vt eum illustriorem redderet, & sibi vitam adimeret? Quid Chaldæorum Principum calumniæ & insidiæ contra Danielem, nisi vt à leonibus, quos Danieli deputarant, ipsi deuorarentur? Quid Amani improbitas in Mardochæum, quam vt in crucem, quam optimo viro pararat, iussu Assueri regis ageretur?

Prou. 21. 30. Isa. 8. & 29. Id. 30. Eccl. 27. 30. Gell. lib. 4. c. 5. Gen. 37. & 40. Exod. 1. & 14. 1. Reg. 18. 19. 23. Dan. 6. Esth. 7.

3. Reg. 18. 9. Quid Absalonis impietas in proprium patrem, quam vt capillis suis arbori implicitis enecaretur. Iam verò ex profana historia multò plura suppetunt exempla eorum, qui licet ante carissimi fuissent suis Principibus, tamen consiliis suis in statum deterrimum, miserationéque dignissimum deuoluti sunt, vt fuit dux fortissimus Parmenio apud Alexandrum Magnum. Seianus apud Tiberium Imper. Ablauius, (qui pila fortunæ dictus est) apud Constantinum Magnum. Ruffinus & Eutropius sub Arcadio, & Stilico sub Honorio, ac similes alij. Vnde CLAVDIANVS in Eutropium.

Plut in Alex. Suet. in Tiber. Sozom. l. 2. & 9. Socr. lib. 6.

Cl. lib. 1. Perillus. Phalaris.

Quam bene dispositum terris, vt dignus iniqui
Fructus consilij, primis auctoribus instet.
Sic opifex tauri, tormentorúmque repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori,
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno
Sensit opus, docuitq; suum mugire iuuencum.

IV. Est, nullum in consiliis locum dare affectibus, vel animi perturbationibus, vt iræ, inuidiæ, auaritiæ, timori, cupiditatíque vitiosæ. SANE *in hoc creatus es Princeps*, ait S. BASILIVS ad hominem in hexæmero, *vt imperites affectibus, vt dominere bestijs, reptilibus. Tuis fac imperes cogitationibus, imperator vt sis quæ sunt omnium. Absurdum enim fuerit, si is administrandæ Reipubl. præficiatur, qui in intimis ædibus captiuus premitur iugo vilissimi scorti. Nemo quod venatu non prehenderit leonem, contempti patuit: iræ intemperiem, qui non domuit, nulli non fuit deridiculus.* Et ante eum Beatus CYPRIANVS de pudicitia. *Qui cupiditates tollit, & metus sustulit: nam ex cupiditatibus metus veniunt: Qui cupiditates vincit, de peccato triumphat, qui cupiditates*

Bas. hom. 11.

tates vicit, libertatem sibi, quod est etiam ingenuis difficillimum, reddidit. Consipirant in eandem sententiam Sapientes Ethnicorum, SALLVSTII in bello Catilinario dictum est: *Omnes qui de rebus dubijs consultant, vacuos esse debere affectibus: haud facile animum peruidere verum, vbi illi officiunt.* CICERONIS vero in primo de Officiis, *cum ira nihil rectè, nihil considerate fieri posse.* CORNELII autem Taciti in primo libro historiæ, *pessimum veri affectus & iudicij venenum esse suam cuique vtilitatem.* Cui affectui cum maximè obsequantur Mercatores, idcirco teste ARISTOTELE in tertio Politico, apud Thebanos lege vetitum fuit, ne ad gubernationem Reip. quisquam admitteretur, nisi ad decennium à commerciis abstinuisset. Addo SENECAM, qui exemplo maximi Regis ostendit, quanti referat imperare affectibus. ALEXANDER, ait, *quidem Persas, & Hyrcanos & Indos, & quicquid gentium vsque in Oceanum extendit Oriens, vastabat fugabátque: Sed ipse modo occiso amico, modo amisso, iacebat in tenebris, aliàs scelus, aliàs desiderium suum mœrens, victor tot Regum atque populorum, iræ tristitiæq; succubuit. Id enim egerat, vt omnia potius haberet in potestate, quam affectu. O quam magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans maria cupiunt mittere, felicissimósque se iudicant, si multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungunt, ignari quod sit illud ingens paratúmque regnum. Imperare sibi maximum imperium est.* Arist. c. 3. Senec. ep. 113.

V. MEDIVM est, de rebus in consilium adductis non præcipitare sententiam. Deliberandum enim est diu, quod statuendum est semel. *Duo aduersissima sunt rectæ menti* (ait THVCYDIDES) T. l. 3. hist.

L. lib. 31. *celeritas & ira.* Et T. LIVIVS; *Omnia non properanti clara certáque sunt, festinatio vero improuida est*
Tac. lib. 1. *& cæca.* Et TACITVS; *Scelera impetu, consilia mora valescunt.* Duplex tamen hic seruanda cautio. Prima, in subito aliquando discrimine cunctationem
Ibid. esse noxiam. vnde idem TACITVS tradit *cunctatione non esse opus, vbi pernicioſior est quies, quam temeritas.* Secunda est, etiam si deliberandum sit tarde, tamen celeriter esse exequenda, quæ semel delibe-
Arist. c. 9. rata sunt, vt docet Aristoteles in sexto de moribus, & DEMOSTHENES in prima Philippica. Et SALLVSTIVS in procœmio Catilinariæ; *Antequã*, inquiẽs, *incipias, consulto: vbi consulueris, maturè facto opus est.*

VIDE *de Statu Cardinalium, Episcoporum, Iudicum, Laicorum Magistratuum, Prælatorum, Regum, Sacerdotum.*

DE DIACONORVM STATV.

CAPVT I.

De nomine & officijs Diaconi.

DIAKONOΣ græcè, latine significat ministrum. Ac Apostolus quidem nomine Diaconi intellexisse videtur omnes altaris ministros, vt primarium ministrum, qui nũc dicitur *Diaconus, Subdiaconum, Acolutum, Lectorem, Exorcistam & Ostiarium*, sicut nomine Episcopi & presbyteri, intellexit propriè dictos Episcopos & sacerdotes. Id liquet ex initio
Phil. 1. 1. epistolæ ad Philippenses: *Paulus & Timotheus*, inquit, *serui IESV Christi omnibus sanctis qui sunt Philippis*

lippis cum Episcopis & diaconibus, id est, cum sacerdotibus & eorum ministris: neque enim erant in vna vrbe plures propriè dicti Episcopi. Deinde ex priore epistola ad Timotheum, vbi cum præcepta quædam Episcopis dedisset, omissis presbyteris, transiit ad diaconos: post diaconos autem nihil de reliquis ministris præcepit. Ita docuit S. CHRYSOST. & alij. Et nos sub generali titulo Diaconi de omnibus sacrorum vel sacerdotum ministris breuiter hic disseremus. 1. Tim. 3. 8.

OFFICIA Diaconi, qua primarius est Sacerdotis minister varia sunt. PRIMVM est oblationibus colligendis, & opibus Ecclesiæ administrandis præesse. Ita enim tradit B. LVCAS in Actis Apostolorum. Et docet S. LEO in serm. de S. Laurentio. Act. 6. 3.

II. Est Sacerdoti Missæ sacrum facienti assistere, & sacram Eucharistiam populo distribuere. Ita docet Clemens Romanus libro 2. constitutionum. CYPRIANVS sermone de lapsis; AMBROSIVS libro 1. de officiis, vbi inducit S. Laurentium ad S. Sixtum ita loquentem; *Quo progrederis sine filio pater? Quo sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras.* Et infra: *Cui commisisti consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Idē liquet ex Liturgia S. Chrysostomi, & homil. 83. in Matthæum. Et ex S. GREGORIO, qui præfatione in Iob ad Leandrum Diaconatum vocat altaris sacri ministerium. Cyp. c. 14. Amb. c. 41.

III. Est, tempore sacrificij Euangelium legere. Ita supra iam dicti auctores. S. HIERONYMVS ad Sabinianum: *Tu*, inquiens, *exanguis & pallidus, vt suspicione omni careres Euangelium Christi quasi* Hier. ep. 48.

Diaconus lectitabat. Ita testantur vetera Concilia, Vasense can. 4. Remense can. 5. & Romanum apud S. Gregorium lib. 4. epist. 88.

IV. Est, baptizare, prædicare, reconciliare publicos pœnitentes, Eucharistiam deferre, & præbere Laicis, ac breuiter omnia facere, quæ presbyteri faciunt excepta consecratione corporis Domini, aliisque officiis quæ requirunt potestatem ordinis. Nam in Actis Apostolicis legimus Philippum diaconum baptizasse, & prædicasse, prædicasse item Stephanum diaconum. Vnde TERTVLLIAN. libro de baptismo: *Ius*, inquit, *dandi baptismum summus sacerdos habet, dehinc etiã presbyteri & diaconi.* Augustinus testatur S. Vincentium diaconum prædicasse. Et Ioan. Diaconus de Gregorio Romano refert eum diaconum prædicasse. S. GREG. quoque diacono tribuit officium prædicandi. S. CYPRIANVS libro 3. Epistolarum docet diaconos in absentia Episcopi & presbyteri solere reconciliare pœnitentes. S. IVSTINVS in apologia secunda extrema ait Diaconos deferre solitos Eucharistiam ad absentes. Eosdem posse in absentia presbyterorum Eucharistiam præbere Laicis docent Concil. Nicæni Patres.

Act. 8. 12. Act. 7. 2. Aug. serm. de S. Vinc. I. D. in vita lib. 1. c. 41. Cyp. epist. 17. Cõc. Nic. can. 14.

V. Ante communionem tempore sacri Missæ clamare; *Sancta sanctis*, vt ab ea arcerentur catechumeni & peccatores, vt liquet ex Liturgiis Græcorum & S. Chrysostomo ad populum. Vnde B. CYPRIANVS libro 3. epistolarum reprehendit eos, qui ante factam pœnitentiam vel exomologesin ad communionem accedebant. Idem S. AMBROS. sexto in Lucam, c. 37. & lib. 7. c. 66. S. HIERON. quoque in epistolam ad Titum ex figura panum

C. homil. 61. Cyp. epist. 14. 15. 16. & libro de lapsis.

propos-

propositionis probat summam animi puritatē requiri in communicantibus. Chrysostomus item sæpissimè, vt in Genesin homil. 30. In Matthæum hom. 83. In Ioan. hom. 45. In 1. ad Corint. hom. 24. & fusissimè hom. 3. in epistolam ad Ephesios.

CAPVT II.

De Proprietatibus & virtutibus Diaconorum.

PROPRIETAS prima est, quod Diaconatus non sit tantum simplex officium Ecclesiasticū, sed etiam Sacramentum. nam in Actis Apostolorum Diaconi ordinantur per manus impositionem haud secus quam Episcopi. Quod autem manus impositio sit materia essentialis eius sacramenti inde apparet, quod S. Paulus in epistola vtraque ad Timotheum tradat per manus impositionē dari gratiā. Vnde S. AMBROSIVS libro de dignitate sacerdotali: *Homo manū imponit, & Deus largitur gratiā.* DEINDE Apostolus semper coniūgit Diaconos cū Episcopis, in priore epistola ad Timotheum, ad Titum & Philippenses. iam autem diximus nomine Episcopi comprehēdi & presbyteros iuxta Chrysostomū. Adhæc diaconi possunt in absentia Episcoporum baptizare, Eucharistiam dare, ac alia fere munera presbyterorū & Episcoporum obire: signum est ergo eorum ordinationem esse sacramentalem. Denique nunquam repeti potest Diaconatus, vnde consequens est eum imprimere characterem, ac proinde esse sacramentum. Act. 6. 6. 1. Tim. 4. 14. 2. Tim. 1. 6. Ambr. c. 5. 1. Tim. 3. 8. Tit. 1. 7. Phil. 1. 2.

II. Proprietas est, quod sit Ordo Hierarchicus. Vnde S. DIONYS. Areopagita tres facit ordines D. de Eccl. Hier. c. 5.

Eccles. Hierarchiæ, Pontificum, Sacerdotum, & Diaconorum, Diaconi enim etiamsi ministri sint, vt vox indicat, si conferantur cum Sacerdotibus: tamen sunt etiam Præsides & Prelati, si comparentur ad plebem. Vnde S. IGNATIVS ad Trallianos: *Subiecti estote Episcopo, similiter & presbyteris atque diaconis.* Idē habet epist. ad Tarsenses & Smyrnens. Et HIERON. in commentar. ad Titum, & CHRYSOST. in Matth. vbi Diacono suadet, vt etiam Imperatorem indignum arceat è communione: *Cohibe*, inquiens, *& coerce, maiorem in illo habes potestatem.* Atque hinc factum est, vt iam olim Episcopi assumpti sint ex Presbyterorum vel Diaconorum ordine, & non ex aliis inferioribus, vt liquet ex Leone ep. 84. c. 6. Quam causam arbitratur BELLARMIN. esse, cur in Roman. Ecclesia soli Episcopi, presbyteri & Diaconi fiant Cardinales. S. CLEMENS Roman. epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini ita de eis scribit: *Diaconi Ecclesiæ tanquam oculi sint Episcopi oberrantes & circumlustrantes cum verecundia actus totius Ecclesiæ.* Et S. EVARISTVS Papa epist. prima ad Episcopos Africanos: *Diaconi, qui quasi oculi videtur esse Episcopi, in vnaquaque ciuitate iuxta Apostolorum constituta septē debent esse, qui custodiant Episcopum prædicātem.*

Hier. c. 2. Ch. hom. 86. Bell. lib. 1. de cler. c. 11. Grat. dist. 93. cap. Diacon. Eccles.

III. Proprietas vel Virtus Diaconi est Pudicitia, quam ab eo requirit Apostolus: *Diaconos*, inquiens, *similiter pudicos. Græcè est σεμνὸς*, quæ vox etiā significat graues & constantes. Et paulo post: *Diaconi sint vnius vxoris viri.* Quibus verbis indicat, si necessitas coegerit aliquando ad Diaconatum assumi coniugatos, non esse assumendos nisi monogamos, vti de impudicitia minus suspectos.

1. Tim. 3. 8. v. 12.

De

De qua re plura *V. Episcoporum Status.* S. Ignatij ad Heronem Diaconum monitum est: *Teipsum castum custodi, vt Christi habitaculum, templum Christi es, spiritus & instrumentum.*

IV. Virtus est animi cãdor vel simplicitas. Vult enim Apost. eos non esse *bilingues*, vel duplices in sermone. Chrysost. exponit, non simulatores, non dolosos: *Nihil enim fermè*, inquit, *nos ita degenerare facit à nobilitate spirituali, vt fraus atque dolus: nihilque in Ecclesia nocet magis, quàm versuta simulatio.* Ch. hom. 11.

V. Est Sobrietas: *Non multo vino deditos*, ait PAVLVS. Non dixit, inquit Theophylactus; Non temulentos, siue ebrios: hoc enim est omninò indignum, verum non multum potantes, potatio siquidem multa animæ, mentísque vim luxat. 1. Tim. 3. 8.

VI. Contemptus diuitiarum; *Non turpe lucrum sectantes*, ait idem. Quod tunc sectantur homines sacri, cum vt notat S. AMBROSIVS, ex pietatis professione quæstum faciunt. 1. Tim. 3. 8.

VII. Vitæ sanctitas cum recta fide coniuncta. Hanc enim sententiam Theophylactus, & Theodoretus volunt esse Paulinis verbis subiectam, dum ait. Oportet Diaconos habere *mysterium fidei in conscientia pura.* Quanquam malim per mysterium fidei intelligere calicẽ Eucharistiæ, quem solet Diaconus porrigere, græce enim cum articulo dicitur τὸ μυστήριον. Et formula consecrationis appellat *mysterium fidei.* In conscientia autem pura porrigere debet hoc sacramentum, non solum sua, sed etiam aliorum, communicantium scilicet. Qui *enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit*, ait Apostolus. 1. Cor. 11. 29.

VII. Proprietas est, vt non ordinetur, nisi ante proba

1. Tim. 3. 10. probatus; *Et hi autem*, ait, *probentur primum, & sic ministrent?* Chrysostomus existimat his verbis arceri neophytum. Theodoretus esse examinandam prius eorum vitam, adde & doctrinam, vt nunc

C. hom. 11. fit. *Perquam enim ineptum & absurdum est*, ait Chrysostomus, *si cum emptitium seruum introducimus domum, non prius illi aliquid domesticæ supellectilis tradimus, quam longo experimento sententiæ suæ atque voluntatis plurima indicia dederit: in Ecclesia Dei non eadem vtamur diligentia, cæterum nouitium adhuc in primo statim constituimus ordine antequam fidei suæ atque vitæ dederit documenta.*

IX. Proprietas, vt non sint infames ab aliqua

1. Tim. 3. 10. grauiore noxa. *nullum crimen habentes*, ait Apostolus, græce est ἀνεγκλήτους, incriminabiles ἔγκλημα enim proprie est criminis apud iudicem expostulatio.

1. Tim. 3. 12. X. Est, vt si coniugati sint, *filiis suis bene præsint, & suis domibus.* Hoc enim quoque exigit ab iis Apostolus, sicut & exegit ab Episcopis. *Vbique filiorum*, ait Chrysost. *curam diligentissimam ponit, ne ex hoc reliqui scandalum capiant.* Adiungit demum, & fructum Apostolus, quem Diaconi capere possint ex fideli ministerio, dictarúmque virtutum cultu.

Ibid. 13. Qui *enim bene ministrauerint*, inquit, *gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo IESV*, hoc est, dignos se præstabunt gradu sacerdotij, vt exponit AMBROSIVS, vel proficient in donis spiritalibus, vt Chrysostomus, vel præstantissimum gradum obtinebunt in vita futura, si forte hic parum sint honorati, vt THEODORETVS. Consequentur & *multam fiduciam in fide*, hoc est, magnam libertatem in functionibus

suis

suis exequendis, vt habet Theophylactus, idque fidei beneficio. Fides enim gignit fiduciam. Vnde ad Ephesios dicebat Paulus; *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem.* Eædem Virtutes & Proprietates conueniunt Subdiaconis, atque etiam aliorum inferiorum ordinũ ministris: Videtur enim Apostolus, quoniam aliorum ministrorum inferiorum nõ meminit nomine Diaconi omnes ministros cõprehendisse, vt supra diximus. Eph.3.12.

POSTREMA virtus sit humilitas. Multa enim Concilia arguunt Diaconorũ quorundã arrogantiam, vt Nicænum can.144. Laodicænum can. 20. Toletanum IV. can. 38. ITEM Patres, S. Ignat. epist. ad Heronẽ diaconum. CYPRIANVS lib. 3. epist. 9. Hieronymus ad Euagrium epist. 85. Et in c. 48. Ezechielis. S. Bernardus lib. 4. de Consideratione. S. Gregorius lib. 4. epistola 44. VIDE distinctionem 93. apud Gratianum.

CAPVT III.

De statu Subdiaconorum.

DE statu Hypodiaconorum, primum constat eorum Ordinem esse inter sacros numerandum, quia sacra vasa possunt attingere, & subministrare, quod tamen olim illis non licuisse liquet ex Concilio Laodiceno c. 21. Quod autem nunc possint tangere docet canon *Non liceat*, apud Gratianum, distinct. 23. Sicut olim non licuit ex Hypodiaconis aliquem euehere ad Episcopatum, nũc autem licet, vt patet ex Innocentio III. cap. à multis. de ætate, & qualitate & ordine præficiẽdorum, & cap. miramur, extra, de seruis non ordinandis.

Et

Et ex VRBANO II. canone, nullus distinct. 60.

2. Constat esse valde probabile eorum ordinem esse sacramentum, tum quia imprimit characterem, & iterari non potest: tum quia habet annexum solenne votum continentiæ. Nam S. GREGORIVS libro primo epistolarum iubet moneri Episcopos Siciliæ, vt nullum ordinent Subdiaconum, qui non antea continentiam voueat.

Gr. ep. 42.

3. Officium proprium Hypodiaconorum est ministrare Diacono in sacrificio Missæ, ac propterea dum ordinatur, accipit calicem vacuum cum patena, vt habetur in Concilio Carthaginēsi IV. can. 5. & Toletano 4. can. 27. Alterum officium est Epistolas B. Pauli ad Missam legere, vt habet Concilium Remense canone 4.

CAPVT IV.

De statu minorum ordinum 4.

DE statu minorum ordinum, hoc est, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum. Primo id constat fuisse in Ecclesia receptos inde ab Apostolorum temporibus. Eorum siquidem meminit S. CLEMENS lib. 8. Constitutionum, & S. IGNATIVS epistola ad Antiochenos. *Saluto*, inquiens, *sanctum Presbyterum vestrum. saluto sanctos Diaconos, saluto subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas.* S. Cyprianus lib. 2. epist. 5. & 10. & lib. 4. epist. 5. meminit Hypodiaconi, Acoluti & Lectoris. Et lib. 5. ep. 14. Lectoris & Exorcistæ. Item S. Cornelius Papa, apud Eusebium lib. 6. historiæ, meminit Subdiaconorum, Acolutorum, Exorcistarum, Lectorum & Ostiario

Euſ. c. 33.

Ostiariorum, Concilium quoque Laodicenum canone 24.& Carthaginense IV.can.2.& seq.omnes minores ordines numerant.

QVOD autem singulorum ordo sacramenti vim habeat,valde probabilis est sententia,tũ quia imprimit charecterem,nec iterari potest,tum quia non solum plerique omnes Theologi Scholæ tam veteres, quam recentiores ita sentiunt: sed etiam Synodi Florentinæ & Tridentinæ Patres ita sen- C. Trid. fisse videntur.Neque inde sequitur Sacramentum sess.23.c.2. ordinis plura in se continere Sacramenta: quia omnia pro vno sacramento reputantur, vel genere,vel quia ad vnum finem referuntur.

De Acolutorum officio.

PRIMVS ordo è Minoribus est ACOLVTORVM. Dictus est autem Acolutus, quasi pedissequus ab ἀκολουθέω, quod est sequor. proprium enim officium eorum est sequi Diaconum cum cereo accenso, vnde & cerefarij dicuntur. Deinde vrceolos atque ampullas ad sacrificium præparare, ac Subdiacono porrigere, ita tradit Concilium Carthaginense quartum can. 6. cui interfuit S. Augustinus.

De Exorcistarum Officio.

ALTER ordo Est EXORCISTARVM, quem esse numerandum inter ordines Ecclesiasticos,& non tãtum inter gratias gratis datas, liquet ex testimoniis paulo ante citatis,Ignatij ad Antiochenos,Cypriani lib.5.ep.14.Cornelij Papæ,apud Eusebium,C.Carthag.quarti canone 7.& Concilij Laodiceni can. 26. Et scribit SVLPITIVS in vita S.Martini,cũ S.HILARIVS eũ vellet ordinare Diaconũ, atque ille vehemẽter resisteret ob

ordinis

ordinis dignitatem, tandē eum ordinasse in Exorcistam,& S.Martinum æquo animo id tulisse. Officium autem Exorcistarum est,Exorcismos Ecclesiæ legere super energumenos,& eo modo præparare illos vt sacrificij diuini participes fieri possint. Olim enim quia frequenter dæmones pellebantur de corporibus humanis, plurimi Energumeni ad Ecclesiam concurrebant.

De Lectorum Officio.

TERTIVS ordo est LECTORVM,quem esse proprie ordinem & gradum in Ecclesia inde liquet,quod Conc.Carthaginense quartum canone 8.præscribat ritum solemnem ordinandi Lectores. Deinde quia S.CYPRIANVS passim vocat gradum & honorem Ecclesiasticum.Officium autem eorum erat, ex pulpito legere vetus & nouum testamentum.Nam quod Euangelia quoque legerēt extra sacrificium (nam tempore Missæ legere vel cantare Euangelium supra diximus proprium fuisse Diaconorum)testatur Cyprianus lib. 2. epistola.5.

Cyp. lib.2. epist.5.lib. 3.ep.22.& l.4.ep.5.

De Ostiariorum Officio.

QVARTVS & postremus ordo est OSTIARIORVM, quem esse proprie ordinem & gradum Ecclesiæ, & non tantum officium aperiendi & claudendi ostia templorum, vt nunc est ædituorum, patet tum ex testimoniis supra allegatis,tum quia Con.Cartag.4.canone 9.præscribit ritum & formam ordinandi Ostiarios, qui adhuc in Ecclesia seruatur. OFFICIVM autem eorum est habere curam templi, aperire & claudere ostia,ac curare ne aliquid,quod dedeceat in Ecclesiam inferatur,aut in ea exerceatur.

DICES

DIQES quosdam S.Patres dictis ministris annumerare etiam *Cantores*, vt Canones Apostolorum. Et *Confessores*, vt B. IGNATIVS ad Antiochenos. Et *Laborantes*, vt EPIPHANIVS in fine Panarij. Gratianus distinctione 23. & 25. addit & *Psalmistas*. Deinde omnes ordinandi primum debent accipere *Primam*, quam vocant, *Tonsuram*, quæ etiam certo ritu ab Episcopo confertur. SED respondetur Patres illos numerasse locis citatis non solùm ordines propriè dictos, qui certo & solenni ritu conferuntur ab Episcopo, & ad certum ministerium sacrificio Missæ præstandum referuntur, sed etiam improprie dictos, qui sunt officia quomodocunque diuino obsequio dedicata, vt *Cantorum*, *Psalmistarum & Laborantium*, quorum erat sepelire defunctos. Eodem enim significatu vocant aliquando *ordinem Monachorum, Diaconissarum, Viduarum & Virginum*, quæ seruiebant Ecclesiæ in instruendis mulieribus baptismo initiandis teste EPIPHANIO in compendiaria doctrina. TONSVRA vero prima etsi ab Episcopo certo ritu fiat, nomen tamen Ordinis non obtinuit, eo quod nullum certum officium habeat annexum, sed sit tantum dispositio ac præparatio ad ordines. Hac enim ceremonia, qui ita tondentur, profitentur se ordinibus aliquando initiandos, & à seculi negotiis ad militiam Ecclesiasticam transituros.

VIDE de statu Episcoporum, & Sacerdotum.

EPISCOPORVM STATVS.

CAPVT I.

Quid nomine EPISCOPI *intelligatur.*

DE nomine Episcopi ita scribit S. HIERONYMVS lib. primo aduersus Iouinianum; *Episcopus & presbyter, & diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum. Nec dicitur, si quis Episcopatum desiderat, bonum desiderat gradum, sed bonum opus desiderat, quod in maiori ordine constitutus possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum.* S. AVGVSTINVS vero lib. 19. de ciuitate Dei in hunc modum loquitur; *In actione non amandus est honor in hac vita, siue potentia, quoniam omnia vana sub sole, sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, si recte atque vtiliter fit, id est, vt valeat ad eam salutē subditorum, quæ secundum Deum est. Propter quod ait Apostolus; Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Exponere voluit quid sit Episcopatus, quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicet gerens.* ἐπὶ quippe *super*, σκόπος & vero intentio est: ergo ἐπισκοπεῖν, *si velimus, latine superintendere possumus dicere: vt intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.* A.c. 19.

ETSI vero nomen Episcopi officium tantum & onus, vsu tamen in Ecclesia recepto etiam significat honorem & præfecturam, vt dictis verbis non obscure indicauit Augustinus, & clarius in epistola A.ep. 19.

epistola quadam ad B. Hieronymum; *Quanquam enim,* inquit, *secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus presbyterio maior sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Vnde Apostolus Paulus autoritate Episcopali scripsit in priore ad Corinthios; *Cetera cum venero disponam.* Et in posteriore. *Vt nō præsens durius agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus.* Et aliis attribuit præfecturam Episcopalem, vt cum Episcopo Timotheo scripsit; *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* atque omnibus fidelibus mandauit; *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* 1. Cor. 11. 2. Cor. 13. 1. Tim. 5. Heb. 13.

GEMINO autem ex capite Episcopi hanc Præfecturam super presbyteros & alios inferiores Ecclesiæ ministros sibi vendicant. Primo ex potestate ordinis. Solus siquidem Episcopus creare Presbyteros, & vt loquūtur prisci Patres, generare Ecclesiæ Patres, vt Epiphanius hæresi 75. contrà Aerium Sanctus Damasus Papa epistola 3. Chrysostomus & Theodoretus in commentariis epistolæ Paulinæ ad Thimotheum, & 5. LEO I. epistola 88. Sancti Hieronymi quoque ad Euagrium illa est sententia. *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod presbyter non faciat?* SECVNDO vendicant ex potestate Iurisdictionis. Nam in veteri testamento distincti fuere à Deo ministri sacri in tres gradus Pontificum, sacerdotum & Leuitarum, ita vt Pontifex maior esset sacerdotibus, & Sacerdotes, Leuitis, & Iurisdictio penes Pontificem esset, non penes cætum minorum Sacerdotum: nam in Deuteronomio dicitur, *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio ex sententia Iudicis* 1. Tim. 3. H. ep. 85. Deut. 17.

moriatur. Quanto magis hæc iurisdictio erit in nouo testamẽto, cum illud vmbræ, hoc imagini comparetur ab Apostolo ad Hebræos. vnde videmus Heb. 10. Episcopum Apostolorum tempore fuisse iudicem 1. Tim. 5. presbyterorum, vt cum idem Paulus Timotheum Episcopum monet, ne aduersus presbyterum accusationẽ, vt dictum est, recipiat, nisi sub duobus aut tribus testibus. Inter Apostolorum Canones quadragesimus est huiusmodi apud Clementem; *Presbyter & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent: nam Domini populus illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.* Et TERTVLLIANVS libro de baptismo; *Ius habet dandi baptismum summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, sed non sine Episcopi facultate.*

CAPVT II.

De dignitate status Episcopalis.

STATVS Episcopalis dignitas etsi satis eluceat ex vtraque iam dicta potestate, qua Episcopi antecellunt cæteris Ecclesiasticis ministris: tamen clarius illustrari potest ex encomiis & elogiis, quibus S. Patres eum exornarunt. Primo enim docent eos proprie personam Christi, imo DEI ipsius in Ecclesia sustinere, iuxta illud quod apud Lucam Saluator Apostolis dixit. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Sic scribit B. GREG. lib. 4. epistola 31. ad Mauritium Imperatorem, & Nicolaus I. epistola ad Michaëlem Imper. NAZIANZ. Apologetico 1. certe non veretur asserere, Episcopum in angelorum esse classe, cum Archangelis

lis Deum celebrare, & cum Christo sacerdotio fungi, & *vt quod*, inquit, *maius est dicam. Deus est, aliósque Deos efficit.* 2. docent eos esse Apostolorum filios, iuxta illud Psal. 44. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. Fuerunt*, inquit ibi HIERONYMVS, *ô Ecclesia Apostoli Patres tui, quia ipsi te genuerunt: nunc autem quia illi recesserunt à mundo, habes pro his Episcopos filios.* Et infra. *Principes Ecclesiæ, id est, Episcopi constituti sunt.* Eodem modo exponit S. Augustinus, Chrysostomus & Theodoretus. 3. docent esse Apostolorum successores, vt B. Anacletus epistola 2. S. Cyprianus epistola ad Cornelium, S. HIERON. epistola ad Euagrium, & ad Marcellum de erroribus Montani. S. LEO epistola 88. Isidorus lib. 2. de diuinis officiis. 4. docent, Episcopos veros tempore Apostolorum vocatos Apostolos. Ita tradit B. Theodoretus in caput tertium primæ epistolæ ad Timotheum. Nam Paulus in epistola ad Romanos Andronicum vocat Apostolum: & ad Philippenses Epaphroditum vocat Apostolum, qui tamen erant Episcopi tantum. Nomine autem Episcopi appellat omnes presbyteros, nam epistolam ad Philippenses sic inchoauit *Paulus & Timotheus serui IESV Christi omnibus sanctis qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus.* in vna enim vrbe non erant multi Episcopi. 5. anteponunt regibus. Nam sanctus IGNATIVS epistola ad Smyrnenses ait, nihil esse honorabilius Episcopo in Ecclesia, & primum honorem deberi Deo, secundum Episcopo, tertium Regi. Regibus quoque anteferunt Nazianzenus in oratione ad ciues timore perculsos. Ambrosius libro de digni-

Cyp. lib. 2. epist. 10. H. epi. 85. & 54.

Rom. 16. Philip. 2.

Ign. ep. 7.

tate sacerdotali cap. 2. Chrysostomus libro tertio de sacerdotio,& homilia 4. in caput 6. Isaiæ. Immo homilia 83. in Matthæum etiam Diaconos anteponit Regibus. Addunt autem Episcopum tanto esse maiorem Rege, quanto spiritus carni, cœlum terræ,aurum plumbo præstat. 6. vocant columnas Ecclesiæ, vt Athanasius epist. ad Felicem II. Lychnos & lucernas Ecclesiæ, vt Nazianzenus epistola ad Cæsarienses. Arietes, & præsides ouilis Christi, vt S. Basilius in Psalmum 28. Astra cœli, nubes,& plebium capita, vt Gregorius Romanus epistola ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, Animarum nymphagogũ ac pronubum, vt Gregorius Theologus apologetico primo. Diuina potestate gubernandæ Ecclesiæ præditos, vt B. Cyprianus ad Cornelium de Fortunato & Fœliciſſimo, & ad Rogatianum, & ad Florentinum Pupianũ. Nó posse iudicari à secularibus, vt Ambrosius epistola ad Marcellum, & alia ad Valentinianum Imperatorem. Ne quidem ab Imperatore, quia vt idem habet in oratione contra Auxentium, *Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Quid enim honorificentius,* addit, *quam vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur?* 7. docent omnem honorem, omneque obsequium ab omnibus fidelibus illis deberi, vt S. Cyprianus epistola ad plebem vniuersam,& Pupianum. Et lib. 3. ad Quirinum, vbi ait venientibus assurgendum. Hieronymus epistola ad Theophilum aduersus errores Ioannis Hierosolymitani scribit eremitas certatim desertis cellis Episcopo obuiam iuisse, & in eius oscula ruisse. Addit sanctus Cyprianus non aliunde hæreses obortas aut schismata, quam quod

N. epi. 22.

G. li. 4. ep. 38.

C. li. 1. c. 3. Et l. 3. c. 9. Et lib. 4. c. 10.

A. epi. 24. li. 5. & 32. lib. 5.

C. lib. 1. c. 8. & lib. 4. epist. 10.

C. lib. 1. epist. 3. Et l. 3 c. 9.

quod Episcopis non obtemperatur, & maxime Episcopo Romano, vt est in libro de vnitate Ecclesiæ, & alibi.

CAPVT III.

De virtutibus in Episcopo requisitis.

PRIMA virtus in Episcopo requisita, est integritas fidei, quæ est fundamẽtum totius Christianæ religionis. Nam sine fide, teste Apostolo, impossibile est placere DEO. Vnde B. CYPRIANVS ad Antonianum; *Per vrbes singulas ordinati sunt Episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati.* Causa huius rei perspicua est, quia eorum officio incumbit fidẽ defendere. Apostolus enim ad Ephesios scribit, idcirco in Ecclesia constitutos Pastores & Doctores, vt fideles *non circumferamur omni vento doctrinæ.* Et ad Titum ait; *Oportet Episcopum esse amplectentem fidelem sermonem, qui secundum doctrinam est, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Quod si quis integram semper fidem coluerit, hoc dignior est Episcopatu. Nam vt S. HIERONYMVS habet ad Theophilum. *Nemo magis Ecclesiasticus est, quam qui nunquam hæreticus fuit.* Hebr. 11. C. ep. 2. l. 4. Eph. 4. Tit. 1. H. ep. 62.

II. Virtus est, Integritas vitæ, quam indicauit Apostolus, cum scripsit, oportere eum esse irreprehensibilem, hoc est, ab omni crimine immunem, & de quo iure nemo conqueri possit. Neque vero requiritur vt ab omni peccato immunis sit, sic enim nullus Episcopatu dignus reperiretur teste S. AVGVSTINO tractatu 41. in Ioannem. Causa est, quia Christus cõmissurus Petro summum Episco- 1. Tim. 3. Tit. 3.

patum, exegit ab eo virtutem charitatis, quæ omnes virtutes complectitur, & omnia vitia lethalia excludit. *Petre*, inquiens, *amas me?* Deinde quia Episcopus debet se ducem & Magistrum præbere subditis & ouibus, verbo & exemplo. *Ante eas vadit pastor*, inquit B. Ioannes. & S. Petrus in epistola priore vult, vt sint *facti forma gregis ex animo.* Quocirca recte GREGORIVS Theologus reprehendit eos, qui ordinem Episcoporum *non tanquam virtutis exemplum, sed vitæ adiumentum atque subsidium esse, iudicant.* immo asseuerat in eo ordine *vitium esse non quam optimum esse nouásque subinde virtutum accessiones facere.*

Ioan. 10. 1. Petr. 5. Gr. Apolog. 1.

1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 6.

III. Virtus est castitas, vel pudicitia. Apostolus enim in epistola ad Timotheum & Titum, Episcopum vult esse *vnius vxoris virum pudicum, continentem, filios habentem subditos cum omni castitate.* Vnius vxoris virum vocat monogamum, hoc est, qui neq; simul, neque successiue vxores duas habuerit, vt exponunt Patres Tertullianus libro 1. ad vxorem, Epiphanius hæresi 59. Ambros. epist. 82. Hieronymus in epist. ad Titum, Augustinus de bono coniugali, cap. 18. Chrysostomus homilia secunda in epistolam ad Titum, Et B. LEO epistola 88. ad Afros ait hoc semper seruatum in Ecclesia, vt digami ad sacerdotium non admittantur. Cur autem monogami admitterentur, causa est, quia monogami minus quã digami vel trigami suspecti sunt de incõtinentia, vt habet Tertullianus, Epiphanius & Chrysostomus: atque ideo liberius hortari poterant homines ad continentiam, vt tradit Ambrosius libro primo de officiis. Deinde Paulus vult Episcopum esse continentem,

T. lib. 1. ad vxorem. Ep. hær. 59. Ch. in loca Pauli. A. cap. vlt.

tem, nempe *ab vxoris amplexibus*, vt ad Titum exponit B. HIERONYMVS, si ante Episcopatum vxorem duxerit. Si enim omnes coniugati iuxta doctrinam Apostoli ex consensu ad tempus ab illis abstinere debẽt, vt orationi instare possint, certe Episcopi, & alij sacri homines, quibus perpetuo vacandum est orationi, perpetuo etiam ab iis se cõtinere debent, quemadmodum omnis antiquitas docuit, & demonstrat noster BELLARMINVS lib. 1. de Clericis, c. 19. Denique ab Episcopo siue coniugato, siue non coniugato, exigit, vt sit pudicus & castus. *Etenim sacerdotis animum*, inquit S. CHRYSOT. initio lib. 6. de Sacerdotio, *solaribus radijs puriorẽ esse oportet, vt nequãdo Spiritus Sanctus desolatum illum relinquat, vt dicere illi liceat; Viuo equidem nõ amplius ego, viuit autem in me Christus. Nam si qui eremum inhabitant & perpetua portus tranquillitate perfruuntur, tanta diligentia dicere & facere omnia adlaborant, vt cum puritate syncera, quantam humanus captus ferre potest, ad Dei conspectum accedere possint: quantam putas sacerdotem praestare debere tum vim, tum potentiam, vt animam suam ab omni vindicet fœditate, vt spiritalem pulchritudinem illæsam atque incolumem seruet?* 1. Cor. 7. Gal. 2.

IV. Virtus est Prudentia, quam Apostolus quoque in catalogum virtutũ Episcopi retulit ad Timotheum. Et Christus Apostolis commendauit. *Estote*, inquiens, *prudentes sicut serpentes*. Nec mirum, cùm *ars artium sit regimen animarum*, autore vtroque GREGORIO, Romano, & Nazianzeno. *Quidam enim*, ait Nazian. *lactis alimonia opus habent, hoc est, simplici & rudimentaria doctrina, nimirum, qui animi habitudine teneri sunt, recensq;, vt sic* 1. Tim. 3. Matth. 10. Gr. initio Pastoral. N. apol. 1.

dicam, compacti, nec virilem sermonis cibũ ferunt: quem si quis ipsis præter vires admouerit, eius põdere oppressi fortasse atque obruti pristinas etiam eorum vires labefactabit. Alij sensuum organa ad veri falsiq; delectum atque discrimen exercitata habentes, ac proinde sapientia ea, quæ inter perfectos exponitur, sublimioriq;, & firmiori cibo indigentes, si quis lac illis propinet, oleribúsque, hoc est, infirmorum cibo illos alat, indigne acerbóque illud laturi sint: nec immerito, vtpote nihil Christiani roboris colligentes, nec laudabili illo incremento augescentes, quod sermo diuinus affert, eum qui præclare alitur, in virum absoluens, atque ad spiritualis ætatis mensuram ducens. Quali autem prudentia ornati esse
A. cap. 4. debeant Episcopi, breuiter descripsit S. AMBROS. in libro de dignitate sacerdotali. Requirit S. Pau-
1. Cor. 3. lus in Episcopo, *prudentiam*, inquit, *non mundialem, de qua dicitur, quod stultitia sit apud Deum, sed prudentiam spiritalem, id est, quæ & opere circumspecta sit, & verbo perita, vt sit astutus sicut serpens, & simplex sicut columba.*

1. Tim. 3. 2. IV. Excellens doctrina. Apostolus enim requirit, vt sit doctor, ac quidem tantus, *vtpotens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Quæ verba exponẽs S. Ambrosius loco citato
Tit. 1. 9. sic, ait, *polleat Episcopus sapientia, vt non solum creditum sibi populum sufficienter doceat, verum etiam & cunctarum queat hæresum contradictiones à Catholica repellere Ecclesia, ne sua imperitia imperitos minime doceat, & huiusmodi casu præuẽtus eueniat illi, quod scriptum est. Cæco cæcus ducatum præbens ambo in foueam cadunt.* Et S. HIERON. in eundem locum; *Hoc quod ait Apostolus, vt potens sit exhortari in doctrina sana, referendum est ad scientiam. Quia si Episcopi tantum*

tum sit sancta vita, sibi potest prodesse sic viuens. Porro si & doctrina, & sermone fuerit eruditus potest se, ceteros q; instruere, & non solum instruere & docere suos, sed & aduersarios repercutere, qui nisi refutati fuerint atq; conuicti, facile queunt simpliciũ corda peruertere. Certè S. CHRYSOST. lib. 4. de Sacerdotio prolixe ostendit Ecclesiæ antistites non modo omnigena doctrina, sed etiam eloquẽtia insigni debere esse instructos, & perpolitos. Ac Conciliũ Tridentinum exigit à futuris Episcopis, vt sint Doctores vel Licentiati in Theologia aut Iure canonico, vel saltem publicũ testimonium alicuius Academiæ exhibeant, quod idonei sint ad docẽdum vel Theologiam, vel Ius Canonicum. Conc. sess. 22. c. 2.

V. Magnitudo & Constantia animi in rebus gerendis. Oportet enim Episcopum Tyrannis & hæreticis resistere, omnésq; improbos quantumuis potentes redarguere. Vnde sapiens. *Noli*, inquit, *quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis.* Et Deus ad Hieremiam, *Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum regibus Iuda & principibus eius.* Et ad Ezechielem; *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Et Christus cum emitteret Apostolos ad prædicandum; *Ecce*, inquit, *ego mitto vos sicut oues in medio luporum*, &c. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* & Paulus ad Timotheum; *Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant.* Exemplum huius constantiæ illustre præbuit quondam Eccl. 7. 6. Ier. 1. 17. Ezec. 3. 8. Matth. 10. 16. 1. Tim. 5. 20.

dam S. BASILIVS Episcopus accurate à GREG. Nazianzeno, oratione in laudem eius descriptum. Nam cum Præfectus Imperatoris hæretici, eius in
VALENS. dicendo libertatem miraretur, *fortasse*, inquit Basilius, *in Episcopum nunquam incidisti. Alioqui prorsus hoc modo disseruisset in certamen veniens. Nam ceteris quidem in rebus, ô Præfecte, clementes & placidi sumus, atque omnium abiectissimi, quemadmodum hoc nobis lege præscriptum est, ac non dicam aduersus tantam potentiam, sed ne aduersus plebeium quenquam & infimi ordinis hominem supercilium attollimus. Verùm vbi Deus nobis periclitatur ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes ipsum solum intuemur. Ignis autem & gladius, & bestiæ, & vngulæ carnes lacerantes voluptati nobis potius sunt, quàm terrori. Proinde contumelijs nos affice, comminare, fac quicquid collibuerit, potestate tua fruere, audiat hæc etiam Imperator: nequaquam profecto nos vinces, eóque adduces vt impiæ (*Arianæ) doctrinæ assentiamur, ne si his quidem atrociora miniteris. Hæc postquam dixit, ipsiusq; in resistendo virtutem insuperabilem Præfectus cognouit, eum quidem excedere iussit, non iam cum isdem minis, sed cum quadam reuerentia & submissione. Ipse autem quam celerrime potuit Imperatorem adiens; Imperator,* inquit, *ab huius Ecclesiæ antistite victi sumus, Præstantior est, quam vt minis, firmior, quam vt sermonibus, fortior, quam vt verborum blanditijs superari possit. Quæ de causa factum suum improbans Imperator* (quod cogere eum tentasset ad Arianismum) *cogi eum vetuit.*

1. Tim. 3. Tit. 1. VI. Est Hospitalitas, quam Episcopo idē Paulus in vtraque epistola ad Titum & Timotheum adscripsit. A qua S. Ioannes epistola 3. Caium,

(quem

(quem Dorotheus in Synopsi existimat fuisse Episcopum Ephesinum) laudat; *Charissime*, inquiens, *fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ, quos bene faciens deduces digne Deo.* Contra vero Diotrephen fugillat de inhospitalitate. *Is*, ait, *qui amat primatū gerere in eis Diotrephes, non recipit nos.* Vnde S. HIERONYM. in epistolam Pauli ad Titum; *Ante omnia*, inquit, *hospitalitas futuro Episcopo denunciatur. Si enim omnes illud de Euangelio audire desiderant; Hospes fui, & suscepistis me; quanto magis Episcopus, cuius domus omnium commune debet esse hospitium? Laicus enim vnum aut duos aut paucos recipiens implebit hospitalitatis officium. Episcopus, nisi omnes receperit, inhumanus est.* EXEMPLA plura hospitalium Episcoporum, vide in VIRIDARIO nostro, titulo *Hospitalitas.*

VII. Virtus est vigilantia, S. Paulus enim Episcopum in sæpe dicta priore epistola ad Timotheum vult esse νηφάλεον, quæ vos significat vel sobrium, vt textus noster habet, vel vigilantem, teste S. HIERONYMO in epistola ad Oceanum de Sacerdote digamo. Et S. CHRYSOST. de vigilantia exposuit. Νηφάλεον, inquit, *hoc est, clarissima mentis acie præditum, innumerosq; habentem omni ex parte oculos, quibus acutissime cuncta prospiciat, vigilantem necesse est esse illum, qui non tantum sui curam habet, sed etiam reliquorum. Decet esse peruigilem eum, qui eiusmodi est, ac spiritu viuere, & affectus sui flāmas in operibus ipsis ostēdere, duces omnes solicitudine atque industria superare, vt die noctuq; exercitum, & castra perlustret, laboret, & sui officij munus diligentissimè impleat*

Hiero. ep. Chr. hom. 10.

pleat, atque omnium curam gerat. Et lib. 3. de Sacerdotio: *Nam si vsuenit, vt quibus ciuitatum principatus concreditus est, ij nisi valde prudentes pariter ac vigilantes fuerint, tum ciuitates ipsas euertant, tum seipsos perditum eant: quanta illum virtute non sua tantum vnius, sed & cœlesti præditum esse conuenit, cui forte obtigit vt Christi sponsam colat, ornetq;? si modo peccandi occasionem vitare is velit?*

1.Tim.3. Tit.1. A.c.4. VIII. Sobrietas: Nam Apostolus vult Episcopum esse sobrium, non vinolentum, *hoc est*, inquit AMBROSIVS de dignitate Sacerdotali, *non vino tantum, sed & vitiis parcum, vt nec vino amplius indulgeat, quam oporteat, & mente semper sobrius inueniatur.* H.ep.84. HIERONYMVS ad Oceanum eandem vocem Paulinam exponens: *Sacerdotes*, ait, *qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum & siceram bibere, ne in crapula & ebrietate aggrauentur corda eorũ, & vt sensus officium exigens Deo, vigeat semper & tenuis sit. Vinolentia scurrarum est, & comessatorum, venterque mero æstuans cito despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Qui luxuriatur mortuus est: ergo qui inebriatur, & mortuus & sepultus est.* Et libro primo in Iouinianum: *Non vinolentum, quia qui semper in sanctis sanctorum est, & qui offert hostias, vinum & siceram non bibit, quia in vino luxuria est. Sic bibat Episcopus, vt an biberit ignoretur*, quod dictum est & Ambrosij loco citato.

Tit.1. 1.Tim.3. A.l.cit. IX. Benignitas. nam ad Titum vult eundem esse *benignum, non iracundum*, & ad Timotheum *non percussorem*, hoc est, ait Ambrosius: *manus improbas ad cædem non habeat, & suspicionibus prauis minimè percutiat conscientias aliorum, ne dum petulãs inuenitur*

ad

ad cædem, athleta magis, quam Episcopus iudicetur. Sed magis è diuerso ab alijs illatas patienter ferat iniurias, vt mentis modestiam cunctis hominibus tranquillam demonstret, & firmam patientiam cunctis ostendat. Iterũ addidit dicens: Non litigiosum, id est, non linguam ad comitium relaxet Episcopus, ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo & diuina libat scrificia, litium venena proferat, quia non decet de ore Episcopi benedictionem simul & maledictionem egredi, ne per eandem linguam, qua Deus laudatur, homo maledicatur: quia non potest de vno fonte dulcem & amaram producere aquam. S. HIERONYMVS in Iouinianum. Apostolus vult, *non percussorem, id est, qui conscientias non percutiat singulorum: neque enim pugilem describit sermo Apostolicus, sed Pontificem instituit, quid facere non debeat.* S. CHRYSOSTOMVS libro tertio de Sacerdotio docet Episcopũ debere esse ab omni iracundia & furore alienum: *Huiusmodi*, inquit, *ingenio præditi, qui ad contumeliam, vim, incommodum, molestum aliquod verbum grauiter excandescunt, ab Episcopatus cancellis, à sacerdotij claustris procul arcendi sunt. Nam Episcopum inedia minimè cruciari, extenuarique, tum eundem nudis pedibus non ingredi, id certè nihil incommodabit Ecclesiæ vniuersitati: at verò agrestioris animi ferocitas furorque, tum Domino, possessoríque suo, tum etiam proximo ingentium calamitatum auctor sæpe fuit. Atque ijs quidem, qui virtutes illas non præstant, nulla à Deo comminatio, at temerè excandescendentibus gehennæ flammas æternas Deus comminatus est,* H. lib. 1.

X. Modestia & Humilitas. Requirit enim in vtraq; dicta epistola Apostolus in Episcopo, vt sit ornatus, modestus & non superbus: *Quod si iuxta* 1. Tim. 3. Tit. 1.

sensum

sensum litteræ, ait Ambrosius loco citato, *tantum respiciamus, non aliud sacerdotes, quàm amictum quærimus clariorem, verbi gratia, castorinas quærimus & sericas vestes. Et ille se inter Episcopos credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem. Sed sanctus Apostolus taliter se intelligi non vult, quia non carne Episcopum, sed mente docet esse ornatum, vt ille sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo.* S.

H. ep. 84. HIERON. ad Oceanum: *Possumus & aliud intelligere ex hoc verbo (*Ornatus*) iuxta illud Tullij, Caput est artis, decere quod facias. Sunt enim quidam ignorantes mensuram suam, & tantæ stoliditatis ac vecordiæ, vt & in motu, & in incessu, & in habitu, & in sermone communi risum spectantibus præbeant, & quasi intelligentes, quid sit ornatus, comunt se vestibus & munditijs corporis, & lautioris mensæ epulas parant, cum omnis istiusmodi ornatus & cultus sordibus fœdior sit.*

Gr. ep. 54. lib. 2. Eccl. 3. 20. S. GREGORII ad Ioannem Episcopum Rauennatem sententia est: *Nihil in Episcopali ceruice splendidius fulget, quam humilitas*; Vnde Sapiens: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*

XI. Et extrema virtus est, Bene præesse domesticæ familiæ. Hoc enim quoque B. PAVLVS in Catalogum virtutum Episcopalium retulit, dicens:

1. Tim. 3. 4. Tit. 1. 6. *Oportet Episcopum esse suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem,* addit, *domui suæ præesse nescit, quomodo Dei diligentiam habebit?* Oportet, inquit HIERON. ad

H. l. lic. Oceanum, eum esse *domum suam bene regentem, non vt opes augeat, non vt regias paret epulas, non vt calatas patinas struat, non vt phasides aues lentis vaporibus coquat,*

coquat, qui ad ossa perueniant, & superficiem carnis non dissoluant artifici temperamento: sed vt quod populo præcepturus est, prius à domesticis exigat. Filios habentem subditos cũ omni castitate, ne scilicet imitentur filios Heli, qui in vestibulo templi cum mulieribus dormiebant. Et contra Iouinianum: *Vide quanta pudicitia exigatur in Episcopo, vt si filij eius impudici fuerint, ipse Episcopus esse non possit, & eodem vitio offendat Deum, quo offendit Heli Pontifex, qui corripuerat quidem filios: sed quia non abiecerat delinquentes, retrorsum cecidit & mortuus est.* Addit contra Pelagianos: *Consideremus quoque διάταξιν pudicitiæ, filios habentem subditos in omni pudicitiâ: vt non solum opere, sed sermone quoque & nutibus se abstineant ab impudicitijs.* Et S. Ambros. *Domui suæ bene præesse potest, qui corporis sui seruauerit castitatem. Domui, inquit, hoc est corpori suo imperioso iure dominetur, ne subdatur ipse corpori suo, & in desiderio luxuriæ deditus, in præcipitium demergatur, sed potius filios suos suo castitatis exemplo ad pudicitiæ regulam doceat.* Et S. Chrysost. in hæc verba causam reddit, cur recta domus cura ab Episcopo requiratur: *Oportebat, inquit, ex vicino atque re domestica virtutis suæ præbere indicia. Quis enim crederet illum alienos quosque subiectos habiturum, qui filios non habuerit subditos? Hoc & externæ sapientiæ auctores aiunt, vt qui rem familiarem suam rite administrauerit, Rei quoque publicæ conuenienter possit contrectare negotia. Est enim Ecclesia velut domus quædam, ac sicuti in domo vxor est, ac filij & serui, omniumque cura ac regimen incumbit viro: ita ferme & in Ecclesia videas, nihil enim ibi aliud est, quam filij, & vxores serui. Quod si administrationis habeat socios Ecclesiæ Rector, habet & domi vir vxorem curarum suarum consortem.* H.lib.1. 1.Reg.4. H.lib.1. Amb.l.cit. c.4. Chr. hom. 10.

CAPVT IV.

De Episcoporum Officio.

PRIMVM Episcopi officium est, *præstare opere,* quod designat suo nomine, vt S. GREGORIVS monuit Ioannem Episcopum primæ Iustinianæ. Nomen autem *Episcopatus*, teste S. AVGVSTINO libro 19. de ciuitate DEI, *operis est, non honoris.* Vnde Apostolus: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: Opus,* inquit S. HIERONYMVS epistola 83. *non dignitatem: laborem non delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Et S. CHRYSOST. Homilia 10. in 1. epistolam ad Timotheum: *Quid ait Paulus? si quis Episcopatum desiderat, non culpo, non improbo opus quippe regiminis est. Si quis hūc idcirco appetit, non principatus ac dominationis fastu, verum cura regiminis & charitatis affectu, non improbo, inquit, bonum quippe desiderat opus.* Et S. AMBROSIVS de dignitate Sacerdotali: *Sicut Senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam nauigationis peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores, sic Episcopum non aliud nisi Episcopalis opera designat, vt ex bono opere magis, quam ex professione noscatur, plus meritis esse Episcopus, quam quod nomine vocitetur.*

Greg. l. 4. ep. 59.

Aug. c. 19.

1. Tim. 3.

Chryſ. in c. 3.

Aug. c. 3.

II. Officium est, initio Episcopatus se hostiam viuentem & sanctam Deo offerre. *Nemo enim*, vt scribit GREGORIVS Theologus in Apologetico, *magno & Deo & sacrificio & Pontifice dignus est, nisi qui prius seipsum DEO hostiam viuentem & sanctam DEO exhibuerit, rationalémque cultum gratum atque acceptum ostenderit. Deóque sacrificium*

Greg. Apol. 1.

cium laudis, ſpiritúmque afflictum atque contritum obtulerit (quod vnum ille ſacrificium pro omnibus ſuis erga nos beneficijs à nobis efflagitat.) Quo ergo tandem modo ego externum illud ſacrificium (MISSÆ) illud magnorum myſteriorum exemplar præſidenti animo ipſi offerrem, aut quo modo ſacerdotis habitum, nonénque ſubirem, priuſquam manus pijs actionibus conſecraſſem; priuſquam creaturis ſane, atque ad creatoris ſolum admirationem, non autem ad detrimentum aſpiciendis oculum aſſuefeciſſem, priuſquam diſciplinæ Domini aures ſatis aperuiſſem, &c. Quam verò nobile & præſtans, Deóque gratum, atque Epiſcopo imprimis congruens opus ſit, docet S. AVGVSTINVS ſermone quodam de natali Domini: *Sunt multi*, inquiens, *qui vouent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius vt vinum non bibat per aliquot annos, alius vt ieiunia certo tempore faciat, alius vt carnes non comedat; non eſt iſtud votum optimum, nec perfectum: adhuc melius volo. Non eligit Deus, nec ſpeciem tuam, nec oleum tuum, nec ieiunium tuum, ſed hoc, quod te hodie redemit, ipſum offer, hoc eſt, animam tuam. Et ſi interroges me, quomodo animam meam, quam ipſe habet in poteſtate, offeram? Et ego reſpondebo tibi quomodo. Moribus ſanctis, cogitationibus caſtis, operibus fructuoſis, auertendo à malo, & conuertendo ad bonum.* Certe S. CHRISOST. in Geneſin, non dubitat affirmare Apoſtolum Paulum omnes virtutes à Deo ideo conſecutum, quod totum ſe Deo obtulerit. Vide in VIRIDARIO V. *oblatio ſui.* Chr. hom. 11.

III. eſt, Diſcere & docere. D. PAVLVS enim in epiſtola ad Timotheum vult Epiſcopum eſſe διδακτικὸν, hoc eſt, docilem, vel doctorem, vt verſio noſtra habet. Vnde B. CYPRIANVS ad Pompeium: Cyp. epiſt. 74. 1. Tim. 3.

peium. PAVLVS *Apostolus ad Timotheum scribit & monet, Episcopum non litigiosum, sed mitem & docibilem esse debere. Docibilis autem ille est, qui est ad discendi patientiam lenis & mitis. Oportet enim Episcopum non tantum docere, sed & discere: quia & ille melius docet, qui quotidie crescit, & proficit discendo me-*
1. Cor. 14. *liora. Quod ipsum quoque idem Apostol. Paulus docet, præmonens, vt si alij sedenti melius reuelatum fuerit,*
Aug. lib. 4. c. 5. *prior taceat.* Quem locum allegat S. AVGVSTINVS de Baptismo contra Donatistas: *Hoc verissimum* inquiens, *est, longè grauius esse peccatum eius qui sciens, quam eius qui nesciens peccauerit. Et ideo vir sanctus Cyprianus, non solum doctus, sed etiam docilis, quod in laude Episcopi, quem designat Apostolus, sic intellexit ipse, vt diceret etiam hoc in Episcopo esse diligendum, non solum vt scienter doceat, sed etiam patienter discat.* IN S. AMBROSII libro primo de officiis hæc est primi capitis epigraphe: *Episcopi proprium munus docere populum.* Et in ipso capite: *Cum*, inquit, *iam effugere non possimus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit sacerdotij necessitudo, &c. factum est, vt prius docere inciperem, quam discere. Discendum igitur mihi simul & docendum est, quoniam non vacauit à te discere. Et quantumlibet quisque profecerit, nemo est, qui doceri non egeat, dum viuit.* Vbi nota, etsi presbyteris quoque & diaconis prædicandi potestas concessa sit, eam tamen olim proprie fuisse Episcoporum. Episcopi enim propriè Apostolis succedunt. Apostoli autem Actorum 6. dixere; *Non est bonum nos derelinquere verbum* DEI *& ministrare mensis.* Scribit etiam Possidius in vita S. Augustini cap. 5. Valerium Episcopum concessisse S. Augustino

gustino presbytero suo prædicandi potestatem. Legimus & in Synodo Vasensi canone 4. vt cum deest presbyter concionator Diaconi loco concionis homilias S. Patrum populo prælegant.

IV. Est orare pro subditis, pro Regibus, imò omnibus hominibus secundum doctrinam Apostolicam: *Omnis námque Pontifex*, ait ad Hebræos, *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis; & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Et ad Episcopum Timotheum: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Quæ verba S. Avgvstinvs epistola 59. & S. Chrysostomvs & S. Ambrosivs in commentario exponunt de precibus sacrificij Missæ, quibus vacare proprium est Episcoporum & Sacerdotum. Vnde S. Gregorivs libro primo epistolarum, epistola 24. ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, & alios: *Quid Antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Qua itaque fiducia ad Deum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propris securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentem virum, qui & tibi iratus, & mihi esset incognitus, intercessorem suum me fieri quæreret, protinus responderem. Ad interdicendum venire nequeo, quia eius notitiam ex sedula familiaritate non habeo. Si igitur rectè homo apud hominem, de quo minimè præsumpsissem fieri intercessor erubescerem, quanta hoc audacia*

Heb. 5. 1. 1. Tim. 2. 1. August. ad Paulinum.

est, quod apud Deum pro populo locum intercessoris obtineo, cui familiarem me esse per vitæ meritum non agnosco?

V. Est, hæreticos redarguere, & cum non parent excommunicare, vel è cœtu fidelium exturbare. Quo pertinet illud mandatum Christi: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum, &c. Si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Nomine Ecclesiæ intellige Episcopum, vt habet S. CHRYSOST. *Ecclesia enim*, auctore S. CYPRIANO, *est in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia.* Et Apostolus ad Timoth. Episcopum ita scribit: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina: erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Et Titum Episcopum monet, *vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere: sunt enim multi vaniloqui & seductores, quos oportet redargui, qui vniuersas domus subuertant.* Et iterum: *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Eiusmodi erant Hymenæus & Alexander circa fidem naufragantes, *quos*, inquit, *tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.* Sic S. CYPRIANVS, cum Cornelio Papa Feliciſſimum hæreticum abstentum fecit, vel excommunicauit. Sic S. AMBROSIVS, vt liquet ex epistola ad Valentinianum Imperatorem data, velut Episcopus restitit gentilibus Senatoribus, qui volebant ARAM erigi Romæ Simulacris: *Causa*, inquiens, *religionis est, Episcopus conuenio.*

Matth. 18. 15.

2. Tim. 4. 2.

Tit. 1. 9.

Tit. 3. 10.

1. Tim. 1. 20.

Cyp. lib. 1. ep. 3.

Ambr. ep. 30.

Et

Et B. HIERONYMVS ad Riparium ita scripsit: *Miror sanctum Episcopum, in cuius parochia esse presbyter dicitur, acquiescere furori eius, & non virga Apostolica, virgaq; ferrea confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat.* Et S. AVGVSTINVS contra Cresconium grammaticum: *Recole,* inquit, *iam non quid Paulus, sed quid per eum Christus locutus sit. Prædica verbum, insta oportunè, importunè, & ad Titum oportere in doctrina sana redargui, refellique ab Episcopo vaniloquos & mentis seductores indubitata præceptione firmauit. Vnde hoc etiam mihi iussum esse cognosco: hoc pro viribus ago, huic operi, quantum ipse qui iussit adiuuat, perseueranter insisto. Quid obstas, quid obstrepis, cur prohibes, cur reprehendis? Tibine obedire oportet an Deo?* Aug. lib. 1. c. 9.

VI. Pupillis, & orphanis, aliisque pauperibus & afflictis patrocinari. Ita enim scribit S. AMBROSIVS Valentiniano Imperatori: *Glorioſum est mihi hoc pro salute pupilli Imperatoris. Quos enim Episcopi magis, quam pupillos debemus tueri? Scriptum est enim; Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & eruite iniuriam accipientem. Et alibi; Iudices viduarum & patres orphanorum.* S. HIERONYMVS ad Nepotianum: *Gloria Episcopi est pauperum opibus prouidere. Ignominia omnium sacerdotum est proprijs studere diuitijs.* S. AVGVSTINVS de Verbis Apostoli: *Pro magno commendatur Episcopis patrimonia pupillorum, quantum magis gratia paruulorum? Pupillum tuetur Episcopus, ne mortuis parentibus ab extraneis opprimatur.* S. GREGORIVS ad Ianuarium Archiepiscopum: *Pastoralis regiminis necessitate compellimur, vt orphanorum, viduarúmque cauſis solertius, quā curis ceteris insistamus.* Et in Euāgelia inde probat Amb. ep. 27. Isai. 1. Psal. 67. Hier. ep. 2. Aug. serm. 10. Greg. ep. 62. Id. hom. 14.

Episcopos debere bona temporalia communicare egentibus, quod pastoris boni sit etiam animam ponere pro ouibus: *Ostensa*, inquiens, *nobis est via, quam sequamur: apposita est forma, cui imprimamur. Primum nostrum est exteriora nostra misericorditer ouibus eius impendere: postremum verò, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ouibus ministrare. Sed cum incomparabiliter longè sit melior anima, qua viuimus, quam terrena substantia, quam exterius possidemus, qui non dat pro ouibus substantiam suam, quando pro ijs daturus est animam suam?* S. Chr. lib. 6. CHRYSOST. in libris de Sacerdotio, hoc Episcoporum officium etiam ad mulieres extendit: *Cui*, inquit, *administrandus Episcopatus forte obuenerit, pro mulierum quoque salute, si non maiorem, quam virorum, at parem certe curam, studiumque oportet impendere. Nam & eas inuisere ægrotantes & solari lugentes, & increpare languentes, & adiuuare afflictos oportet, quæ omnia dum fiunt plures irrumpendi aditus dæmon inuenire potest, nisi exactissima custodia sese vallauerit.*

VII. Est, vicos omnes, & ciuitates eius curæ Basil. c. 12. commissas inuisere. Hoc officium tradit S. BASILIVS in Moralibus, & probat ab exemplo Matth. 4. 23. Christi, de quo S. Matthæus: *Et circuibat*, inquit, *IESVS totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo.* Quem locum exponens Chr. hom. 7. CHRYSOST. in imperfecto: *Nos*, ait, *qui sumus vnius regionis Pastores, etsi regiones circumire opus non habemus, tamen singulas species passionum populi circumire & considerare debemus, id est, diligenter attendere, qui sunt in populo, qui anaritia morbo*

morbo laborent, vt aliquem sermonem de auaritiæ malo faciamus ad medicamentum sanitatis illius, qui auaritiæ stimulis agitatur, &c. Item debemus illis prouidere, qui in populo ardentibus libidinis febribus valde laborant. Quemadmodum enim paterfamilias studiosus scit in domo sua, quid vnusquisque necessarium habeat, ita & sacerdos singulorum mores & actus & conuersationem debet discere, vt quale quibúsque medicamentum necessarium fuerit, subministret. Lege GREGORIVM Nazianzenum copiosè probantem Episcopum debere esse peritissimum Medicum animarum. Pastorum enim est non solum pascere oues sanas, sed etiam mederi ægris, vt Deus ipse tradidit apud Ezechielem. Gr.Apol.1. Ezech.34.

VIII. Idoneos tantum & dignos ad Ordines sacros aliásque dignitates Ecclesiasticas promouere. Perspicuum enim mandatum est Apostoli ad Episcopum Timotheum: *Manus cito nemini imposueris, nec communicaueris peccatis alienis. Quid sibi vult cito?* inquit in ea verba Chrysostomus, *non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia, sed vbi consideratio diuturna præcessit, exactissimáque discussio, tunc imponito manus. Neque enim ea res periculo caret. Eorum enim quæ ille peccauerit, tu quoque pœnam dabis, qui initium dedisti etiam præcedentium delictorum. Qui enim improbè prima remisisti, etiam futuris eris obnoxius, quod ipse quasi auctor extiteris præteritorum, qui ea flere non sciueris, vt possent per compunctionis gratiam relaxari. Quemadmodum enim rectè factis, ita peccatis quoque communicas.* Et S. HIERONIM. in cap. 58. Isaiæ; *Paulus scribit ad Timotheum; Manus citò nemini imposueris. Non est enim peccatum leue mittere margaritas ante precos, & dare* 1. Tim. 5. 22. Ch. hom. 16. Hier. libr. 16. com.

sanctum canibus, & ordinationem clericatus nequaquam sanctis, & in lege Dei doctissimis, sed assectis suis tribuere, & vilium officiorum ministris, quodq; his dedecorosius est, mulierclarum precibus. In quo considerandа loquentis in se Christi Apostoli sapientia, qui vt ordinationis periculum demonstraret, iunxit tormenta peccantium. Neque communicaueris peccatis alienis. Sicut ergo in ordinationib. malorum est particeps peccatorum, qui tales constituit: sic in Ordinatione sanctorum, particeps est, eorum iustitiæ, qui bonos elegit.

IX. Lectioni, orationi, prædicationi & eleemosynis vacare, iuxta illud Apostoli: *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Et: *Oportet Episcopum esse hospitalem.* Vnde Synodo 4. Carthaginensi: *Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet. sed lectioni & orationi, verbi Dei prædicationi tantummodo vacet.* Et S. GREGORIVS Secundino: *Non tibi credat* Martinus Episcopus, *solam lectionem & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu minimè fructificare sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.*

1. Tim. 4. 13.
Tit. 1. 8.
Syn. c. 20.
Dist. 88. c. episc. nullam.
G. l. 5. ep. 129.
Dist. 86. c. fratrem.

X. Et vltimum officium est ab Ecclesia vel diœcesi sua, non nisi graui & legitima de causa abesse. Nam Episcoporum proprium est regere Ecclesiam DEI, iuxta dictum Apostoli in Actis: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Atqui si absint, non rectè regunt, nam apud B. Ioannem grauiter Christus arguit pastorem, qui tanquam *mercenarius* gregem suum deserit. Et Zacharias Propheta exclamat; *O pastor & idolum derelinquens gregem suum.* In Apostolorum quoque canonibus,

Act. 20.
Ioan. 10.
Zach. 11.

nibus, in tractatu de Residentia Episcoporum à Francisco Turriano citatis, Christi communione priuantur, qui à grege suo absunt. Quod idem docet faciendum S. Athanasius in epistola ad Episcopos suas diœceses repetentes. Et S. Damasus epist. 4. Concilium quoque Tridentinum sess. 23. cap. 1. de Reformatione duo de hac re sanxit. Primò, *diuino præcepto mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas cognoscere, pro iis sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, sacramentorúmque administratione, &c. pascere.* Secundò, *hæc omnia nequaquam ab his præstari & impleri posse, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.*

CAVSÆ autem legitimæ, ob quas aliquando abesse possint Episcopi à suis Ecclesiis ab eodem Concilio numerantur fere quatuor. I. est CHARITAS Christiana, vt si possit necessitati alterius diœcesis occurrere, cum paruo dispensio propriæ. II. est VRGENS Necessitas, vt propter pestem, vel persecutionem, quando populo prospectum esset per Vicarios, vt docuit IVLIVS Papa in epistola ad Orientales, & PELAGIVS II. epistola ad Benignum. III. est OBEDIENTIA debita, vt si euocetur ob aliquod negotium à summo Pontifice, quod negotium in vtilitatem Ecclesiæ cedat. IV. est Ecclesiæ euidens vtilitas, vt quando cum facultate Romani Præsulis vni duo Episcopatus committuntur. c. de multa. extra, de præb.

CAPVT

CAPVT V.

Quam arduum & periculosum sit Episcoporum munus.

QVAM verò arduum & difficile, atque etiam periculi plenum sit munus Episcoporum, etsi ex dictis satis liqueat, clarius tamen demonstrari potest ex quibusdam tum Spiritus sancti, tum sanctorum Patrum dictis. Nam in libro Sapientiæ scriptum: *Iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiúsquam DEVS, quoniam pusillum & magnum ipse fecit. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Cui conuenit illud Christi apud B. Lucam: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo*; Rationem quoque huius durissimi iudicij Spiritus sanctus non reticuit, nempe quia in extremo illo iudicij die Episcopi, & alij Præpositi rationem Deo reddituri sunt, non pro suis tantum, sed etiam omnium subditorum animabus. Nam DEVS apud Ezechielem sic alloquitur pastores ignauos: *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam, vt vltra non pascant gregem meum.* Et B. Paul. ad Hebr. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationē pro animabus vestris reddituri.* Vnde CHRYSOST. in fine lib. 3. de Sacerdotio: *Si enim horremus, dum iudicium id nobis subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri sumus, vt qui sentiamus nos ignem illum æternum effugere nequaquam posse, quid illi expectandum est, qui tam multorum nomine causas sit dicturus? Quod autem hoc verum sit, audi*

Sap. 6. 6.

Luc. 12. 48.

Ezech. 34. 10.

Hebr. 13. 17.

audi B. Paulum, aut potius non Paulum, sed Christum Pauli ore loquentem. Parete eis qui præsunt vobis, & concedite: nam illi vigilant pro animis vestris tanquam rationem reddituri. Hiccine exiguus tibi videtur comminationis terror? equidem illum, quantus sit, verbis exprimere nõ possum. Itaque alibi nõ dubitat ita scribere: Chr. hom. 3. in Acta. *Non arbitror inter sacerdotes multos esse qui salui fiant, sed multo plures, qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum requirit animũ: multas enim habet causas, quæ depellant ipsum à suis moribus, & innumeris oculis illi opus vndique. Non vides, quam multas res oporteat adesse Episcopo, vt sit appositus ad docendum, vt tolerans malorum, vt tenax sit ac fidelis in doctrina sermonis. Quantæ hoc difficultatis? & quod alij peccant, illi imputatur. Nihil dico præterea, si vel vnus tantũ decedat non initiatus, nonne totã ipsius subuertit salutem? Vnius enim animæ perditio tantam habet iacturam, vti nulla ratione possit æstimari. Etenim si vnius animæ salus tãti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo, tantaq; pateretur: perditio cogita, quantam conciliabit pœnam. Quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quanto magis ille.*

Deinde Apostolus ab Episcopo exigit non modo vt sit iustus, & sanctus, verumetiam irreprehensibilis. Tit. 1. 1. Tim. 3. Hieron. libro primo aduersus Pelagianos: *Quod dixit Paulus, irreprehẽsibilis, inquit, aut nullus, aut rarus. Quis est enim, qui non quasi in pulchro corpore, aut næuum, aut verrucam habeat? si enim ipse Apostolus dicit de Petro, quod non recto pede incesserit in Euangelij veritate, & in tantum reprehensibilis fuerit, vt & Barnabas adductus sit in eandem simulationem, quis indignabitur id sibi denegari, quod Princeps Apostolorũ non habuit?* Gal. 2. Et paulo post: *Aut nullus, inquam,*

inquam, *aut rarus est, qui omnia habeat, quæ habere debet Episcopus.* Et in epistola ad Oceanum eundem locum Apostoli tractans: *Oportet*, inquit, *Episcopum irreprehensibilem esse. Idipsum quoque ad Titum; Si quis est sine crimine. Omnes virtutes in vno sermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum etiam in otioso verbo reprehensione dignum est: quis est ille, qui absque peccato, id est, sine reprehensione versetur in mundo? Sed futurus Pastor Ecclesiæ talis eligitur, ad cuius comparationem rectè grex ceteri nominentur.* NEQVE solum ab omni vitio alienus esse debet Episcopus, sed omni virtute conspicuus. Qua de re agens NAZIANZENVS in Apologetico; *Deinde*, ait, *vt etiam se aliquis (Episcopus) ab omni peccati labe purum tueatur, aut ad id certè quam proximè accedat, haud tamen scio, id ne ei sufficiat, qui alios ad virtutẽ erudire parat. Neque enim ab eo, cui hæc cura commissa sit hoc solum requiritur, vt à vitiis alienus sit (quod subditorum quoque plerisque turpissimum esse censetur) verum etiam vt virtute præcellat, iuxta illud Scripturæ præceptum, quo declinare à malo, & bonum facere iubemur. Nec satis habere debet vitiosas animæ formas obliterare, nisi meliores quoque notas ipsis substituat, vitaq́, integritate magis, quam dignitate atque auctoritate præstet: nec modum sibi vllum honestè viuendi, atque in virtute progrediendi constituat.*

H.ep.83.

Psal.36.

TERTIO Christus apud B. Ioannem à quouis Pastore Ecclesiæ, ac proinde imprimis ab Episcopo, tantam exigit charitatem, vt paratus sit animam ponere pro ouibus suis. Cuius exemplum illustre præbuit Princeps pastorum dicens: *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.*

Ioan.10.11.

suis. Et iterum; *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.* De quo & in priori epistola S. Ioannes: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Ioan. 1. c. 3. 16. Præbuit & B. PAVLVS scribens ad Corinthios: *Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* 2. Cor. 12. 15. Et ad Romanos: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Rom. 9. Hæc exempla fuisse summæ charitatis, quãta fuit in Martyribus, qui sanguinem suum pro Christo profuderunt, testatur Christus ipse, dum ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. 13. Quanta autem fuerit charitas Apostoli egregiè describit CHRYSOST. in commentario loci citati: *Relictis,* ait, *fabulis & nugis ad ipsum Pauli sermonem regrediamur in ipsius dilectionis veluti pelago delitiantes, & cum securitate vbilibet innauigantes ineffabilem illam flammam consideremus. Immò quicquid dixeris, nihil tamen hac dilectione dignum fuerit. Fuit enim illa quouis pelago fusior, omnique flamma vehementior. Vnde est, quod nullo queat sermone declarari. Solus quippe illam nouit, qui dilgenter illam possedit ac tenuit. Reducamus ergo nunc denuo in medium ipsa verba. Optabam ego ipse anathema esse. Quid est, ego ipse? Ego ipse qui doctor omnium constitutus sum, qui innumeris rectè factis commendor, qui coronas expecto plurimas, qui Christum vsque adeo diligo, vt illius dilectionem omnibus præferam, qui propter ipsum quot die veluti flammis, ira, molestiis & afflictionibus prope consumor, & in summa in vniuersum omnia dilectioni illi, quam erga ipsum habeo, postpono.* C. ho. 16. ad Rom.

QVARTO, *Sed sit sane aliquis Episcopus,* ait GREG.

Theolo

Theologus, *non modo à vitiorum contagione purus, verum etiam ad summum virtutis, (*& charitatis*) fastigium euectus: haud equidem video, quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus huiusmodi Præfecturam suscipere intrepide queat. Nam profecto ars quædam artium, & scientia scientiarum mihi esse videtur hominem regere, animal omnium maximè varium & multiplex. Id porrò hac demum ratione quispiam perspexerit, si animarum curandarum rationem, cum corporum medicina contulerit, quantóque hac nostra laboriosior, quam illa sit, expenderit, ac tum materiæ natura, tum artis facultate, tum actus fine præstantior. Illius enim labor circa corpora versatur, omninò tandem interitura: at huius studium circa animam impenditur, quæ ex DEO est, atque diuina, supernáq; nobilitatis particeps. Illius medicus regiones & tempora, & ætates & anni partes cæteráque huius generis explorabit medicamenta ægrotanti propinabit, victúsque rationem præscribet, noxiáque obseruabit, ne præsidiis artis ægroti cupiditates obsistant. Ignem etiam interdum, & ferrum, asperioráque medicamenta nonnullis adhibebit: quæ tametsi perquam laboriosa & molesta esse videantur, nihil tamen eorum perinde arduum atque difficile est vt mores, & affectus, & vitam, vitæq; instituta, atque alia huiusmodi res intestinas perspicere ac meditari, atque agrestibus omnibus belluinisque vitiis à coniunctione nostra expulsis, id omne quod mansuetum est, ac DEO gratum in eorum locum subrogare ac confirmare. Quin illud etiam mecum considero, quod omnia ea, quæ modo enumeraui, velut medico seruata, constanter in natura sua manent, nec versute quicquam contra moliuntur: at nobis ingenij solertia, & cæcus nostri amor, & quod facile cuiquam cedere, nec scimus, nec sustinemus,*

G. Apol. 1.

Item Chr. hom. 15. in 2. epist. ad Corinth.

nemus, plurimum ad virtutem impedimenti affert, ac velut instructa acie sese iis, qui nobis opem ferunt, opponit: quantumq; studium à nobis adhiberi conueniebat, vt morbum medicis detegeremus, tantum ad medicinam fugiendam adhibemus, atque in nostram perniciem fortes sumus. Vel enim turpiter & abiectè peccatum supprimimus, non secus ac malignum quendam morbum & subputridum in intimis animæ receſſibus occultates, vel excusationes in peccatis proferimus verborum patrocinium vitiis nostris exquirentes, vel etiam obstructis aspidis surdæ ritu auribus nostris obstinato studio in hoc incumbimus, vt ne incantantium vocem audiamus.

QINTO accedit, *quod sicut non eadem*, pergit idem NAZIANZENVS, *medicamenta, nec eadem* Gr. l. cit. *alimenta corporibus omnibus offeruntur, sed alia aliis: eodem quoque modo animæ diuersa ratione, disciplinaq; curantur. Alios enim mouet oratio: alij antistitis exemplo componuntur: alij carcaribus opus habent, alij fræno: Aliis laus prodest, alijs reprehensio, modo vtraq; tempestiue adhibeatur. Alios cohortatio ad officium ducit, alios obiurgatio. Atque hæc rursus alios, si palam arguãtur: alios si remotis arbitris increpentur. Quidam ita studioſe obseruandi sunt, vt ne minima quidem & leuissima eorum errata dissimulentur: contra in aliis ad nonnulla conniuere satius fuerit, ita vt videntes non videamus, & audientes non audiamus, sicut dici solet. Quinetiam cum nonnullis ita agendum est, vt irati hominis, ac de salute eorum desperantis speciem præ te feras, cum tamen reuera, nec ipsis iraſcaris, nec pro perditis ac deploratis habeas. alij rursus lenitate & humilitate curãdi, coniunctaque animi alacritate ad meliorem spem reuocandi. Alios vincere, aliis cedere plerumque vtilius fuerit. Aliorum item opes & potentiam, aliorum egesta-*

tem, calamitatemq; vel laudare, vel execrari, &c. Quæ quidem omnia ratione distinguere, atque ita exactè perspicere, vt tota medendi ratio in summam colligatur, impossibile est, quantacunq; cura & ingenij sagacitate polleat. Quocirca via proculdubio regia Episcopis magna cum circumspectione incedẽdum est, nec vel ad dexteram vel ad sinistram, vt est in Prouerbiis, declinandum. Hucusque GREGOR. Nazianzenus, cuius Apologeticum, quia legerat prudentissimus Romanorum Pontificum S. GREGOR. Romanus, ita in prologo tertiæ partis sui Pastoralis scribit: *Vt longè ante nos reuerendæ memoriæ* GREGORIVS *Nazianzenus edocuit, non vna eademq; exhortatio cunctis congruit, quia nõ cunctos par morũ qualitas astringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt. Quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia enutriũt, alia occidũt: & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo Doctorum, vt & sua singulis congruant, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat.* Subiicit deinde 36. formulas admonitionũ, quomodo aliter hi, aliter illi, viri aliter ac fœminæ; viri aliter, quam senes; domini quam serui, &c. sint admonendi.

S. Th. 2. 2. q. 185. art. 1. SEXTO, S. Patres, & plerique omnes scholæ Theologi ob dictas, aliasque causas iudicant temere facere eos, qui licet idonei sibi videantur, appetunt vel ambiunt Episcopatus munus. De quibus imprimis conqueritur S. BASILIVS, dum in exitu libri de Spiritu sancto Ecclesiarum æui sui statum exponit: *Qui*, inquiens, *seipsos suis*

B. c. 30.

elegere

elegere suffragiis, quique affectant principatum, ij Ecclesiarum Præfecturas sortiuntur repulsa sancti Spiritus administratione, iamq; prorsus Euangelicis ritibus ob sublatum rerum ordinem confusis, ineffabilis est ad Præfecturas irruptio eorum, quorum quisque se palam ingerit ad dignitates vi depulsis ceteris. S. GREGOR. Nazianzenus cum in Apologetico multas rationes attulisset, cur refugisset honorem Episcopatus, quem tamen tandem oblatum accepit, ita sermonem concludit: *Videte quam rectè & iustè vtriusque metus causam disceptem, nimirum vt nec minime oblata Præfectura cupidè appetatur, nec oblata repudietur. Illud enim temerariorum est hominum, hoc præfractorum & contumacium, vtrumq; verò ineptorum. Atque ipse inter nimium audaces, & nimiũ ignauos & timidos quodammodo interiectus sum: nempe & his, qui ad præfecturas omnes temerè prosiliunt, timidior: & ijs rursus, qui ab omnibus abhorrent, præfidentior. Hæc de his rebus mea est sententia.*

S. CHRYSOST. lib. 3. de sacerdotio, cùm explicasset quã formidabile & periculosum sit munus Episcoporũ & Sacerdotum; *Equidem*, inquit, *ex ijs, quæ à me dicta sunt, auditorum mentes tanta puto religione occupatas, vt non iam eos, qui fugiunt, sed eos, qui per se accedunt, honoremq; istum vltro sibi ambiunt, contumaciæ, temeritatis atque audaciæ accusent.* Et post: *Sacerdotis animum honoris illius desiderio vndique vacare oportet. Nam si ad eum principatum adipiscendũ vehementi animi affectu rapietur, eo adepto impotentiorem sanè ambitionis suæ flammam incendet, ac vi tandem captus, vt sibi adeptum honorem stabilitat, nulli non peccato seruiet.*

S. AVGVST. 19. de ciuitate Dei: *In actione non* Aug. c. 19.

amandus est honor in hac vita, siue potentia, quoniam omnia vana sub sole, sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, si rectè atque vtiliter fit, id est, vt valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundum Deum est. Propter quod ait Apostolus: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Et paulo post: *Locus vero superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur vt decet, tamen indecenter appetitur.*

S. BERNARDVS sermone 2. de ascensione: *O peruersitas, ô abusio filiorum Adam, quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, illi & leuiter ascendunt, & difficilius descendunt parati ad honores & celsitudines graduũ Ecclesiasticorũ ipsis etiam angelicis humeris formidandos.* Et Sermone 10. in Cantica agens de inidonea ad Episcopatum: *Talis quidem*, inquit, *si forte ad regimen animarum, seu ad officium prædicationis assumitur, aliis quidem non prodest, sibi vero obest plurimum: porrò se ingerere, quanta impudentiæ est?* AVCTOR operis imperfecti in Matth. *Quicũque desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo, nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit.* Vide GREG. à Valentia in 22. S. Thom. disput. 10. qu. 3. de Statu Episcop.

A. ho. 35. Dist 40. c. multi.

SEPTIMO multi Sancti laudantur, qui, licet dignissimi essent, tamen oblatum Episcopatum repudiarũt; atque imprimis MOYSES & Ieremias, qui post oblatam etiam à DEO præfecturam, imbecillitatis suæ memores se purgarunt. IONAS verò etiam aufugit. 2. S. GREGOR. Thaumaturgus, quem teste Gregorio Nysseno iã fuga elapsum Phidanus Amasiæ Episcopus, licet corpore absentem,

Exo. 4. 10. Ier. 1. 6. Ion. 1. 3.

Nyss. in vita eius.

tem, in Antistitem Neocæsarienſem conſecrauit. 3. Greg. Nazianzenus, qui in Pontum fugit, ne à parente ad Epiſcopatum Nazian. cuehereretur: pro qua fuga Apologeticum doctiſſimum ſcripſit, qui extat. 4. S. Ambrosivs, qui à populo Mediolanenſis Epiſcopus poſtulatus noctu ex vrbe ſe proripuit teſte Paulino. 5. S. Martinvs, quem inuitum ad thronum Epiſcopalem Turonicum protractum teſtatur Seuerus Svlpitivs. 6. S. Chrysost. qui, vt ipſe fatetur libro primo de Sacerdotio, cum rumor increbuiſſet, de ſe ad Epiſcopatum rapiendo, ſeſe occultauit. 7. S. Avgvstinvs, qui idem ſibi contigiſſe tradit epiſtola 148. 8. S. Gregorivs Romanus, qui poſt fugam, teſte Ioanne Diacono, indicio columnæ igneæ proditus eſt & ad gubernacula protractus. 9. S. Ammonivs Eremita, qui teſte Palladio in hiſtoria Lauſiaca, aurem ſibi præcidit, ne fieret Epiſcopus. 10. S. Malachias, qui auctore S. Bernardo non ante Epiſcopatum in Hibernia ſuſcepit, quam Epiſcopi anathema ei comminarentur: *Omnem enim locum ſublimem & excelſum*, ait ille, *velut præcipitium reformidabat.* Ipſe quoque ſanctus Bernardus, & poſt eum S. Thomas Aquinas, S. Bernardinus, aliſque multi honorem Epiſcopalem delatum, non ſemel repudiarunt. Quod autem Epiſcopatus ſemel ſuſceptus poſſit aliquando cum laude deſeri, multis exemplis oſtendit B. Petrvs Damiani Cardinalis, qui & ſuum deſeruit, ac ad monaſticen rediit.

Gr. in eius vita. Paul. in vita. Sulp. in vita. Metaphr. in vita. Ioann. in vita. P. c. 12. P. lib. 1. ep. 9. & 10.

Octavo & poſtremo, plurimi, quod Epiſcopatu excidiſſent, qué cupide ambierant, facti ſunt hæretici & hæreſiarchæ. Inter quos primus céſeri

potest SIMON MAGVS, qui non solum ambiuit Apostolicum primatum, sed vt liquet ex cap. 8. Actorum pretio coemere voluit. 2. fuit THEO-
Eus. ca. 22. BVTES, de quo Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ. 3. VALENTINVS, de quo Tertullianus libro contra Valentinianos. 4. MARCION, teste Epiphanio hæresi 42. 5. MONTANVS, teste Theodoreto lib. 3. de hæreticorum fabulis. 6. NOVATIANVS, vt habet Eusebius libro 2. historiæ, c. 33. 7. SABELLIVS, de quo Epiphanius hæresi 8. 57. ARIVS, de quo Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum. 9. AERIVS, de quo Epiphanius hæresi 75. 10. NESTORIVS, quem Episcopatum ambiisse tradit Theodoretus lib. 4. hæret. fabularum. Ioannem VVICLEFF factū hæresiarcham cum Episcopus esse non posset, testatur Thomas Valdensis lib. 2. doctrin. fidei, c. 60.

CAPVT VI.

De Electione Episcoporum.

ELECTIONIS nomine hoc loco comprehendimus, & Ordinationem, & Vocationem seu Missionem. *ELECTIO* quidem nihil est aliud, quam certæ personæ designatio ad Ecclesiasticam præfecturam. *Ordinatio* est sacer ritus, quo futurus Episcopus inungitur & consecratur. *Vocatio* seu Missio est Iurisdictio, qua reipsa Episcopus & Pastor fit.

QVOD ad *Ordinationem* attinet, ea à solis Episcopis fieri potest, siue Episcopi consecrandi sint, siue alij Ecclesiæ ministri. Nam in veteri testamé-
Leu. 8. to, vt liquet ex Leuitico, solus Moyses Aaronem,

&

& filios eius primos sacerdotes ordinauit. Moysen autem sacerdotē fuisse indicat illud Psaltis; *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.* & docent è veteribus sacerdotem & Pontificem fuisse. PHILO libro 3. de vita Moysis, Hieronymus in Iouinianum, Augustinus in Psalmum 98. Nazianz. oratione ad Nyssenum, S. Leo epist. 88. IN nouo vero testamento Ordinatio semper Apostolis tribuitur & Episcopis. Nam in actis soli Apostoli per manus impositionem Diaconos ordinarunt. Et Apostolus ad Timotheum, *Noli*, ait, *negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij.* In quæ verba Chrysostomus, *Non de presbyteris hic loquitur, sed de Episcopis, neque enim profecto presbyteri ipsum ordinarant.* Deinde ibidem Episcopo dicit, *Manus cito nemini imposueris.* Et, *Resuscita gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum.* VTRIQ. testamento cōsentiunt & Concilia. Inter canones certe Apostolorum primus, & Synodi Nicenæ primæ quartus est, *Episcopum ordinandum esse à tribus Episcopis.* Patres vero constanter soli Episcopo tribuunt ordinationem tum Episcoporum, tum presbyterorum, aliorumque Ecclesiæ ministrorum, vt Epiphanius in Panario, Chrysost. in 1. epistolam ad Timoth. Hieronymus ad Euagrium, Augustinus in breuiculo collatione tertia.

Psal. 98. H. lib. 1. Act. 6. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. Epip. hær. 75. Ch. hō. 3. & 4. H. ep. A. cap. 3.

QVOD *ad Vocationem, vel Missionem attinet*, ea quoque ad Episcopos, & præcipue ad Summum Pontificem pertinet. Nam apud S. Matthæum D. Petro omnis potestas iurisdictionis promissa est, cum diceret Christus, *Tibi dabo claues.* & apud B. Ioannem tradita, cum dixit, *Pasce oues meas.* Eadem

Matth. 16. Ioan. 21.

& Apostolis, quorum successores diximus esse Episcopos, data est apud eundem, cum diceret, *Ego mitto vos, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20. Act. 14. 2. in Actis Apostolicis legimus Paulum & Barnabam Apostolos, & Episcopos constituisse per ciuitates presbyteros. Et ad Titum idem Paulus. *Huius rei gratia,* ait, *reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego constitui tibi.* Tit. 1. Hinc sequitur perperam à sectariis vocationē, & ordinationem tribui Laicis.

VENIAMVS ad ELECTIONEM. Hanc etsi populus aliquando vsurparit, iure tamen diuino ei non cōuenit. Nam Apostolus ad Hebræos ait, *Neminem sibi assumere honorem nisi vocetur à Deo.* Heb. 5. at Aaron à solo Moyse electus est in Pontificē, sine vllo consensu populi. 2. quia Christus apud Ioannē ait; *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ioan. 20. At ipse primum Apostolos, deinde discipulos 72. elegit nullo adhibito populi suffragio. 3. Populi sunt oues, Episcopi vero pastores, secundum scripturas. Ioan. 21. Act. 20. & 1. Petri 5. at ouium non est pastores eligere, & regere, sed pastorum. Deinde Apostoli passim eligebant Episcopos sine multitudinis suffragio, & ad exteras nationes mittebant. 4. Laodicenæ Synodi canon est, *Non est permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promouendi.* Laodic. 1. can. 13. 5. electio popularis obnoxia est tumultibus teste S. AVGVSTINO. A. ep. 110. & 215. Scribit S. HIERONYM. in Chronico, & Ammianus Marcellinus in electione S. Damasi Papæ in quodam templo 137. homines trucidatos, tumultu populari. Marc. lib. 27. QVÆRES, cui ergo conueniat iure diuino? Respondeo, nec clero conuenire, quia tunc esset totius cleri

cleri eligere Episcopum,& eadem incommoda ob multitudinem clericorum accidere possent,quæ in populo. Vnde factum est,vt præcipui tantum è clero iam à multis seculis Episcopum eligant. Quare statuendum est iure diuino tantum conuenire Summo Pontifici, cui soli dictum est; *Pasce oues meas.* LEGE Cardin. Bellarminum lib.1.de Clericis. QVÆ autem conditiones Antistitis eligendi esse debeant satis liquere potest ex superiori c.3.& 4. Et ex Gratiano, in Margarita Decreti verbo ELECTIO. Ioan.21.

DE EREMITARVM STATV.

CAPVT I.

De significatione vocis Eremitarum.

EREMOS Græcè, Latinè dicitur desertũ, vel Locus solitarius. Vnde Eremitæ dicti incolæ loci solitarij. Vsus vero iam in Ecclesia obtinuit, vt ea nomenclatura indigitemus monachos solitarios,qui in locis desertis, montibus & cauernis ab omni mortalium consuetudine segregati degunt, Deoque seruiunt in precibus,ieiuniis, vigiliis omníque vitæ seueritate. Dixi esse Monachos, nam S. PATRES duo fere genera faciunt Monachorum,quorum alios vocant Cœnobitas quasi communem vitam in vno Monasterio agentes, alios vero Eremitas, vel Anachoretas, id est separatos. Ita docet S. HIERONYMVS epistola ad Eustochium, de Virginitate. Sanctus H.ep.22.

Aug. c.31. Caſſ. c.4. Iſi. c.15. AVGVSTINVS lib. 1. de moribus Eccleſiæ, & IO. CASSIANVS collatione 18. Itaque hallucinatus eſt ISIDORVS lib. 2. de diuinis officiis diſtinguens Eremitas ab Anachoretis. Numerat quidem Caſſianus loco citato tria genera Monachorum in Ægypto degentium, vt tertium ſit Sarabaitarum. Sed mox addit; *Quorum duo ſunt optima, tertium tepidum atque omnimodis euitandum. Primum eſt cœnobitarum, qui ſcilicet in congregatione pariter conſiſtentes, vnius ſenioris iudicio gubernantur, cuius generis maximus numerus monachorum per vniuerſam commoratur Ægyptum. Secundum Anachoretarum, qui prius in cœnobijs inſtituti, iamq; in actuali conuerſatione perfecti ſolitudinis eligere ſecreta, cuius profeſſionis nos quoque optamus eſſe participes.* Idem habet B. HIERON. epiſt. citata. Et addit de Sarabaitis, quos vocat Remoboth; *Hi bini*, inquit, *vel terni, nec multo plures ſimul habitant ſuo arbitratu ac ditione viuentes, & de eo quod laborarint in medium partes conferunt, vt habeant alimenta communia. Habitant autem quamplurimum in vrbibus & caſtellis, & quaſi ars ſit ſancta, non vita, quicquid vendiderint maioris eſt pretij. Inter hos ſæpe ſunt iurgia: quia ſuo viuentes cibo non patiuntur ſe alicui eſſe ſubiectos, reuera ſolent certare ieiunijs, & rem ſecreti victoriæ faciunt. Apud hos affectata ſũt omnia, lata manica, calligæ follicates, veſtis craſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum, detractio clericorum, & ſi quando dies feſtus venerit, ſaturantur ad vomitum.* Hæc ille.

CAPVT II.

De Anachoretarum origine & vita.

EREMITARVM vel ANACHORETARVM origo poſterior fuit, quam Cœnobitarum, vt collatione

tione citata fuse explicat CASSIANVS, qui se anachoretam professus est, *Cœnobitarum disciplina, ait, à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis extitit omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus Apostolorum ita describitur; Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorũ quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, &c. Sed cum post Apostolorum excessum tepescere cœpisset credentium multitudo, &c. non solum hi, qui ad fidem Christi confluxerant, verum etiam, qui erant Ecclesiæ principes ab illa districtione laxati sunt. Hi autem quibus adhuc Apostolicus feruor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes ab illorum consortio, qui ecclesiæ remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis ac secretioribus commanere, & ea quæ ab Apostolis meminissent instituta, priuatim exercere cœperũt, atq; ita coaluit ista, quam diximus disciplinarum, qui se ab illorum contagio sequestrauerant, disciplina. Istud ergo solum fuit antiquissimum monachorum genus, quod non modo tempore, sed etiam gratia primum est, quodq; per annos plurimos solum inuiolabile vsque ad Abbatis Pauli vel Antonij durauit ætatem. Cuius etiam nunc adhuc in districtis cœnobijs cernimus desidere vestigia.* Cass. col. 18. c. 5. Act. 4. 32.

DE HOC subiicit CASSIANVS, *perfectorum numero, & vt ita dixerim, fœcundissima radice, sanctorum etiam Anachoretarum post hæc flores, fructusq; prolati sunt. Cuius professionis principes hos, quos paulo ante memorauimus, sanctum videlicet Paulum vel Antonium nouimus extitisse, &c. Ita ergo processit ex illa, quam diximus, disciplina aliud perfectionis genus, cuius sectatores Anachoretæ, id est, secessores merito nuncupantur, eo quod nequaquam contenti hac victoria, qua* Cass. c. 6.

inter

inter homines occultas diaboli insidias calcauerunt, aperto certamine ac manifesto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vastos eremi recessus penetrare non timeant, ad imitationem scilicet Ioannis Baptistæ, qui in eremo tota permansit ætate.

H. tom. 1. S. HIERONYMVS de Origine anacoreticæ Vitæ initio Vitæ B. PAVLI Eremitæ ita disputat. *Inter multos*, ait, *sæpe dubitatum est, à quo potissimum Monachorum eremus habitari cepta sit. Quidam enim*

Luc. 1. 43. *altius repetentes à beato Helia, & Ioãne sumpsere principium: quorum & Helias plus nobis videtur fuisse, quã monachus, & Ioannes ante prophetare cepisse, quam natus est. Alij autem, in quam opinionem vulgus omne cõsentit, asserũt Antoniũ huius propositi fuisse caput, quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quam ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas vero & Macarius discipuli Antonij, quorum superior magistri corpus sepeliuit, etiam nunc affirmant, PAVLVM quendam Thebæum principem istius rei fuisse, quod non tam nomine, quam opinione nos quoque comprobamus.*

B. ep. 79. VITAM eorum sic describit suo seculo S. BASILIVS in epistola ad Eustathium Sebastiæ Episcopum; *Inueni sane multos apud Alexandriam, nec paucos apud reliquam Ægyptum, deinde & alios in Palæstina, & in Cœlesyria & Mesopotamia, quorũ admiratus sum, tum in seruanda dieta temperantiam, tum in obeundis laboribus tolerantiam: ad quorum obstupui peccandi vigorem & constantiam, cum obseruarem, quo pacto nec somno victi, nec alia aliqua naturæ necessitate deflexi, sublimem semper & inuictum animi sensum in fame & siti, in frigore & nuditate seruarent, nec corporis rationem habentes ipsi, nec ab aliis aliquid illi curæ*

impendi

impendi sustinentes: sed quasi in aliena carne degerent, ipso opere ostendentes: quid sit in rebus huius vitæ peregrinum esse, & conuersationem in cœlo habere.

S. AVGVSTINVS libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ eorum mores ita suo tempore describit; *Nec ea dicam, quæ vos* (Manichæi) *ignoratis, sed quæ nobis occultatis. Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem indies magis magisq; diffundi, & in Oriente maxime atq; Ægypto, quod vos nullo modo potest latere. Nihil de iis dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio DEI, cui prius mentibus inhæserunt, & eius contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar, videntur enim nonnullis res humanas plus quam oportet deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum & superuacaneũ puto. Nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum, & honorandum videtur, oratione nostra qui videri potest?* A. c. 31.

CAPVT III.

De Eremiticæ vitæ excellentia.

EREMITICÆ vitæ excellentiã possumus discere primum ex sacris literis. CASSIANVS lib. 18. Collationum adducit, *quod Dominus figuraliter ad Iob dixit; Quis est, qui dimisit onagrũ liberum & vincula eius resoluit? posuit tabernaculũ eius desertum* C. c. 6. Iob. 39. 8.

tum,& tabernacula eius salsuginem. Irridens multitudinem ciuitatis,& querelam exactoris non audiens:considerauit montes pascuæ suæ,& post omne viride quærit.

Thren.3. 27. *Quos etiam Hieremias ita describit. Beatus qui tollit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit,*

Psal. 101. 7. *quia leuauit se super se. Quiq; illud Psalmistæ affectu & opere concinunt,Similis factus sum pelicano solitudinis, Vigilaui & factus sũ sicut passer solitarius in tecto.*

Alij adducunt testimonia Scripturæ, quibus summis laudibus euehũtur HELIAS & IOAN. Baptista.

Matth.11. 11. Nam de Ioanne dicitur, *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne.* & Angelus in laudibus eiusdem posuit,quod *præcedet Christũ in spiritu & virtute Eliæ.*

Luc. 1.17. 4.Reg.1. HELIAS, vt plurimũ versabatur in monte Carmelo,& pilis induebatur,zona pellicea præcinctus.

Luc. 1.80. Matt.3.4. Ioannes quoque ab infantia vsque ad finem vitæ vixit in deserto, & pilis camelorum induebatur, præcinctus zona pellicea. Eliam autem & Ioannem Principes Eremitarum faciunt plærique omnes Patres, vt Basilius epist. ad Chilonem,Nazianz.in apologia post reditum ex fuga, Chrysost.hom.69.in Matthæum, Sozomenus lib. 1. histor. capit. 12. Cassianus loco cit. vbi addunt

Heb. 11. 37. etiã illud Apostoli ad Hebræos. *circumierunt in melotis,in pellibus caprinis,egentes, angustiati, afflicti,quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, & in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.*

II. Probatur ex sententiis Patrum vitæ eremiticæ præstantia.S.BASILIVS ad GREG, Theologum agens de anachoretis, *Ecquid igitur*, inquit, *beatius quam hominem in terra concentum angelorum imitari,ineunte statim die orationes inire?in hymnis & canticis creatorem venerari? Exinde Sole iam*

B.ep. 1. *diluces*

diluceſcente conuerti ad opera nuſquam ſine oratione? denique canticis tanquam ſale condire orationes, ſiquidem hilarem, alacremque animi æquabilitatem hymnica cohortamenta conferunt. Et in lib. de laude ſolitariæ vitæ: *Solitaria vita cœleſtis doctrinæ ſchola eſt, ac diuinarum artium diſciplina. Illic DEVS eſt totum quod diſcitur, via qua tenditur, totum, per quod ad ſummæ veritatis notitiam peruenitur. Eremus nempe eſt paradiſus deliciarum, vbi tanquam redolentium ſpecies pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum. Sic fragrantia aſpirant odoramenta virtutum. ibi roſæ charitatis igneo rubore flammeſcunt. ibi lilia caſtitatis niueo candore candeſcunt. cum quibus etiam humilitatis violæ, dum imis contentæ ſunt, nullis flatibus impelluntur. Omnia illic diuerſarum virtutum germina diuerſis venuſta coloribus rutilantur, & perpetuæ viriditatis gratia incomparabiliter vernant. O eremus ſanctarum mentium delectatio, & intimi geſtus inexhauſta dulcedo,* &c. prolixe. Et GREGORIVS Nazianzen. in apologia poſt reditum à fuga, *Heliæ*, inquit, *Carmelum agitabam, Ioanniſq; deſertum, ac cœleſtem eorum, qui hoc philoſophiæ genus profiterentur, viuendi rationem. præſentiáque omnia tempeſtatis inſtar exiſtimabam, ac rupem aliquam, aut præruptum aliquem locum, aut exiguum murum quærebam, quibus obtegi poſſem.* Et in Apologetico lamentatur ſe *ab arce ſua extractum, id eſt, ſolitudine, quam ex omnibus*, inquit, *rebus maxime complexus eram, ac velut ſociam, & adminiſtram, diuinaque ſubnectionis parentem, atque adeo diuinitatem afferentem ſuſpexeram, totiuſque vitæ moderatricem mihi ſtatueram.* Et oratione ad Iulianum: *Illud quidem imprimis optabo, mihi vt liceret toto hoc vitæ curriculo*

B. initio.

N. initio.

Id apol. 2.

mundo

mundo emori, vitamque in Christo absconditam ducere, ac magni cuiusdam negotiatoris instar, facultatibus omnibus meis pretiosam illam margaritam emere, ac fluxas & fragiles opes cum firmis & cœlestibus commutare: qui quidem quæstus longe maximus est ac certissimus, vtique qui mente valent. Et de pauperum amore; *Præclara res est solitudo, & in vita ab hominum cœtu commercióque semota, idque nunc docet Eliæ Carmelus, Ioannis desertum, ac mons ille, ad quem sæpenumero Iesus secessisse, secumque per otium versatus esse perspicitur.* S. HIERONYM. ad Heliodorum; *O desertum Christi floribus vernans. O solitudo, in qua illi noscuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni regis extruitur. O eremus familiarius DEO gaudens. Quid agis frater in seculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum vmbræ premunt? quamdiu fumosarum vrbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio. Libet, sercina corporis abiecta, ad purum ætheris euolare fulgorem.* S. CHRYSOSTOM. creber est in eremitarum laudibus. Nam in Matthæum sic scribit. *Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso prorsus omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros virginum, & omnem quidem tyrannidem diaboli dissolutam, Christi autem regnum coruscans, & illam Magorum quondam & Philosophorum parentem, cunctarúmque huius generis artium repertricem, vt videbit modo piscatorum magisterio gloriantem, & contemptis omnibus iam illis, repudiatisque doctoribus publicanos vbique ac sutores pellium circumferentem, & hæc omnia bona non vrbibus solum, sed etiam desertis florent locis. Est enim*

4. Reg. 2. 16. Marc. 6. 46. Luc. 21. 37.

H. ep. 1.

Apoc. 21. 16.

Ch. hom. 8.

cernere

cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illũ regium gregem, virtutumq; cœlestium conuersationem in terris micantem, atq; hæc non in viris solum, verumetiam in feminis conspicias. Similia habet 69. & 70. homilia, & alibi. AVCTOR ad fratres in eremo, in tomo 10. Augustini: *O sancta vita eremitica, vita solitaria, vita perfectorum, vita angelica, non humana, vita pœnitentium, vita contra mundum pugnantium, vita ad Deum fugientium, vita deifica, non humana.* A. Ser. 27.

IOAN. CASSIANVS collatione XI. *ARCHEBIVS Episcopus cũ in Thenneso, quo eum eligendi illic Episcopi causa perduxerat, pie nos atq; humanissime suscepisset, agnito desiderio nostro, quo Sanctos Patres etiam in vlterioribus Ægypti partibus inquirere desiderabamus. Venite, inquit, & videte interim senes haud longe à monasterio nostro consistentes, quorum ita & antiquitas in corporibus iam curuatis, & sanctitas in ipso etiam fulget aspectu, vt vel sola contemplatio eorum magnam intuentibus possit conferre doctrinam, à quibus id quod ego amissum doleo, quódque tradere iam perditum nequeo, non tam verbis, quam ipso sanctæ vitæ discatis exemplo. Credo autem inopiam meam hoc studio aliquatenus subleuandam, si inquirentibus vobis illam euangelicam margaritam, quam ipse non habeo, saltem prouidero, vbi eam commodius comparetis.* C.c.1. Matth. 13. 45.

CAPVT IV.

De Eremitarum Monachorum proprietatibus.

EREMITÆ alias habent porprietates vel virtutes cõmunes cum aliis Monachis cœnobiticam vitã agẽtibus, alias habẽt quasi proprias. Nos

de propriis maxime hic agemus, ceteras reseruaturi in Titulum de STATV Monachorum.

I. PROPRIETAS Eremitæ est, vt consideret quo fine petat eremum. Vnum præscribit S. HIERONYM. aduersus Vigilantium. *Cur inquies, pergis ad eremum? Ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat complexus. Respondebis, hoc non est pugnare, sed fugere, sta in acie, aduersarijs armatus obsiste, vt postquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam: Si fugero, gladium deuitaui: si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum: quid autem necesse est certa dimittere, & incerta sectari? aut pedibus, aut scuto mors vitanda est. Tu qui pugnas, & superari potes, & vincere: ego cum fugero, non vinco in eo quod fugio: sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est vicino serpente dormire, vt me non mordeat: tamen potest fieri, vt aliquando me mordeat* Meliorē causam dat Io. CASSIANVS: nam collatione XIX. proponēs discrimen inter finem cœnobitæ & eremitæ: *Finis quidem*, ait, *cœnobitæ est, omnes suas mortificare & crucifigere voluptates, ac secundum Euangelica perfectionis salutare mundanum nihil de crastino cogitare. Eremitæ vero perfectio est, exutam mētem habere à cunctis terrenis eamque quātum humana imbecillitas sinit, vnire cum Christo. Quem virum Hieremias propheta describens: Beatus, inquit, vir qui tulit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se.*

H. sub finem.

C. c. 8.

Matth. 6. 34.

Thren. 3. 27.

II. PROPRIETAS, vt non prius ad vitā Eremiticam aspiret, quam bene exercitatus sit in perfectione vitæ cœnobiticæ. Ita HIERON. ad Rusticū monachū; *De ludo*, ait, *monasteriorū huiusmodi*

H. ep. 4.

volumus

volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conuersationis suæ multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent: quos nec esuries aliquando, nec saturitas superauit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, vultus, incessus doctrina virtutum est. Et CASSIAN. collat. citata; *Solent*, ait, *nonnulli ita diuturno silentio solitudinis efferari, vt prorsus hominum consortia perhorrescant, & cum vel paululum à secreti sui solitudine interueniente fratrum visitatione, discesserint, notabili mentis angore, & euidentibus pusillanimitatis indicijs æstuare. Quod vel maxime his euenire consueuit, qui non perfectè in cœnobijs instituti, nec excoctis prioribus vitijs ad solitariam se vitam immaturo desiderio transtulerant.* Et rursus lib. 8. institutionum; *Porro eremum perfectos, omniq; vitio purgatos oportet expetere, & excoctis ad purum in congregatione fratrum vitijs non pusillanimitatis profugio, sed diuinæ contemplationis obtentu, & desiderio intuitus sublimioris intrare, qui non nisi in solitudine à perfectis solummodo poterit apprehendi. Quæcunque enim vitia incurata in eremum detulerimus, aperta in nobis non obolita sentientur. Solitudo namq; sicut nouit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, & intuitu sincerissimo spiritalium sacramentorum scientiam reuelare, ita eorum qui minus emendati sunt, vitia non solum seruare, verumetiam exaggerare consueuit: tamdiuq; sibi quis patiens videtur & humilis, donec nullius hominis commisceatur consortio.* Cass. c. 10. Cass. c. 17.

III. PROPRIETAS est, vt non in vrbibus & castellis, sed in montibus & locis desertis habiter, vt liquet ex nomine eremi, vel solitudinis. Sic CHRYSOSTOMVS in Matthæum: *Tanquam in* C. ho. 70.

cœlo, inquit, *tuguria fabricari, sic longè à seculi perturbationibus habitant aduersus diabolum militantes: idcirco in solitudine domiciliũ constituerunt, ciuitatibus & celebri habitatione hominũ omnino relicta, quoniam qui bellum gerit, non potest domi sedere; sed necesse est quasi subito migraturus parato in diem domicilio habitet.* Et paulo post, *Audisti vnquam Scytharum, qui absque certo vagantur domicilio viuendi consuetudinem? ita Christianos circumeuntes orbem aduersus diabolum pugnantes, captiuos à manibus eius rapientes, omnibus temporalibus neglectis viuere oportet. Tuguria sibi construunt eremitæ, quæ si relinquere oportebit, ita facile id faciunt, sicut milites castra, & absque vllo dolore derelinquunt.* Et infra, *Ex fœno sibi sedilia faciunt, sicut Christus in eremo fecit, quum quinque millia hominum paucis pasceret panibus. Multi autem ne casam quidem vllam habent, sed cœlo pro tecto vtuntur, & Luna loco lucernæ, nec oleo, nec ministro indigentes.* Et S. HIERON. ad Paulinum, de institutione monachi; *Sin*, ait, *cupis esse quod diceris monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Habet vnumquodq; propositum principes suos. Nos autem habeamus propositi nostri principes, Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios, & vt ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Helias, noster Helisæus, nostri duces filij prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis. De his sunt illi filij Rechab, qui vinum & siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui DEI per Hieremiam voce laudantur, & promittitur eis, quod non deficiet de stirpe eorum vir stans coram Domino.*

Matth. 14. 17.

Hier. ep. 13.

4. Reg. 6.

Ierem. 35.

IV. PRO

IV. PROPRIETAS est, vt meminerint solitudinem non esse locum gaudij, sed luctus. vnde S. CHRYSOSTOM. in primam ad Timotheum; Ch.ho.14. *Vere domus luctus monasteria sunt, vbi cinis atque solitudo, vbi cilicium, vbi risus nullus, nullus negotiorum secularium strepitus, vbi ieiunia, vbi terrenorum duritia lectulorum, vbi munda sunt omnia: nullus ibi nidoribus locus, absunt procul sanguinis riui, perturbationes, curæ, tumultus, tranquillo in portu nauigant, ac veluti luminaria sunt, sublimi de loco nauigantibus fulgore suo iter aperientes. Perge itaque ad illos, quære, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes. Longè enim est honorabilius illorum pedes, quam aliorum caput tangere.* S. HIERON. aduersus Vigilantium; *Monachus autem non Doctoris, sed plangentis habet officium, qui vel sè, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum: qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portet, timet offendere, ne impingat, corruat atque frangatur.* H. in fine. Et ad Heliodorum, de laude vitæ solitariæ; *Quid agis frater in seculo, qui maior es mundo? quãdiu fumosarum vrbium carcer includit? paupertatẽ times? sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? at nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas, sed fides famem non timet. Super nudã metuis humum exesa ieiunijs membra collidere? sed Dominus tecum iacet. Squalidi capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? sed tu paradisum mente deambula. Quotiescúnque illuc cogitatione conscenderis, toties in eremo non eris. Et vt breuiter ad cuncta audias Apostolum respondentẽ: Non sunt, inquit, cõdignæ passiones huius seculi ad superuenturam gloriam quæ reuelabitur in nobis. Delicatus es frater, si & hic vis gaudere* Id.ep.1. Ro.8.18.

cum seculo, & postea regnare cum Christo.

V. PROPRIETAS iugis commoratio in cel-
C.cap.15. la. Hanc assignat Io. CASSIANVS eremita collat.6. *Iugis*, inquit, *cellæ commoratio retentanda est. Toties enim etiam reuersus quis velut nouus in ea, & incipiens habitator titubabit atq; turbabitur, quoties ab eadem fuerit euagatus. Illam namque quam in cella residens acquisierat animi intentionem, si fuerit relaxata, recuperare rursus non sine labore poterit ac dolore, & per hoc reductus retro non de amisso cogitabit profectu, quem superadijcere potuit, si è cella non fuisset excussus, sed gaudebit potius, si illum statum, de quo recidit, semetipsum senserit recepisse. Nam sicut amissum ac præteritum tempus vlterius reuocari non potest, ita ne illa quidem, quæ perierunt possunt emolumenta restitui.*

VI. PROPRIETAS est, quo perfectius vitæ genus amplectitur, eo magis dæmonis tentationi-
Matt.4.3. bus obnoxium. Exemplum habes in Christo domino, qui simulatque in desertum venit, tentatus est à diabolo, & quidem tẽtationibus grauissimis.
Eccl.2.1. Et monitum Salomonis est; *Fili accedens ad seruitutem DEI, sta in timore, & præpara animam tuam*
C.ho.18. *ad tentationem.* S. CHRYSOST. in Matthæum ita de eis loquitur; *Est enim cernere tota illa regione Ægypti diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutúmque cœlestium conuersationem in terris micantem. Atque hæc non in viris solum, verum etiam in feminis splendere cõspicias. Nam illæ quoque non minori, quam viri virtute decorantur, non clypeo arrepto in equum insilire callentes, vt sapientissimi gentilium iubent magistri, sed multo certe vehementius bellum gerentes. Communis enim illis ac viris contra diabolum pugna est, contraq; huius mundi*

potesta

potestates, nec vspiam teneritudò sexus his congressibus impares facit. Non enim natura corporis, sed voluntate animi ista exercentur certamina. Propterea in huiusmodi acie sæpius fœminæ viris fortius decertarũt, ac trophæis insignibus claruerunt. Et CASSIANVS superius dixit: *Anachoretæ, id est, secessores merito nuncupantur, eo quod nequaquam cõtenti hac victoria, qua inter homines occultas diaboli insidias calcaueruntaperto certamine ac manifesto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vasti eremi recessus penetrare non timeant ad imitationem scilicet Ioannis Baptistæ, qui in eremo tota permansit ætate.* Et S. GREGOR. in moralibus generatim; *Hostis noster adhuc in vita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expurgare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quiete iure possidere se sentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro quasi ex iure propriæ habitationis expellitur.* Exemplum habes S. Antonij quasi primi Anachoretæ, qui quot Dæmonis exagitatus sit tentationibus habes in vita ab S. Athanasio scripta. Quomodo autem monacho peritè pugnandum sit cum dæmone docet S. Ephræm in doctrina de Perfectione monacho necessaria.

Cass. coll. 18. c. 6.

Greg. l. 24. mor. c. 13.

Eph. t. 2.

VII. PROPRIETAS est Seueritas in cibo & potu, de quo ita S. BASIL. ad Chilonem Anachoretam præcipit: *Vt in veste comparanda rationem imprimis oportet cõstare vtilitatis, ità in cibo panis vsus expleuerit id, quo opus est ad alimentum: aquæ potus sedauerit sitim homini integræ valetudinis: quibus accedent ea pulmenta, quæ ex leguminibus ad vsus tantum necessarios facta tuendæ sunt integræ corporis firmitati.* Et paulo post; *Denique cibi sumendi hora*

sit vnica,& constituta, eademq; semper per abitum reuertens, vix vt hæc curando corpori destinata; vna sit hæc è quatuor & viginti, quam temporis intercapedinem complectitur diei noctisq; vicissitudo. S. HIERON. H.ep.22. ad Eustochium de custodia Virginitatis: *Ad tertium genus (monachorum) veniam, quos Anachoretas vocant, qui & de cœnobijs exeuntes, excepto pane & sale ad deserta nihil perferunt amplius. Huius vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendā princeps Ioannes Baptista fuit.* Et in vita Pauli Id. tom. 1. Eremitæ: *IESVM testor & sanctos Angelos eius in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me monachos, de quibus vnus per triginta annos clausus, hordeaceo pane & lutulenta aqua vixit: alter in cisterna veteri quinque caricis per singulos dies sustentabatur. Hæc igitur incredibilia esse videbuntur ijs, qui non crediderint, quia omnia possibilia sunt credentibus.* S. AVGVST. A.c. 13. de moribus Ecclesiæ agens de iisdem: *Nihil de ijs dicam,* inquit, *qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu pane solo, qui eis per certa temporum interualla offertur & aqua contenti desertissimas terras incolunt.* Plura vide de Monachorum proprietatibus.

CAPVT V.

De vitæ Anachoreticæ commodis.

PRIMVM commodum est, quod aptissimum hominem reddat ad contemplandum DEVM & cœlestia, quo citat B. HIERONIMVS ad Eustochium illud Hieremiæ: H.ep.22. Thren.3. 27. *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, quoniam sustulit super se iugum, & dabit, percutienti*

tienti se maxillam, saturabitur opprobriis, quia non in sempiternum abiiciet Dominus. Vnde Saluator quoties orare volebat, in montes & loca deserta secessit: *Ipse autem*, ait Lucas, *secedebat in desertum & orabat.* Luc. 5.16. Et S. BASILIVS de laude solitariæ vitæ: *O cella spiritualis exercitij mirabilis officina, in qua certe humana anima creatoris sui imaginem in se restaurat, & ad suæ redit originis puritatem: vbi sensus obtusi ad subtilitatem sui acuminis redeunt, & pro vitiata natura sinceritati azyma reperitur. Tu das vt homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis obuolutus tenebris Deum & teipsum prius ignorabat. Tu hominem ad suum facis redire principium, & de exilij deiectione ad antiquæ dignitatis reuocas celsitudinem. Tu facis, vt homo mentis arce constitutus, cuncta sub se videat terrena defluere, semetipsum quoque in ipsa rerum labentium prospiciat decursione transire.* Scribit B. HIERON. non solum solitudinem, sed etiam ieiunium & reliquam vitæ seueritatem ad contemplationem ita prodesse, vt multi etiam Philosophi in desertis habitare voluerint. Plato etiam locum pestilenté elegit, & discipuli eius nisi sapientiam amarent. Pythagoræi verò non modo vrbes, sed & hortos omniaque loca quæ voluptatem afferrent, eodem teste, vitarunt, ne animi eorum mollescerent, & à virtutum studio retardarentur. Scribit etiam GALENVS in exercitatione medicinæ animas hominũ delitiis deditorum in multo sanguine tanquam in luto demersas nihil subtile & cœleste contemplari posse. H. lib. 2. in Iouin.

II. Commodũ est, quod vita illa sua non careat voluptate. Anachoretæ enim, teste Chrysost. in Matthæum, *vrbes & tumultus platearum fugientes in* C. ho. 69.

montibus viuere maluerunt, vbi nihil sibi cum his rebus secularibus commune est, vbi nihil humanarum rerum perturbat, non mœstitia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non liuor, non turpis amor, non aliud huiusmodi, sed quæ sunt futuri regni iam meditantur. Valles & montes apud fontes, in solitudine ac tranquillitate habitantes, & cum DEO ipsi colloquentes, omni tumultu domus sua omnis vacat, & anima omni passione & ægritudine libera, lenis, subtilis, & ipso tenuissimo aere purior: quorum corpus id scilicet est, quo etiam ille Adam ante peccatum exercitus tum gloriam indutus & DEVM liberè alloquebatur & paradisi regionem magna beatitudine plenam habitabat. Et S. BASILIVS, *O vita Eremitica, o vita sancta, o vita Angelica, vita benedicta, viuarium animarum, exedra gemmarum cœlestium, curia cœlestium Senatorum, odor cunctorum aromatum fragrantium superat, sapor tunc super distillantes fauos, super omnia mella cordis guttur illinit & obdulcat, & ideo quicquid est, quod de te dicitur dignitatis meritis non adæquatur, quia nulla carnis lingua exprimere sufficit, quod de te noster spiritus inuisibiliter sentit. Et quod tu sapis interiori gustu atque medulla cordis, nunquam explicat organum vocis. Illi te nouerunt, qui te diligunt. Illi præconia tuæ laudis agnoscunt, qui in tui amoris amplexibus fideliter requiescunt.*

B. de vita solit.

III. Commodum est, quod valeat ad vitia expugnanda, maximè autem ad excidendam fornicationem: *O cella*, ait BASILIVS, loco citato, *spiritale prorsus habitaculum: namq; de superbis facis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in diuina charitate feruentes. Tu luxuriosis renibus nitidæ castitatis adhibes cingu-*

lum,

lum, tu facis vt leues ad grauitatem redeant, vt iocosis scurrilitatibus parcant, vt vaniloqui & procaces se sub districta silentij censura castigẽt. Tu facis vt vagos quósque Christi catena coerceat, vt indisciplinati moribus à sua se prauitate compescant. Tu homines à seipsis extraneos reddis, & prius vasa vitiorum reflorere virtutibus facis. Et ad Chilonem: *Solitudo grande operæpretium adfert ad perfectionem, vt pote quæ perturbationes animi consopire solita sit; spaciumq; indulgere vi ratiocinationis stirpitus illas ex anima elidendi. Vt autem feræ bestiæ blãda manu permulsæ leni certamine superantur, ita libidines, iræ, pauores, mœrores animæ, venefica malæ consuetudine consopita, nec perpetuo irritamento efferata eluctabiliora deinde vi rationis fiunt.* Et CASSIANVS libro institutionum sexto: *Hic verò morbus fornicationis, ait, cum corporis afflictione & contritione cordis, solitudine quoque ac remotione indiget, vt posset ad integrum sanitatis statum pernicioſa æstuum febri deposita peruenire. Sicut pleruncq; certa ægritudine laborantibus vtile est, vt cibi noxij ne oculorum quidem ipsorum obtutibus offerantur, ne quod aspectus occasione desiderium eis lethale gignatur: ita plurimum confert ad depellendum hunc specialiter morbum quies ac solitudo, vt mens ægra minimè diuersis figuris interpellata ad puriorem perueniens contemplationis intuitum facilius pestiferum concupiscentiæ fomitẽ radicitus possit eruere.* Cass. ca. 3.

IV. Commodum est, quod solitudo maximè valeat ad expugnandas omnes dæmonis machinationes. Vnde dictus BASSIL. de solitaria vita exclamat: *O eremus terribile malignis spiritibus habitaculum, vbi cellæ Monachorum velut tentoria ordinata castrorum quasi turres Sion, & quasi propugnacula Hieruſa*

Hierusalem, eriguntur aduersus Assyrios, & contra faciem Damasci, quod tunc fit cum vno eodémque spiritu diuersa geruntur officia, dum videlicet hic psallitur, illic oratur: in alia scribitur, in alijs vero manuum operibus insudatur. Quis non verba diuina huic congruere videat, quibus dicitur: Quam speciosa tua tabernacula Iacob, & tentoria tua ô Israël, vt valles nemorosæ, & horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quasi Cedri prope aquas.

Psalm. 86. 2.

V. COMMODVM est, quod Anachoretæ ipsi sic ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos, vel ad satis faciendum pro peccatis in templo commissis tempus & locum habuerunt, vti multis accidit, etiam iis qui ante sceleratissimi latrones fuerant. Accedit quod sancti etiam leues & veniales culpas grauibus pœnis expiare soliti sunt. Hæc enim est ex præcipuis causis, cur S. Ioannes Baptista tam seueram vitam duxerit: licet enim ipse forte nulla peccata actualia habuit, tamen quia missus à Deo fuerat, vt pœnitentiam prædicaret, voluit exemplo & verbo eam prædicare, & ideo teste Ioanne Chrysostomo in Matthæum, etiam vestem gestauit pœnitentiæ accommodatam. Et alibi dicit, monachos habitu imitari Heliam & Ioannem. Sed sit satis de commodis Anachoreticæ vitæ, quæ vix hoc tempore est vsitata; cui & veteres prætulerunt cœnobiticam & communem, nosque præferemus in titulo de MONACHORVM Statu, tantum hic subiiciam verba HIERONYMI.

C.ho.10. Id.ho. 69.

S. HIE

S. HIERONYMVS AD Rusticum Monachum, cui viuendi formam præscribit.

NVNC *Monachi incunabula, moresq; discutimus,* H. epist. 4.
& eius monachi, qui liberalibus studis eruditus in adolescentia, iugũ Christi collo suo imposuit. Primúmque tractandum est, vtrum solus, an cum aliis in monasterio viuere debeas. Mihi quidem placet, vt habeas sanctorum contubernium: nec ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es, statímque tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas: plúsque aut minus ambules, quam necesse est, ne aut currens lasseris, aut moram faciens, obdormias. In solitudine cito surrepit superbia, & si parum perieiunarit, hominémque non viderit, putat se alicuius esse momenti: oblitúsque sui vnde & quo venerit, intus corde, lingua foris vagatur. Indicat contra Apostoli voluntatem alienos seruos: quo gula voluerit, Rom. 14.
porrigit manum: dormit quantum voluerit: nullum vereatur: facit quod voluerit: omnes inferiores se putat: crebriúsque in vrbibus, quam in cella est: & inter fratres simulat verecundiam, qui platearum turbis colliditur. Quid igitur, solitariam vitam reprehendimus? Minimè, quam sæpe laudauimus: sed de ludo monasteriorum huiuscemodi volumus egredi milites, quos eremi dura instrumenta non terreant, qui specimen conuersationis multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent: quos nec esuries aliquando, nec saturitas superauit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, vultus, incessus doctrina

virtu-

virtutum est, qui nesciunt secundum quosdam ineptos homines dæmonum pugnantium contra se portenta confingere, vt apud imperitos & vulgi homines miraculum sui faciant, & exinde lucra sectentur. Et infra: *Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina Patris, consortioq; multorum: vt ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam: ille silentium, ille doceat mansuetudinem: non facias, quod vis, comedas quod iuberis: vestiare quod acceperis: operis tui pensum persoluas: subiiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulánsque dormites, & necdum expleto sumno surgere compellaris. Dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed*
1.Cor. 14. 15. *affectus quæritur, dicente Apostolo: Psallam spiritu, psallam & mente. Et: Cantantes in cordibus vestris*
Eph. 5.19. Psal. 46.8. *Domino. Legerat enim esse præceptum: Psallite sapienter. Seruias fratribus. Hospitum laues pedes: passus iniuriam taceas, præpositum monasterij timeas vt Dominum, diligas vt parentem. Credas tibi salutare, quicquid ille præceperit: nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente*
Deut.27. *Moyse: Audi Israel & tace.* Hucusque ille.

VIDE de Statu Monachorum, & voluntaria Paupertatis.

DE

DE GLORIÆ ÆTERNÆ STATV.

CAPVT I.

Quid nomine æternæ gloriæ intelligatur, & in quo consistat.

NOMINE Æternæ gloriæ non aliud intelligimus, quam *vitam æternam, Regnum cœlorum, beatitudinem, vel felicitatem hominum*, vel si quo alio modo in diuinis litteris appellatur, qua non in hac vita mortali, sed in altera futura primo secundum animam, deinde etiam secundum corpus in omnem æternitatem perfruemur. POTEST autem hæc Beatitudo accipi dupliciter, vel pro re ipsa, qua obtenta reddimur beati, vel pro vsu & consecutione rei, quo vsu formaliter & intrinsecè beati reddimur. Prima à Theologis Scholæ dici solet *Beatitudo obiectiua*, altera vero *formalis*. De priore agemus hoc capite, de posteriore sequenti.

QVOD ad priorem igitur attinet, Philosophi gentiles omnes à veritate aberrantes, cum de extremo hominis fine disceptant, collocarunt illam beatitudinem in re aliqua creata, vt honoribus, opibus, voluptatibus. LACTANTIVS libro tertio diuinarum institutionum, & AMBROSIVS lib. 2. Officiorum omnes opiniones eorum reuocant ad denas. D. AVGVSTINVS verò in nono de ciuitate Dei, ex sententia Varronis ad duodenas. Immò. ARISTOTELES primo Ethicorũ: *Omnes*, inquit, *velle opiniones eorũ exquirere, superuacaneũ fortasse*

L.c.7. A.c.2. Aug. ca 1. Ar.c.4.

fortasse est. At turpiter omnes isti cum Aristotele hallucinati sunt, cum summum & perfectissimum bonum nostrum, regnum cœlorum, vita æterna, salus nostra, felicitas & æterna gloria in solo Deo infinito & summo bono collocanda sit.

Scriptvræ sacræ oracula clare id ostendunt. Id n. Devs statim patefecit amico suo singulari Abrahamo Patriarchæ, cum ait ad eum in
Gen.15.2. Gen. *Ego protector tuus sum, & merces magna nimis.*
Psalm.72. Et Rex Dauid: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid*
25. & 28. *volui super terram?* Et: *Pars mea Deus in æternum.*
Psa:102.5. Et: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino*
Psal.143. *Deo spem meam.* Et alibi: *Qui replet in bonis desi-*
15. *derium tuum.* Et iterum: *Beatus populus, cuius est Do-*
Ioan.17.1. *minus Deus.* & B. Ioannes in Euãgelio: *Hæc est vita*
æterna, vt cognoscãt te solũ verum DEVM, & quem
1.Ioan.5. *misisti IESVM Christum.* Et in epist. 1. *Vt simus*
20. *in vero filio eius, Hic est verus Deus & vita æterna.*

Iren.c.22. S. Patres, idem tradunt. Irenævs libro 3. aduersus hæreses: *Gloria*, inquit, *hominis est* Devs.
Cypr.c.6. B. Cyprianvs libro altero contra Iudæos, inde probat Christum esse Devm, quia ipse in
Apoc 22. Apocalypsi dicit: *Ego sum α, & ω, principium &*
13. *finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ.* Devs enim solus est fons aquæ viuæ, & tãquam vltimus
Gr.orat.1. finis satiat mentem nostram. Greg. Nyssenus libro de beatitudin. *Beatitudo*, ait, *est illa immortalis & incorrupta vita ineffabile pariter, & inanimaduer-*
N.in orat. *sibile, atque inexcogitabile bonum.* Greg. Nazianz. de laudib. S. Athanasij: Devs *intelligibilium omnium summus est vertex, in quo desiderium omne consistit ac defigitur, nec supra eum vsquam fertur. Nec enim quicquam sublimius habet, aut omnino habebit*

mens

mens vlla quantumuis philosophica & altissimè tendens, ac summè curiosa. Hoc etenim rerum omnium expetendarum extremum est, quò cum peruenerimus, conquiescit omnis speculatio. Quicúnque igitur corporis crassitie perrupta, cum Deo commercium habere, ac purissimæ luci, quantum humanæ naturæ datum est, commisceri licuerit, is duplici nomine beatus est censendus: tum quod hinc seipsum extulerit, tum quod illius vitæ diuinitatem sit consecutus. S. AVGVSTINVS libro 19. de Ciuitate DEI. *Sicut*, inquit, *non est à carne, sed super carnem, quod carnem facit viuere: sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beate viuere: nec solum hominem, sed etiam quamlibet potestatem virtutémque cœlestem. Quocirca vt vita carnis anima est, ita beata vita hominis DEVS est. De quo dicunt sacræ literæ Hebræorum; Beatus populus, cuius est Dominus Deus ipsius.* Aug. c. 25. & 26. Psal. 145. 15.

RATIO demum ipsa manifeste huic doctrinæ adstipulatur, quia nihil est quod humanum, vel creaturæ cuiusuis appetitum, nisi perfectissimum & immensum bonum, vt S. AVGVSTIN. eodem libro tradit, exsaturare queat; nulla autem res præter DEVM aut tale bonum est, aut plenè satiare hominem potest, vt merito Psalmographus dixerit: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Quare hoc cum omnibus veræ sapientiæ studiosis statuendum est, sicut in hac vita, ita in altera summam felicitatem, tam hominum, quam angelorum in eo consistere, vt Deo adhæreamus. Aug. c. 1. Psal. 102. 5.

CAPVT II.

Quod beatitudo formalis in vtraque actione intellectus & voluntatis nostræ consistat.

HACTENVS demonstrauimus ex Scripturis & S. Patribus beatitudinem, statúmve gloriæ in solo DEO esse quærendum: nunc verò deinceps inquirendum est, an sola intelligentia, & non etiam voluntate DEO in ipsa beatitudine nostra fruamur, & ita beatitudo nostra in vsu vtriúsque facultatis animæ consistat nécne? Scio variis Doctorum opinationibus rem hanc exagitari, sed iis relictis tuebimur iuxta Scripturas sacras dictáque veterum Patrum illam beatitudinem maximè verti in duabus nobilissimis animi nostri facultatibus, intellectu & voluntate.

Ioan. 17. 2. SCRIPTVRA etenim eam collocat in actione vtriúsque. In cognitione quidem & visione apud Ioannem; *Hæc est*, inquit Christus, *vita æterna, vt cognoscant te.* Nomine autem vitæ æternæ semper solere significari beatitudinem, docet AVGVST. lib. 9. de Ciuitate, vt apud Matthæum: *Quid faciens vitam æternam possidebo?* Et ad Romanos: *Gratia Dei vita æterna.* Deinde in prima sua epistola B. Ioannes ait: *Videbimus eum sicuti est.* In actu verò voluntatis, quia apud Matthæum Christus ait: *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Et apud Luc. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam.* Et apud Ioannem: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Aug. c. 11. Matth. 19 16. Rom. 6. 23. 1. Ioan 3 3. Matth. 25. 23. Luc 22. 29. Ioan. 16. 22.

QVOD ad Patres attinet, primum in Extrauaganti quadam Constitutione BENEDICTI XII. Pontificis definitum est, *animã esse beatam visione ac fruitione*

Apud Castr. de hæres. V. beatitudo.

fruitione diuinæ essentiæ, & eam visionem ac fruitionem futuram æternam absque vlla interruptione. Constat autem visionem ad intellectum, fruitionem verò ad voluntatem pertinere. Et Catechismus Romanus circa Symboli verba: Credo vitam æternam, ita habet: *Solida beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo sita est, vt eum videamus, eiúsque pulchritudine fruamur, qui est omnis bonitatis ac perfectionis fons & principium.* S. AMBROSIVS libro secundo de Officiis, postquam varios Philosophorum de beatitudine sententias recensuit, ita subiecit: *Scriptura autem diuina beatam vitam posuit in cognitione diuinitatis, & fructu bonæ operationis.* S. GREGORIVS Nazianzen. de plaga grandinis: *Illos lux omni oratione maior excepturа est, & sanctæ regiæq; Trinitatis puritas iam clariúsque collustrantis, totámque secum tota mente miscentis contemplatio, quam quidem ego vel solam regnum cœlorum potissimum esse arbitror.* Solam vocat, vt tamen fruitionem Dei annexam contemplationi non excludat. S. AVGVSTIN. nunc in visione intellectus, nunc in fruitione voluntatis beatitudinem ponit. In Visione libro primo de Trinitate cap. 8. 9. 10. & 13. *Ita quippe ait* (Christus) *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te, &c. Hoc fiet cum venerit Dominus, & illuminabit occulta tenebrarum, cum tenebræ mortalitatis huius corruptionisque transierint. Tunc erit mane nostrum, de quo in Psalmo 5. Mane astabo tibi & videbo,* &c. In fruitione vero, siue gaudio ponit libro primo de doctrina Christiana; *Summa,* inquit, *merces hæc est, vt Deo fruamur.* Et libro octauo de Ciuitate, *Nemo beatus est, qui eo quod amat non fruitur.* Et 10. Cõfessionum,

Amb. c. 2.

N. in orat.

Aug. c. 8.

Aug. c. 32. Id. c. 9.

Id. cap. 21. & 23. *omnes ipsum gaudium vitam beatam vocant.* Et rursus; *Beata vita est gaudium de veritate.* Vtrúmque
Id. c. 25. autem idem auctor coniungit, in libro primo de Moribus Ecclesiæ, vbi ait; *Vitam æternam esse totum præmium, cuius promissione gaudemus.* Promittitur autem in præmium, non modo cognitio
Ioan. 16. 22. Dei, sed etiam gaudium. *Gaudebit*, ait Christus, *cor vestrum.*

RATIO quoque ipsa confirmat sententiam istam esse veritati maxime consentaneam. Tunc enim mens nostra sibi satiata videtur; cum summum bonum, quod est DEVS, ita adepta videPsal. 16. 15. tur, vt nihil amplius requirat: nam Psalmista di-
A. 1. Eth. c. 7. cit, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et Philosophus in primo de Moribus agnouit, *Felicitatem debere esse bonum sufficiens.* Cum ergo vtérque actus intelligentiæ & voluntatis sit valde perfectus, vt vix alter altero sit perfectior, si non vtroque mens nostra Deum complecteretur, hoc ipso certe esset
Aug. c. 9. inquieta. *Nemo enim beatus est*, inquit S. AVGVSTINVS 8. de Ciuitate Dei, *qui eo quod amat*, (adde etiam & cognoscit) *non fruitur.*

QVANQVAM non desunt ex iisdem S. Patribus, qui latius eandem formalem beatitudinem
Aug. c. 5. porrigant; nam ipse S. AVGVSTINVS libro 13. de Trinitate asseuerat *beatum illum esse, qui habet*
B. Prosa 2. *quicquid vult, & nihil mali vult.* BOETIVS quoque libro 3. de Consolatione definit, beatitudinem esse *statum bonorum omnium aggregatione perfe-*
Anse. c. 47. & 48. *ctum.* Et B. ANSELMVS libro de similitudinibus, vbi ponit 14. partes beatitudinis, definit esse *sufficientiam omnium commodorum.* Quæ descriptio eo procliuius complectenda est, quo facilius ad

felicita

felicitatem animi non modo humani, sed etiam corporis futuram protendi potest.

CAPVT III.

Æternæ gloriæ vel beatitudinis Statum, non esse in hac vita, sed in altera.

HIc Beatitudinis, vel æternæ gloriæ Status hactenus descriptus, etiamsi esse possit, vbicunque quis Deo fruitur, à nobis tamen non est in hac vita, sed in altera quærendus. Etiamsi enim S. Patres consuetudinem diuinæ Scripturæ secuti, aliquando beatos quoque indigitent mortales, qui hic ita vitam instituant suam, vt beatitudine alterius vitæ digni sint, (de quibus fusè in VIRIDARIO nostro, in titulo CHARITATIS, & hic in titulo GRATIÆ agemus) nos tamen hic proprie tantum loquimur de sanctis hominibus in aliam vitam iuxta animam translatis, & fruitione Dei & Christi sempiterna fruentibus, quos dicimus non solum in Statu versari spirituali beatissimo & ombus bonis affluenti, (quem paulo post ex diuinis litteris, Patribúsque describemus) sed etiam in loco corporeo, nempe COELO, sicut nos hic versamur in terra. Ad quod cœlum primus viam aperuit Christus Saluator noster, vt docet Apostolus in epistola ad Hebræos, & in die ascensionis suæ glorioſus conscendit, vt habet in epistola ad Ephesios citans illud Psalmi de Christo: *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, ac etiam exponens: *Quod autem ascendit, inquit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui*

Heb. 9. 11. Psal. 76. 19. Eph. 4. 8.

ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia. Vbi diserte Apostolus ascensioni in cœlum, descensionem in inferiores partes terræ opponit: Et passim in diuinis litteris cœlum à terra distinguitur, vt in Psalmis, *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Et apud Matthæum: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Metaphoram quidem faciunt quidam in cœlo, vt cœlũ corporeum tollant, sed cur non faciunt in terra? Vnde Christus prædicens Apostolis profectionem suam in cœlum, dixit: *Vado parare vobis locum, vt vbi ego sum, & vos sitis.*

Isa. 66. 1. Psal. 113. 6. Matt. 6. 5. Vbiquistæ. Ioan. 14. 3.

VBI autem locus ille sit, quo Christus conscendit, & Apostoli secuti sunt, an super omnes cœlos, hoc est, extra hanc corpoream mundi molem in ipso orbium conuexo, an verò intra cœlum aliquod corporeum, B. Augustinus putauit non esse anxiè inquirendum: *vbi*, inquit, in lib. de Symbolo & fide, *& quomodo sit in cœlo corpus dominicum curiosissimum & superuacaneum est quærere: tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta discutere, sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia & honesta sapere.* Quanquam illa nunc posteriorum Doctorum disputatione verosimilior facta est sententia, sedem & domicilium Christi, sanctorúmque omnium esse cœlum supremum initio orbis cum angelis creatum, immobile, ἀνάστον, lucidissimum, quod veteres à summo splendore appellarunt Empyreum, Dauid Rex à nobilitate cœlum cœlorum, Apostolus tertium cœlum, vt annotauit Augustinus. Nam tria præcipua genera cœlorum Scriptura prodidit. Primum aëreum, de quo illud Psalmi: *Volucres cœli & pisces maris.* Alterum sydereum complectens orbium

Aug. c. 6. Philo in opif. 8. dierum. Clem. 7. strom. Basil. hom. 2. Hexem. A. lib 2 de gen. ad lit. Psal 8 9.

orbium cœlestium machinam, quam videmus, de quo intelligitur illud: *Opera manuũ tuarum sunt cœli, ipsi peribũt, tu autem permanes.* Tertium verò, de quo loquimur, Empyreum, ab hominum conspectu remotum. Ex qua annotatione facile liquet, cur dissimili loquendi forma Sacri Scriptores dixerint, Christum nunc ascendisse super omnes cœlos, penetrasse cœlum, superiorem cœlis factum; nunc ascendisse vel introisse in cœlum, & à cœlo susceptum. Subuectus est enim super omnes cœlos aspectabiles, stellarum ornatu, & continua conuersione nobis notos: at in cœlo Empyreo, quod est super omnes cœlos, cum angelis omnibus & sanctis hominum animis versatur, non caueæ alúisve angustiis incluſus, cum more mortalium corporum à loco non contineatur, sed more immortalium, & glorioſorum locum potius ipſum contineat, & quocúmque loco velit se sistere possit, sicut vere sistit in innumeris Christianorum Ecclesiis, vbicúnque Sacerdotum ore sacrosanctum Christi corpus benedicitur & consecratur.

Psal. 101. 26. Ephes. 4. 10. Hebr. 4 7. 9 Act. 3. 21. Aug. l. 22. de ciuit. c. vlt.

IAM verò sacri Scriptores, vt splendorem eius loci, & amplitudinem status cœli declarent, variis similitudinibus vtuntur. Apostolus in epistola ad Hebræos confert cum templo Hierosolymitano, quod duabus partibus erat distinctum, prima, quæ dicebatur *Sancta*, altera verò, quæ vocabatur *Sancta Sanctorum*, in quod Summo Pontifici non patebat aditus, nisi quotannis semel: Quarum hæc postrema regnum cœlorum à Christo summo Pontifice semel patefactum repræsentabat, de quo sic loquitur: *Post velamentum autem secundum Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureũ habens*

Heb. 9. 1.

thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, supérque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium. His vero ita compositis in priore quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex, hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse Sanctorum viam. Et infra: *Non enim in manu facta sancta IESVS introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt nunc appareat vultui Dei pro nobis.* Sub finem verò eiusdem epistolæ ita de-
Heb. 12. 18. scribit Statum beatorum: *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & turbinem, & caliginem, &c. sed accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem IESVM, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.*

S. IOANNES vero Apostolus & Euangelista longè splendidius in ænigmate eundem Beatorum Statum, eorúmque habitationem cœlestem in
Apoc. 21. 2. Apocalypsi sua depingit: *Et ego Ioannes,* inquit, *vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cœlo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Et infra: *Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi sanctam ciuitatem Hierusalem descendentem de cœlo à DEO, habentem claritatem DEI, & lumen eius simile lapidi pretioso, tanquam lapidi iaspidis, sicut crystallum. Et habebat murum magnum & altũ habẽs portas duodecim, & in portis angelos duodecim,*

duodecim, &c. Et fundamenta muri lapidis omni lapide pretioso ornata. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas. Et templum non vidi in ea. Dominus enim DEVS omnipotens templum illius est, & Agnus. Et ciuitas non eget sole neque luna, vt luceant in ea: Et portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit illic, nõ intrabit in eam aliquid coinquinatum. Hæc ille. Merito ergo cum BARVCH Propheta exclamare possumus: *O Israel, quam magna est domus DEI, & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Baruch 3. 24.

CAPVT IV.

De Gloriæ æternæ vel Beatitudinis proprietatibus generatim.

PRIMA Proprietas sit, quod omnes homines naturaliter eam appetant. Hãc crebro inculcat S. AVGVSTINVS, vt in primum versum Psalmi 118. Beati immaculati in via: *Exhortatur nos,* inquit, *vt quæramus beatitudinem, quam nemo est, qui non expetat. Quis enim vnquam vel potest, vel potuit, vel poterit inueniri, qui esse nolit beatus?* Et libro contra Iulianum Manichæum ait, *omnes homines naturali instinctu beatos esse velle.* In libro vero 13. de Trinitate: *Illa,* ait, *Mimi facetissima prædicatur vrbanitas, qui cum promisisset in theatro, quid in animo haberent, & quid vellent omnes aliis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum ingenti expectatione maior multitudo confluueret suspensis & silentibus omnibus dixisse perhibetur:* VILI *vultis emere, & caro vendere, cui improuisa dicenti admirabili fauore plauserunt.* Verum cum hoc refutasset Augustinus: *Largitionis enim* Aug. conc. 1. A. c. 3. Id. c. 3.

gratia, inquit, *nouimus quosdam emisse frumenta carius, & vilius vendidisse suis ciuibus*, subiungit: *At si dixissent, omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixissent aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Quicquid enim aliud quisquam latenter volet, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus satis nota est,*
Id.c.5. *non recedit.* Et paulo inferius: *Quoniam verum est, quod omnes homines esse beati velint, idque vnum ardentissimo amore appetant, & propter hoc cetera quæcumque appetunt, nec quisquam potest amare, quod omnino quid vel quale sit nescit: nec potest nescire, quid sit quod velle se scit, sequitur vt omnes beatam vitam sciant.*

II. PROPRIETAS est, quod beatitudo æterna præparata sit iustis & electis à Constitutione mundi, imò ab omni æternitate. Ita enim apud
Matth.25. 34. Matthæum, loquetur Rex Christus iis, qui à dextris erunt: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Et Apostolus
Eph.1.3. ad Ephesios: *Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESV Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, &c. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Deinde B. Ioan-
Apoc. 17. 8. nes in sua Apocalypsi dicit: *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi.* vnde colligitur à constitutione mundi aliorum scripta fuisse. At in libro vitæ scriptum esse nomen, non est aliud quam in numerum beatorum esse à Deo
Apoc. 3.5. relatum. Nam angelo Ecclesiæ Sardis dicitur:
Apoc. 20. 15. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.* Et alibi: *Qui non*

inuentus

inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

III. PROPRIETAS est, quod numerus sit certus iustorum & electorum, qui ad beatitudinem ab æterno sunt designati. Nam Apostolus in posteriore ad Timotheum ait: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sunt eius.* Tim.2.19. Et S. AVGVSTINVS libro de Correptione & gratia: *Certus est prædestinatorũ numerus, qui neque augeri potest, neque minui.* Aug.c.13. Hæc certitudo oritur ex eo, quod qui semel à Deo prædestinatus est, certo & infallibiliter sit peruenturus ad æternam gloriam: *Oues meæ,* inquit Christus apud B. Ioannem, *vocem meam audiunt. Non peribunt in æternum, non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ioan.10.3. 27.28. Et S. AVGVSTINVS de bono perseuerantiæ ait: *Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Aug.c.4. Cum autem DEVS certo & infallibiliter sciat, quinam bene vsuri sunt donis gratiæ concessis, necessario sequitur, vt etiam sciat, quinam in particulari sint saluandi, & quantus eorum, ac proinde & prædestinatorum sit numerus. Si quæras quantus sit eorum futurus numerus? respondeo eum soli Deo cognitum, teste S. AVGVSTINO in Enchiridio, licet secundum quosdam verosimile est tot homines fore prædestinatos, & saluandos, quot angeli corruerunt, vel tot, quot angeli perstiterunt, vel tot denique, quot angeli conditi sunt. Aug.c.29.

IV. PROPRIETAS, quod æternæ gloriæ vel beatitudinis tãta sit futura magnitudo, vt nulla intelligẽtia humana capi, nullo sermone explicari possit,

Isa.64.4. possit, secundum illud Isaiæ & Apostoli dictum:
1.Cor.2.9. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.*
Rom. 8. 28. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda DEI.* Qua de causa idem Apostolus alias scripsit: *Existimo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad*
2. Cor. 4 17. *futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et rursum: *Id quod in præsenti est momentaneum, tamẽ & leue tribulationis nostræ supra modũ in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus,*
2. Cor.12. 3. *domum non manufactam æternam in cœlis.* Imo primordia illius gloriæ quadantenus expertus, *Scio,* inquit, *hominem in Christo (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* id est, quæ homo verbis explicare nequit, vt
Pr. in c.64. Isa. exponit PROCOPIVS: *Non licet homini loqui, ait Paulus, non quod,* inquit, *tacere in mandatis haberet, sed quod efferre pro dignitate non posset.* Sic CHRI-
Matt.17.2. STVS Saluator, vt est apud Matthæum, cum præludium tantum quoddam gloriæ Apostolis exhibuisset, transfiguratus ante eos, & resplenderet facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius fierent alba sicut nix, & vox de nube lucida audiretur, attoniti ceciderunt Apostoli in faciem suam. Et PETRVS quidem initio splendorem cernens, dixit:
Marc. 9.5. *Bonum est nos hic esse,* sed MARCVS Euangelista perhibet, *non sciuisse quid diceret.*

CAPVT

CAPVT V.

De Proprietatibus beatorum ſpeciatim.

PRIMA Proprietas eſt, quod erunt ſimiles DEO. Ita enim loquitur in prima ſua epiſtola S. Ioannes: *Chariſſimi, nunc filij DEI ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Et B. PAVLVS ad Romanos: *Quos præſciuit, ait, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Corpus quoque beatorum ſimile erit corpori Chriſti: *Noſtra autem*, inquit idem Apoſtolus, in epiſt. ad Philippenſ. *conuerſatio in cœlis eſt, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundum operationem, qua etiam poſſit ſibi ſubijcere omnia.* Nec mirum beatos in altera vita DEO & Chriſto ſimiles futuros: quia DEVS initio conditi orbis hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit. Verum & angelis ſimiles futuri in Scriptura perhibentur, nam cum Sadducæi Chriſtum rogaſſent, cuius in reſurrectione vxor eſſet futura, quam ſeptem ordine mariti habuiſſent, reſpondit, *Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem DEI. In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli DEI in cœlo.*

1. Ioan. 3. 2.

Rom. 8. 29.

Phil. 3. 20.

Gen. 1. 27.

Matth. 22. 30. Marc. 12. 25.

II. PROPRIETAS, quod omnes erunt poſſeſſores Regni, & quaſi reges, & ideo beatitudo paſſim in Scriptura vocatur REGNVM cœlorum,

Matth. 11. 12. rum, de quo Christus apud Mathæum, *A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et Paulus ad Timotheum; 2. Tim. 2. 12. *Nam si commortui sumus, & conuiuemus, si sustinebimus & conregnabimus.* Et Sapiens, Sap. 5. 17. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini.* & Dominus ad saluandos, Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* & B. Ioan. in Apocalypsi; Apoc. 22. 5. *Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in secula seculorum.*

III. PROPRIETAS, quod Christus eos adsciscat in perpetuos socios, & conuiuas. Ioan. 12. 26. *Si quis mihi ministrat,* ait apud Ioannem, *me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Et rursum, Ioan. 17. 24. *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam.* Deinde apud Lucam, Luc. 12. 37. *Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes: Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Et alibi; Luc. 22. 29. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Et in Apocalypsi Ioannis Apoc. 3. 20. Christus, *Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipsi mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.*

IV. PROPRIETAS, quod non omnes eadem, sed alij alia gloria in cœlis potientur. Nam de Virgini

Virginibus apud Isaiam promittitur; *Dabo eis in domo mea locum & nomen melius à filiis & filiabus.* Et Isa 56.5.
Christus apud Ioannem, *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Vnde B. CYPRIANVS, *Cum habitationes multas apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat.* Et S. AVGVSTINVS, *In multis mansionibus honoratur alius alio clarius.* Deinde apud Matthæum ait; *Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo,* id est Ioanne Baptista. Quo argumento vtens B. HIERONY. in Iouinianum; *Vides ergo,* inquit, *quod in cœlis sit maximus & minimus, & inter angelos quoque sit multiplex & infinita diuersitas.* Idem docet B. PAVLVS in priore ad Corinthios exemplo stellarum, minus plúsve lucentium. *Sicut stella,* ait, *differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum.* Ita S. GREGORIVS in verba Iob, *Paruus & magnus ibi sunt. Quo hic,* inquit, *alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendit.* Rationem autem & causam reddit alibi Scriptura, quia in illa die *reddet vnicuique secundum opera eius,* at in hac vita non eadem sunt iustorum omnium opera. S. AMBROSII in epistola ad Siricium Papam verba sunt; *Agrestis vlulatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, promiscue omnia velle confundere, diuersorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationum inducere, quasi Christo vna sit palma, quam tribuat, nec plurimi abundent tituli meritorum.* Et S. AVGVSTINI ad Dardanum; *DEVS,* ait, *totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus: quãuis in quibus habitat, habeãt eũ pro sua capacitatis diuersitate, alij amplius, alij minus, quos ipse sibi dilectissimi templũ gratia suæ bonitatis ædificat.* Ioan. 14. 2. Cypr. de hab. Virg. Augustſ. de Virgin. c. 26. Matth. 11. 11. 1. Cor. 15. 41. Gr. 4. mor. c. 43. Iob. 3. 19. Rom. 2. 6. Ambr. ep. 81. Augustſ. ep. 57.

Et

Et 22. de ciuit. c.30. *Qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus honorum, atque gratiarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint, non est ambigendum.*

V. PROPRIETAS, quod Gloria beatorum futura sit æterna, ac proinde amitti nequeat. Nam

Eccl. 24. 31. à sapiente dicitur; *Qui elucidant me, vitam æternam possidebunt.* & apud Matthæum; *Et ibunt hi in ignem*

Matth. 25. 46. *æternum, iusti autem in vitam æternam.* Et apud Apo-

Rom. 6. 23. stolum, *Gratia DEI, vita æterna.* Et in Apocalypsi

Apoc. 3. 12. Ioannis, *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo*

1. Petr. 1. 4. *DEI mei: & foras non egredietur amplius.* S. PE-

2. Petr. 5. 4. TRVS in priori epistola vocat *hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cœlis.* Et iterum, *immarcessibilem gloriæ co-*

Aug. c. 20. *ronam.* Vnde S. AVGVSTINVS contra Origenem in lib. XII. de ciuitate DEI: *Quorum,* inquit, *piorum aures ferant post emensam tot tantisque calamitatibus vitam, post tam magna mala, tamque multa & horrenda, tandem aliquando per veram religionem & sapientiam expiata atque finita, ita peruenire ad conspectum DEI, atque ita fieri beatam contemplatione incorpoream lucis per participationem incommutabilis immortalitatis eius, cuius adipiscendæ amore flagramus, vt eam quandoque necesse sit deseri, & eos qui deserant, ab illa æternitate, veritate, felicitate deiectos, tartaream mortalitati, turpi stultitiæ, miseriis execrabilibus implicari,*

A. serm. 213. *vbi DEVS amittatur, vbi odio veritas habeatur?* Et in sermonibus de Tempore. *Vita non est, nisi beata. Et beata vita non potest esse nisi æterna, vbi sunt dies boni: nec multi, sed vnus.*

CAPVT

CAPVT VI.

De Dotibus Beatorum maxime quoad animam.

PRIMA Dos beatorum erit, *Satietas sine fastidio*, de quo prædixit rex Dauid, cum ait, *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, & Isaias cum Ioanne in Apocalypsi; *Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus. Satiati*, inquit B. GREGORIVS, *desiderabimus, ne satietas generet fastidium: desiderantes satiabimur, ne cum anxietate sit desiderium.* Et S. AVGVSTINVS de vtráque satietate animæ, huius & alterius vitæ exponit versum illum Psalmi; *Tanquam adipe & pinguedine repleatur anima mea. Habet*, inquit, *quandam pinguedinem anima nostra. Est quædam saturitas pinguis sapientiæ. Sapientia enim ista animæ quæ carent, marcescunt, & omnino ita exiles fiunt, vt in bonis omnibus operibus cito deficiant. Pinguis anima, vnde esset pinguis, nisi à Domino saturaretur? Et tamen quantumlibet hic sit pinguis, quid erit in illo futuro seculo, quo nos pascit DEVS interim in hac peregrinatione? Quid erimus tunc? Nec dici potest. Et fortasse ipsam saturitatem optamus hic, quando leuamus manus nostras, vbi pinguedine sic saturabimur, vt omnino omnis indigẽtia nostra intereat, & nihil desideremus, quia totũ præsto nobis erit, quicquid hic desideramus, quicquid hic pro magno amamus.* Psalm. 16. Isa. 49. 10. Apoc. 7. 16. Psal. 62. 6.

II. Dos erit securitas sine metu, pax sine perturbatione. *Iustorum enim animæ*, ait Sapiens, *in manu DEI sunt. DEVS dextra sua reget eos & in brachio sancto suo defendet illos, & accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Et ISAIAS; *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & tabernaculis fiduciæ, & in requie opu-* Sap. 3. 1. Sap. 5. 17. Isa. 32. 18.

Psal.147. 14. *lenta.* Et Psalmista; *Qui posuit fines tuos pacem.* Hæc securitas faciet, vt perpetuo in Apocalypsi & Isaia portæ cœli dicantur futuræ apertæ. *Aperientur,* inquit, *portæ iugiter die ac nocte, & non claudentur.* Vn-

Isa.60. 11. Apoc.21. 25. Aug. lib. 22.c.30. de S. AVGVSTINVS libro vltimo de Ciuitate Dei; *Vera pax ibi est, vbi nihil aduersi, nec à seipso, nec ab alio quisquam patietur. DEVS finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.*

III. Dos erit scientia, absque ignoratione. *Videmus enim nunc per speculum,* ait Apostolus, *in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Et quidem S. AVGVST. loco citato vult eos scientiam tunc habituros, & miseriarum præteritarum, atque etiam pœnarum, quas luunt damnati; *Potentia scientiæ,* ait, *quæ magna in eis erit, non solum sua præterita, sed etiam damnatorũ eos sempiterna miseria non latebit. Alioquin si se fuisse miseros nescituri sunt, quomodo, sicut*

1. Cor.13. 12. Psal.88. 2. *ait Psalmus, Misericordias Domini in æternũ cãtabunt?*

IV. Dos erit Liberum arbitrium integrum

Psal.114.7. sine peccato. Nam Rex Dauid cum dixisset, *Conuertere anima in requiem tuam,* subiecit; *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Nec ideo,* inquit idem S. AVGVSTINVS, *liberum arbitrium* (beati) *non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libertatem. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare, hoc autem nouissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit: verum hoc quoque DEI mu-*

Aug. lib. 22.c.30.

nere,

nere, non sine possibilitate naturæ. Certe DEVS ipse nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?

V. Dos erit perpetuo laudare Deum sine fatigatione. *Beati qui habitant in domo tua Domine*, ait Psalmographus, *in secula seculorum laudabunt te.* Et ISAIAS, *Lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis. Quanta erit illa felicitas*, ait B. AVGVSTIN. *vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur DEI laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agetur, vbi neque vlla desidia cessabitur, neque vlla indigētia laborabitur nescio. Admoneor etiam sancto Cantico, vbi lego, vel audio, Beati qui habitāt in domo tua Domine, in secula seculorū laudabunt te.* Psal.83. 5. Isa.c.51.3. Aug. lib. cit. 1. Cor.15. 28.

VI. Dos erit, ita contentum esse sua gloria, vt maiorem alteri non inuideat. Vnde item Doctor, *Atque ita etiam*, inquit, *beata ciuitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori vllus inferior inuidebit, sicut non inuident Archangelis angeli cæteri, tanquam nolit vnusquisque esse, quod non accepit, quamuis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obstrictus, quia nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus, cum membrum virumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, vt hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.* A. lib. cit.

VII. Dos erit gaudium maximum, sine vllo dolore, vel tristitia. *Auferet enim*, vt habet Isaias, & repetit B. Ioannes in Apocalypsi, *Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra, quia Dominus locutus est.* Et rursus, *Canticum erit vrbis sicut vox sanctificatæ solennitatis, & lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini ad fontem Israël*; Et, *Lætitia* Isa. 25. 8. Apoc. 7. 27. Apoc. 22. 4. Isa. 30. 29. Isa. 35. 10.

sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Et Christus apud
Ioan. 16. 22. Ioannem, *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et
Matth. 25. 21. apud Matthæum seruo fideli dicit, *Super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

CAPVT VII.

De causis vel fontibus gaudij ineffabilis beatorum.

PRIMA causa vel Fons ineffabilis gaudij beatorum est S. TRINITAS, in cuius contemplatione consistit beatitudo. *Primum enim virtutis*
Aug. c. vlt. *erit,* inquit S. AVG. in lib. 22. de Ciuit. Dei, *ipse qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo melius & maius nihil possit esse, promisit. Quid enim est aliud, quod per prophe-*
Ierem. 31. 33. *tam dixit, Ero illorum DEVS, & ipsi erunt mihi plebs: nisi ego ero vnde satientur; ego ero quæcúnque ab omnibus honeste desideratur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona. Sic enim & illud recte intelligitur, quod ait Apostolus, vt sit DEVS*
1. Cor. 15. 28. *omnia in omnibus.* Ad quod respexit rex Dauid, cum in Psalmis dixit; *Faciem tuam Domine requiram*; Et.
Psal. 26. 8. *Ostende faciem tuam & salui erimus*; Et, *Sitiuit anima*
Psalm. 79. 20. *mea ad Deum fontem viuum.* & Apostolus Philippus
Psal. 41. 3. apud Ioannem; *Domine,* ait, *ostende nobis Patrem, &*
Ioan. 14. 8. *sufficit nobis, Christus enim ei respondit. Philippe qui videt me, videt & Patrem. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?*

II. FONS est humanitas Christi. *Hæc est vita*
Ioan. 17. 3. *æterna,* ait Christus ipse apud S. Ioannem, *vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Nulla autem res homini beato maius gaudium conciliare potest, quam considerare naturam suam humanam cunctam ad tantam dignitatem,

tatem, vt idem hypostatixῶς, qui in Christo erat homo esset Deus, ipséque frater vere esset eius hominis qui Deus est, & in quo vita beata consisteret. *Non confunditur*, inquit Apostolus ad Hebræos, Christus *fratres eos vocare, dicens; Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Heb. 2. 11. Psal. 21. 23.

III. FONS est loci amænitas. *Erit enim*, vt habet Isaias, *lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.* Imo *non erit amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ*, ait alibi, *illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternã, & Deus tuus in gloriam tuam*, quod repetitur in Apocalypsi, *nam claritas Dei*, inquit B. Ioannes, *illuminauit eã, & lucerna eius est agnus Dei.* Addit deinde ad explicandam simul loci puritatem; *Non intrabit in eã aliquid coinquinatum, aut abominationem faciẽs & mẽdaciũ, nisi qui sũt scripti in libro vitæ Agni.* Isa. 30. 26. Isa. 60. 19. Apoc. 21. 23. Et 22. 5. Apoc. 21. 27.

IV. FONS est, Societas aliorum saluandorum. Primo ex multitudine. *Vidi turbam magnam*, ait in Apocalypsi B. Ioannes, *quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus & populis, & linguis.* Secundo ex nobilitate societatis, in qua erit beatiss. virgo MARIA mater DEI, omnes angeli & Archangeli, Patriarchæ & Prophetæ, omnes Reges sancti & reginæ, Apostoli, Martyres, Eremitæ, Doctores, Confessores, parentes, amici, socij. Vnde B. CYPRIANVS libro de mortalitate omnes ad vitam æternam inuitans, *Patriam*, inquit, *nostram Paradisum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus, quid non properamus, & currimus, vt patriam nostrã videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrũ, filiorum frequens nos & copiosa turba* Apoc. 7. 9. Cyp. in fine.

desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi, quam summa & perpetua felicitas? illic Apostolorum glorioſus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus: triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis, continentiæ robore subegerunt; remunerati misericordes, qui alimentis, & largitionibus pauperum iustitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta seruantes ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos fratres dilectissimi, auida cupiditate properemus, vt cum his cito esse, vt cito ad Christum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram DEVS videat, hoc propositum mentis & fidei dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum circa se fuerint desideria maiora. Lege & CHRYSOSTOMVM homil. 8. ad Hebræos.

V. FONS gaudij societas glorioſi corporis, nam post generalem mortuorum in die iudicij extremi resurrectionem, beatorum satisfiet expectationi, de qua Apostolus ad Philippenses, *Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subijcere sibi omnia.* vnde ISAIÆ vltimo electis promittitur beatitudo animæ & corporis. *Videbitis*, inquit, *& gaudebit cor vestrum, & ossa vestra sicut herba germinabunt.* Accessione autem corporis & totum eius cœlestium, idcirco maius & cumulatius gaudium beato accedet, cum quod tunc,

Psal. 3. 21.

Isa. 66. 14.

tunc, vt AVGVSTINVS ad Dioscorum scribit, felicitas animæ in corpus redundabit, quatenus nimirum in corpus sese exseret, & quasi spirituale & cœleste, vt loquitur Apostolus, illud reddet, tum quia animæ gaudium quoddam nouum accidentale ex felicitate corporis accedet, quocum in hac vita communes labores pro cõsequenda vita æterna sustinuit. De dotibus autem corporis beati futuris, sequenti capite dicemus. Aug. epist. 56. 1. Cor. 15. 40.

VI. FONS gaudij erit, quod euaserit pœnas gehennæ æternas, vel quod S. CHRYSOST. multis gehennis durius & acerbius existimat, diuinæ gloriæ fruitione non exciderit. Sic enim inchoauit homiliam quandam ad populum Antiochenum, *Multi hominum, charissimi, gehennam tantum formidant, ego autem illius gloriæ amissionem gehenna multo amariorem esse dico. Si vero sermone probari non potest, nihil mirandum. Nec enim nouimus illorum bonorum beatitudinem, vt & miseriam ex eorum priuatione manifeste sciamus. Quoniam Paulus, qui ista manifeste nouerat, sciebat quod à Christi gloria decidere omnium est grauissimum: & nos quoque tunc sciemus, cum in eandem venerimus experientiam. Nunquam autem hoc patiamur, ô vnigenite Dei fili, nec vllam vnquam capiamus huius irreparabilis pœnæ experientiam.* Idem habet sermone 5. in epistolam ad Romanos. & in epist. ad Philippenses sermone 13. Immo ibidem, & in Matthæum hanc habet sententiam, *Ego semper dicam acerbius esse DEVM peccatis offendere, quam gehennæ cruciatu vexari*; quod periculum etiam beati euaserunt. Chr. hom. 47. Chr. hom. 37.

CAPVT VIII.

De Dotibus Beatorum, quoad corpus.

PRIMA Dos beatorum, quoad corpus glorioſum erit IMMORTALITAS. Aperte enim
1. Cor. 15. 42. Apoſtolus in priore ad Corinthios de illo dicit, *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione*; Et, *Oportet enim corruptibile hoc induere immortalitatem: cum autem mortale hoc induet immortalitatem, tunc fiet*
Oſee 13. 14. *ſermo qui ſcriptus eſt. Abſorpta eſt mors in victoria.* Accedit quod Chriſti reſurrectio exemplar fuerit no-
Rom. 6. 9. ſtræ reſurrectionis, de quo B. Paulus ad Romanos, *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi*
Aug. c. 91. *vltra non dominabitur.* Deinde ita docet S. AVGVSTINVS in Enchiridio; *Reſurgent*, ait, *Sanctorum corpora, ſine vllo vitio, ſine vlla deformitate, ſicut ſine vlla corruptione, onere, difficultate.* Quæres, an ergo Martyres, quibus aliqua membra detruncata ſunt,
A. c. 20. illis ſint carituri? Reſpondet lib. 22. de Ciuitate. *Nec ſi aliqua Martyribus amputata & ablata ſint membra, ſine ipſis membris in reſurrectione mortuorum,*
Luc. 21. 18. *quibus dictum eſt; Capillus capitis veſtri non peribit.* Ait tamen ibidem, ſicut in Chriſto manſerunt, in martyribus fortaſſe cicatrices vulnerum ad decorem manſuras. *Non enim*, inquit, *deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam quamuis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit.*

II. Dos beatorum Ætas iuuenilis, quam circa annum trigeſimum beatus vel habuit, vel habiturus fuiſſet, ſi eoúſque vixiſſet. Et ſtatura ea corpo-
Auguſt. 12. Ciu. c. 15. ris, quam iuxta proprium temperamentum & facultatem naturalē adipiſci potuerat. Ita confirmat
Eph. 4. 13. AVGVSTIN. loco citato ex verbis Apoſtoli. *Donec occurra*

occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. qui mortuus est, & resurrexit in ætate iuuenili. *Restat*, inquit, *vt suam quisque recipiat mensuram quam vel habuit in iuuentute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si antea est defunctus.* Idem sensit S. HIERONY. ad Pammachium, contra errores Ioan. Hierosolymitani. *Miraris*, inquit, *si de infantibus & senibus in perfecti viri ætatem resurrectio fiat, cum de limo terræ absque vllis ætatum incrementis consummatus homo factus sit?* Ita etiam tradunt Theologi Scholæ in 4. distinct. 44. licet Augustinus non inficietur posse iustos resurgere in statura corporis, qua defuncti sunt, modo absit omnis deformitas & corruptio, *& si quid aliud non decet regnum & felicitatem æternam.* Hier. ep. 61. Aug. 22. ciuit. c. 20.

III. Dos beatorum erit SVBTILITAS corporum. Nam 1. Corinth. de eo dicitur; *Seminatur corpus animale, surget spirituale.* 1. perfecte subiectum spiritui. Non enim vocatur spirituale, quia verteretur in spiritum, vt hæretici quidam olim docuere, quos refellit S. AVGVSTINVS XIII. de Ciuitate Dei, vel quia erit instar aeris aut venti, vt finxit Eutichius teste B. GREGORIO lib. 14. Moralium, erunt enim palpabilia, sicut corpus Christi surgentis, vt ibi Gregorius probat. 1. Cor. 15. 44. Aug. c. 22. Gr. c. 31.

IV. Dos erit IMPASSIBILITAS. Impassibilia autem erunt beatorum corpora, quatenus adeo perfecte subiecta erunt suæ formæ, nempe animæ rationali, vt nihil contrarium vel alienum prædominetur huic subiectioni, quod possit illa ad alienam formam disponere. Excludit autem hæc impassibilitas passionem corruptiuam, quam S. DAMASCENVS lib. 2. de fide Orthodoxa, appellat Dam. c. 22.

motum præter naturam, quia, scilicet trahat materiam subiecti ad formam alienam. Non autem excludit passionem animalem, siue intentionalem, per receptionem scilicet sensibilium specierum intentionalium. Nam, vt ait S. Thomas, erit etiam in illis beatis corporibus vsus potentiarum sensitiuarum: gustu excepto, quandoquidem non erit ibi nutritione opus, sicut nec generatione, desinet
1. Cor. 15. 44. enim tunc corpus secundũ Apostolũ, esse animale.

V. Dos erit AGILITAS, vt facillime & celerrime moueantur; *Certe vbi volet spiritus*, ait
Aug. c. 30. AVGVSTIN. lib. 22. de Ciuitate, *ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus.* Et addit, *Qui motus talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen motus & status, sicut & ipsa species decens erit, quicúmque erit, vbi quod non decebit, non erit.* Illi doctrinæ conueniunt illa Scripturæ testi-
Isa. 40. monia, vt ISAIÆ, *Current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* & Sapientiæ, *Tanquam scin-*
Sap. 3. 7. *tillæ in arundineto discurrent.*

VI. Dos erit CLARITAS, nam iam dictum
Sap. 7. est de beatis à Sapiente, *Fulgebunt iusti, & tanquam*
Dan. 12. 3. *scintillæ in arundineto discurrent.* & à Daniele; *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in*
Matth. 13. *perpetuas æternitates.* Et Christus apud Matthæum,
43. *Tunc iusti fulgebunt, sicut Sol in regno patris eorum.* Et
1. Cor. 15. 41. Apostolus, *Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.*

CAPVT

CAPVT IX.

De Aureolis Beatorum.

AVREOLÆ nomine Theologi intelligunt præmium accidentale, quod quibusdam beatis continget ex singulari victoria adepta: *non enim coronabitur*, inquit Apostolus in 2. ad Timoth. *nisi qui legitime certauerit.* 2. Tim. 2. Sunt autem teste S. THOMA in supplemento, tres numero, Vna virginum, altera Martyrum, tertia Doctorum. 6. Th. q 96. Per virginitatem enim integre seruatam perfecte vincitur caro. Per Martyrium vero amor huius vitæ totúsque mundus. Per doctrinam aliis traditam, diabolus: quos enim quis sua doctrina vel ab errore liberat, vel extrahit è sordibus prauæ vitæ, eos quasi è faucibus diaboli eripit.

1. VIRGINVM aureola, vel laureola, vt alij vocãt, indicatur verbis Isaiæ, *Dabo eis* (virginibus) *in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus.* Isa. 56. 5. Quæ verba tractans S. AVGVSTINVS libro de S. Virginitate; *Ideo fortassis*, inquit, *nomen datum est, quod eos quibus datur, distinguit à cæteris.* Et Matthei 13. Patres quidam seminis fructui centesimo, *virginitatem*, sexagesimo *viduitatem*, tricesimo *castitatem coniugalem* comparant. Matt. 13. 8.

2. MARTYRVM Aureola indicatur illis verbis Apocalypsis, *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Apoc. 2. 17. Et horum quam Virginum maior erit aureola, quia S. AVGVST. libro citato dicit, *neminem ausum fuisse virginitatem præferre Martyrio.* Aug. c. 46.

3. DOCTORVM indicatur c. 12. Danielis citato:

Qui

Matt. 5. 19. *Qui docti fuerint.* & illo Christi apud Matthæum, *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Nomine DOCTORVM intelliguntur qui actu docendi officium in Ecclesia exercent, & ad iustitiam erudiunt multos, vt loquitur Dan. 12. 3. DANIEL.

VIDE & *de statu gratiæ, & Naturæ.*

DE GRATIÆ DIVINÆ STATV.

CAPVT I.

De nomenclatura, variisque partitionibus gratiæ.

Aug. cap. 107. GRATIA, inquit S. AVGVSTINVS in Psalmum 43. *merito sic nominatur, quia gratis datur.* Et in Enchiridio ad Laurētiū, *Gratia vero, nisi gratis sit, gratia nō est.* Rom. 4. 4. Opponitur autē debito iuxta Apostolum: nam ait, *Ei autem qui operatur merces non imputatur* Rom. 11. 6. *secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et iterum *Si autem gratia, iam nō ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* TRIA autem in SS. literis significat vox Gratiæ. Primo quoduis Dei beneficium, siue Sap. 16. 25. naturale sit, siue supernaturale. Vt in libro Sapientiæ, *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat.* Et apud S. AVGVSTINVM dicentem, *Attendamus gratiam Dei non solum qua fecit nos, verumetiam qua refecit.* 2. designat tantùm supernaturale Dei beneficium, vt Aug. c. 10. & 11. fuit gratia Adæ & Angelis collata, de qua S. Augustinus in libro de correptione & gratia; & gratia humani

humanitatis Christi, de qua apud S. Ioannem, *Plenum gratiæ & veritatis*. 3. proprie designat donum supernaturale ex Christi merito etiam indignis collatum, vt cum Apostolus ad Romanos dicit, *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo IESV*. Et S. AVGVST. lib. 1. de prædestinatione Sanctorum. *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso spiritu & hic renatus, de quo est ille natus: eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est, vt nullum ille haberet peccatum*. Nos de 2. tantum & 3. significatione hic agimus. Ioan. 1. 14. Rom. 3. 24. Aug. c. 15.

PARTITIONES autem gratiæ variæ sunt. I. est in gratiam gratis datam, & gratum facientem. *Gratis data est*, quæ præcipue datur ad vtilitatem aliorum, cuiusmodi S. Paulus enumerat nouem, vt sapientiam, fidem, gratiam sanitatum, operationem virtutum, prophetiam, discretionem spirituum, genera linguarum, & interpretationem sermonum. *Gratum faciens* est, quæ præcipue datur ad propriam cuiusque salutem. Vnde Deus ad Paulum. *Sufficit tibi gratia mea*. II. est Gratiæ gratum facientis in Habitualem & Actualem. Habitualis complectitur habitus infusos fidei, spei & charitatis, ac ipsius gratiæ in anima permanentis. Actualis, est actio, qua Deus hominem monet ad operandum, vel cum eo operatur in rebus ad salutem spectantibus, quæ à Theologis vocatur Auxilium speciale, vt distinguatur à gratia gratum faciente, quæ est qualitas permanens. III. est Gratiæ Actualis, vel Auxilij specialis in præuenientem & subsequentem, iuxta illud Psalmi, *Misericordia* 1. Cor. 12. 8. 2. Cor. 12. 12. Psal. 58. 11.

Psal. 22.6. *ricordia eius præueniet me.* Et, *Misericordia tua subsequetur me.* Et Ecclesia sic orat, *Actiones nostras aspirando præueni, & adiuuando prosequere.* Vnde AVGVSTINVS in Enchiridio, *Deus nolentem præuenit, vt velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.* Et

Aug. c. 32.

Gr. hom. 9. S. GREGORIVS in Ezechielem, *Nos præuenit vt velimus, & volentes subsequitur, ne inaniter velimus.* IV. est eiusdem gratiæ actualis in excitantem & adiuuantem. Ad excitantem pertinent diuinæ inspirationes, quibus Deus cor nostrum pulsat, vt à somno peccati exurgamus. Ad adiuuantem spectat Dei cooperatio, directio, ac protectio, tum vt eligamus, tum vt faciamus, quod Deus præueniens inspirauit. De qua in Apocalypsi, *Ecce sto ad*

Apoc. 3. 20. *ostium,* inquit, *& pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum.* Vnde S. AVGVSTINVS lib. 2. de peccatorum meritis, *Quod*

Aug. c. 18. *ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante & adiuuante non possumus.* Et S. BERNARDVS de gratia & libero arbitrio, *Conatus nostri & cassi sunt, si non adiuuentur, & nulli, si non excitentur.* V. Partitio est in operantem & cooperantem. Operans facit, vt velimus. Cooperans, vt impleamus quod

Aug. c. 17. volumus. Vnde S. AVGVSTINVS de gratia & libero arbitrio. *Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et hæ tres postremæ partitiones parum vel nihil inter se discrepant. VI. Partitio est in gratiam sufficientem & efficacem. Sufficiens est, qua Deus hominem ita vocat, excitat & dirigit, vt possit, si velit, consentire. Efficax est, qua Deus ita hominem vocat, excitat & dirigit, vt reipsa consentiat efficaciter. De sufficiente intelligitur illud in Actis Apostolicis, *Vos*

Act. 7. 51.

semper

semper Spiritui Sancto reſtitiſtis. id eſt, Dei gratiæ vocāti non cōſenſiſtis. De efficaci vero illud Chriſti apud S. Ioannem, *Omnis qui audierit à Patre & didicit, venit ad me.* Huius partitionis meminit S. AVGVSTINVS libro primo ad Simplicianum, q. 2. Et libro de correptione & gratia cap. 11. & 12. Alij vocant hanc gratiam efficacem & ineffacem, vel congruam & non congruam. Ioan. 6. 45.

CAPVT II.

De excellentia gratiæ, maxime gratum facientis & habitualis.

EXCELLENTIAM gratiæ cognoſcere poſſumus ex multis Spiritus Sancti oraculis in Verbo diuino expreſſis, ac primo quidem quod eius auctorem faciat Deum Patrem & Dominum noſtrum IESVM Chriſtum. Nam Pſaltes regius canit, *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et Salomon, *Qui bonus eſt, hauriet gratiam à Domino.* Et S. Ioannes, *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Et Apoſtolus initio pœne omnium epiſtolarum, *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino IESV Chriſto.* Et ad Epheſios; *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Et ad Corinthos, *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Tum Petrus & Iacobus; *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* DEINDE, quod efficiat nos *filios DEI, hæredes & cohæredes Chriſti.* Ioānis primo, Romanorū octauo, ad Galatas ſexto, *Diuinæ conſortes naturæ,* vt habet B. Petrus. *natos ex Deo, cuius ſemē,* nēpe gratiæ, *in eo maneat,* vt loquitur in priore epiſtola ſua D. Ioānes. Quod eius beneficio intime adhęreamus Deo,

Pſal. 83. 12. Prou 12. 2. Ioan. 1. 17. Rom. 1. 7. Eph. 2. 8. 1. Cor. 15. 10. 1. Pet. 5. 5. Iac. 4. 10. Ioan. 1. 12. Rom. 8. 17. 2. Pet. 1. 4. 1. Ioan. 3. 9.

1. Cor. 6. 17. Deo,& vnus Spiritus cum eo fiamus. *Qui enim adhæret Domino*, ait Paulus, *vnus Spiritus est.* Quod
1. Cor. 3. 18. corpora nostra fiant templa Spiritus S.imo membra Christi. *Nescitis*, ait idem, *quia templum Dei*
1. Cor. 6. 17. *estis,& Spiritus Dei habitat in vobis?* Et iterum, *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?*
Eph.3.6. Vnde ad Ephesios ait, *Gentes esse cohæredes, & concorporales & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu*, nempe post gratiam Christi in baptismo receptam. Denique gratia hæc, vt multi Theologi docent,non est aliud quam ipsa charitas, quæ inter omnes virtutes principatũ obtinuit,& in Scripturis eosdem cum gratia effectus habet,vt ostendimus in titulo Charitatis in VIRIDARIO.

SCRIPTVRIS Diuinis cõsentiunt S.Patres.S.

Cyp. lib.2. c.2. CYPRIANVS in epistola ad Donatum stupens per gratiam baptismi se in alium hominem commutatum. *De DEI*, inquit, *munere prædicatur, vt iam non peccare esse cœperit fidei,quod ante peccatum est, fuerit erroris humani. Dei est inquam, Dei omne quod possumus,inde viuimus, inde pollemus, inde sumpto & vigore concepto hic adhuc positi futurorum indi-*
Basi. in c.8. *cia prænoscimus.* S. BASILIVS in Isaiam; *Nemo Dei gratiam compensare potest pretio quantolibet, ipso*
Matth.10. 8. *dicente Domino, Gratis accepistis,gratis date. Perspice*
Act.8.20. *quam acriter Petrus destomachatus sit aduersus Simonem, pro comparanda gratia Spiritus Sancti pecuniam offerentem:ait enim, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia putasti donum DEI acquiri pecunia. Sermo vtique Euangelicus nequaquam venalis est,cui verba pythonũ & ariolorum. Quam enim possit quis reponere compensationem Euangelio dignam? Audi hac de re Dauid pendentem animi simul & dicentem; Quid*

retri

retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nullo igitur pacto possit quis respondere munus gratiæ DEI æquiparandum. B. EPHRAEM de beatitudinibus; *Domine Iesu fili DEI,* inquit, *facta est tua gratia in corde serui tui lux atque lætitia: in ore famuli tui super mel & fauum. Facta est gratia in anima serui tui velut thesaurus, paupertatem meam ditauit, egestatem & sordes à me depulit. Facta est gratia tua seruo tuo refugium & virtus, protectio & exaltatio, gloriatio & cibus totius vitæ. Indignum os meum aperui, sed quo pacto lingua mea largitorem bonorum quotidie pro dignitate laudare & glorificare poterit? aut quomodo ego peccator excludere audebo gratiæ tuæ fluctus in corde meo pullulantes, ac suauitate diuersissimorum munerum plenos? Canam ergo gloriam cœlorum Domino, qui famulo suo dona cœlestia per multiformem suam gratiam est largitus. Magnificabo gratiam tuam Christe Saluator, qui gloria es vitæ meæ: in hac etenim celebranda mihi ipse laudem & magnificentiam in ea inuenio.* Idem Encomium scripsit de diuina gratia, cuius hoc initium. *Enitere vt diuinam gratiam iugiter in mente tua habeas, ne illudaris. Cole illam, vt custodem tuam, ne iniuria affecta relinquat te. Venerare illam, vt magistram tuam inuisibilem, vt ne illa absente verseris in tenebris. Sine illa noli certamen inire, ne turpiter intereas, sine comitatu illius virtutis semitam ne ingrediaris, nam draco rugiens insidias tibi struet.* Psal. 115. 12.

S. AMBROSIVS in libro de iis, qui mysteriis initiantur: *Sitiebat,* ait, *populus Patrum, tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit: nunquid non præter naturam operata est grâtia? vt aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Marath* Amb. c. 3.

fluuius amariſſimus erat, vt ſitiens populus bibere non poſſet. Miſit Moyſes lignum in aquam, & amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit, quam infuſa ſubito gratia temperauit. Aduertimus igitur maioris virtutis eſſe gratiam quam naturam. S. CHRYSOST. ad populum homil. 21. *Non ſic mundus eſt clarus oriente radio, vt anima illuſtratur & ſplendidior fit à ſpiritu gratiam ſuſcipiens. Et diligentius rerum naturas diſce. Nocte enim tenebris caligantibus ſæpe funiculum quis videns ſerpentem eſſe putauit, & amicum accedentem tamquam inimicum fugit, ſtrepitum ſentiens trepidus factus eſt. facta autem die nihil tale fieret, ſed omnia qualia ſunt apparent. Quod & in anima noſtra contingit. Poſtquam enim gratia veniens tenebras mentis expulit, rerum veritatem diſcimus, & res prius tremendæ nobis fiunt deſpicabiles. Nec enim amplius mortem timemus, ſcientes quod mors non eſt mors, ſed ſomnus, & via ad vitam meliorem.* Et in Geneſin homil. 46. *Si Dei gratiam nacti fuerimus, nullus nobis præualebit, ſed nos potentiores omnibus erimus. Quando enim amicum & beneuolum habemus Deum, etiamſi in deſerto fuerimus, multo ſecuriores viuemus, quam ij qui in ciuitatibus verſantur. Maxima enim ſecuritas, &*

Hier. epiſt. 83. *inexpugnabilis murus eſt gratia DEI.* S. HIERONYMVS ad Oceanum; *Totæ Apoſtoli epiſtolæ Chriſti gratiam ſonant. Et ne parum videretur ſimplex*

1. Pet. 1. *gratiæ nuncupatio, Gratia, inquit, & pax vobis multi-*

Id. ep. 150. *plicetur. Multiplicatio promittitur, & à nobis paucitas affirmatur?* Et ad Hedibiam quæſtione nona: *Reuera indumentum virtutis Spiritus Sancti gratia eſt, quam poſſidentes* (Apoſtoli) *iudicum tribunalia & Regum purpuras non timebant*, &c. *Poſtquam enim baptizantur in Spiritu Sancto, & infunditur in eos*

ſpiritus

Spiritus Sancti gratia, tunc libere loquuntur ad Principes Iudæorum; Obedire magis Deo oportet, quam hominibus: inter flagella lætantur, fundum sanguinem pro Christo, & supplicijs suis coronantur. S. AVGVSTINVS in Psalmum LXX. initio: *In omnibus*, inquit, *Scripturis sanctis gratia DEI liberat nos, commendat se nobis, vt commendatos habeat nos.* Et sermone 61. de verbis Domini, *Scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Gratia quippe DEI, donum DEI est: donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est, & ideo gratia dicitur. Cum enim omnes peccassent, & egerent gloria DEI, ideo gratia, quia gratis datur. Ideo gratis datur, quia non quasi merces redditur post discussionem meritorum, sed donum datur post delictorum veniam.* B. PROSPER lib. 2. de vocatione gentium. *Gratia quidem DEI in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.*

Act. 5. 29. Aug. conc. 1. Iac 4. 7. Prosp. c. 9.

CAPVT III.

De gratiæ necessitate & vtilitate.

DIVINÆ gratiæ, siue gratiam habitualem, siue actualem, id est, auxilium Dei speciale intelligamus, necessitatem in omnibus actionibus ad pietatem & salutem pertinentibus prædicant omnes Scripturæ. Clare enim Dominus dixit apud S. Ioannem: *Sine me nihil potestis facere*, nihil, quod prosit ad salutem. Et; *Nemo potest ad me venire, nisi Pater meus traxerit eum.* vnde sequitur, quod ne quidē possit se disponere vel præparare ad gratiam

Ioan. 15. 5. Ioan. 6. 44.

sine auxilio diuino. Qui enim se disponit, non debet trahi, sed duci tantum, cum iam sit paratus venire. Deinde Apostolus ad Corinthios; *Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti?* Et, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et ad Philippenses; *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi.* Et iterum, *Deus est enim qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate.*

1.Cor.4.7. 2.Cor.3.5. Phil.1.& 2.

VNDE primi Concilij in Palæstina contra Pelagium celebrati teste S. Augustino, septimus articulus fuit, nullum actum bonum ad salutem pertinentem sine gratia fieri posse. Deinde Concilij Africani frequentissimi teste Prospero in responsione ad capitula Gallorum decretum fuit, *gratiam DEI non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuuare, ita, vt sine illa nihil veræ sanctæq; pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* S. CYPRIANI lib.3. ad Quirinum dictum est, *In nullo gloriandum quando nostrum nihil est.* S. AMBROSIVS in Lucam, *Vides*, ait, *quia vbique Domini virtus studys cooperatur humanis, vt nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino.* HIERON. contra Pelagianos, *Hoc longa dissertione conclusum est, & gratia sua Dominus, qua nobis concessit liberum arbitrium in singulis operibus iuuet atque sustentet.* S. AVGVSTINVS contra duas epistolas Pelagianorum, *Liberum arbitrium dicimus ad bene piéque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.* S. GREGORIVS in Ezechielem, *Deus nos præuenit, vt velimus, &*

Aug. epist. 106. Prosp. ad 8.cap. Cyp. c.4. Ambr. lib. 2.c.11. Hier.lib.3. Aug.lib.2. cap.1. Gre. hom. 9.

& volentes subsequitur, ne inaniter velimus. S. BERNARDVS de gratia & libero arbitrio, *Conatus nostri & cassi sunt, si non adiuuentur, & nulli, si non excitentur.* Denique non sine causa orat ECCLESIA, vt Deus actiones nostras aspirando præueniat, & adiuuando prosequatur, nec sine causa pro omni bono opere gratias agit, nisi quia agnoscit nihil salutaris boni sine gratia DEI fieri posse.

VTILITATES gratiæ diuinæ non conticuit quoque diuina Scriptura. Illius enim beneficio consequimur, atque etiam promeremur vitam æternam. *Stipendia enim peccati mors,* ait Apostolus ad Romanos: *gratia autem DEI vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Et iterum; *Si autem filij* (quod fit per gratiam) *& hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi.* Et ad Ephesios; *Gratia saluati estis per fidem, ex hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Valet ad expugnandas tentationes carnis. *Infelix ego homo,* ait idem, *quis me liberabit de corpore mortis huius. Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et iterum; *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi; Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Addit & robur ad maiores labores & persecutiones etiam sustinendas. Vnde Apostoli post acceptam gratiam Spiritus Sancti nullos labores vel afflictiones subterfugere, vt est in eorum Actis. Et S. Paulus in priore ad Corinthios: *Gratia, ait, Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus* (Apostolis) *laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Rom. 6. 23. Rom. 8. 17. Eph. 2. 8. Rom. 7. 24. 2. Cor. 12. 7. Act. 5. 41. 1. Cor. 15. 10.

Ex S. Patribus in hunc modum gratiæ diuinæ

E. de timore animi.

fructus S.Ephræm depingit: *Gratiæ*, inquit, *præsentia simul cum cordis compunctione animi dulcedinem & tranquillitatem affert. Exhilarant vndæ diuinæ gratiæ, iubárque Sancti Spiritus nostræ pectora, faciúntque vt anima repente omnium rerum terrenarum, cupiditatúmque carnalium ac noxiarum obliuiscatur. Fouent igitur vndæ diuinæ gratiæ intellectum simul & animam. Similisque est gratia Dei in anima nostra horto regio, pulchris arboribus & fructibus bonis pleno, qui tum sapore, tum odore, tum iucunditate & pulchritudine sua mirificam cunctis sensibus delectationem afferunt. Ita & diuinæ gratiæ fructus ac medicamenta nobis splendorem, dulcedinem, lætitiámque præbent*, &c. multa. S. AVGVSTIN. varios gratiæ tribuit effectus. 1. quod per eam Christiani simus. epist. 90. ad Innocentium Papam. 2. quod sine ea homo similis sit Petro neganti Christum, id est, nihil. sermone 124. de tempore. 3. quod per eam omnia peccata expientur. in Enchiridio c. 50. 51. 52. 4. quod ex ea omnia manent in nos bona. Confessionum lib. 13. c. 3. 5. quod non solum remissionem peccatorum efficiat, sed etiam *cooperantem sibi faciat*, vt ipse loquitur, *hominis spiritum in opere factorum bonorum.* in Psalmum 77. 6. quod eius virtute Martyres tam atrocia sustinuerint supplicia. lib. 13. de Ciuitate Dei, c. 7. 7. quod ex immanissimo persecutore Saulo fecerit Paulum Christi Apostolum. Homilia 14. ex 50. B. PROSPER contra Collatorem; *Virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur, vt non sint sed vt ex malis bonæ, & ex infidelibus sint fideles, & qui ex semetipsis erant tenebræ, lux efficiantur in Domino, quod mortuum erat, viuificetur, quod iacebat erigatur, quod perierat inueniatur. Hoc in omnibus prorsus hominibus*

nibus qui eruuntur de poteſtate tenebrarum & transferuntur in regnum filij dilectionis Dei ſine cuiuſquam exceptione perſonæ agere credimus gratiam Saluatoris. Quia defendimus non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium, qui nobis & initium ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem atque opportunitatem, quæ recte cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum Iac. 1. 17. *deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, qui & incipit quæ bona ſunt, & exequitur, & conſummat in nobis.* S. BERNARDVS de annunciatione Dominica, *nunquid non cibus animæ gratia Dei ſui? Dulciſſimus ſane & omnem habens in ſe ſuauitatem, & delectamentum ſaporis. Imo vero hæc ſibi omnia pariter vendicans non modo delectat, ſed & reficit, & medetur.* Ber. Serm. 3.

CAPVT IV.

De gratiæ diuinæ proprietatibus.

PRIMA eſt CHRYSOSTOMI. Dei ſolius eſſe largiri gratiam, noſtrum eſſe ſuſcipere; *Dei,* inquit, *eſt donum, nec tamen te relinquit vacuum bonis actionibus. Etſi enim eius eſt trahere & inducere, animam tamen requirit, quæ morem gerat, & facile pareat, & tunc ſuum adhibet auxilium. Quocirca alibi quoque dicit Paulus, ſecundum propoſitum vocatis: neque enim virtus, nec ſalus noſtra cogitur. Nam etſi maxima pars, atque adeo fere totum eius ſit, exiguum quid tamen nobis relinquit, vt non ſit à perſona remota cauſa coronæ.* Chryſ. in Pſal. 115. Rom. 8. 28.

II. Eſt S. AVGVSTINI, gratiam gratum facientem, omnibus aliis donis gratis datis præſtare, eo quod S. Paulus de charitate (quæ eadē re eſt cū Aug. 15. de Trin. c. 18.

1. Cor. 12. 31. gratia gratum faciente) dicat, *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Et ratio eſt, quia gratum faciens, vel iuſtificans immediate hominem cum Deo coniungit, amicum ac filium DEI facit, quod non faciunt gratis datæ, vt miraculorum & linguarum, cum poſſint eſſe in hominibus impiis. Quæres, quot ſint gratiæ gratis datæ? Reſpondeo, 1. Cor. 12. 4. in epiſtola quidem ad Corinthios ab Apoſtolo numerari tantum nouem, plures tamen addi in epiRom. 12. 7. ſtola ad Romanos, vt gratiam docendi, exhortandi, gubernandi, miniſtrandi, gratiam diſpenſandi, itaque incertus earum numerus eſt.

III. Gratia gratum faciens eſt qualitas inhærens animæ per modum habitus. Nam Apoſtolus Rom. 5. 19. ad Romanos, cum dixiſſet, *Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*, mox adiecit, *ita per obeditionem vnius hominis iuſti conſtituentur multi.* At per iniuſtitiam nobis inhærentem facti ſumus peccatores, ergo & iuſti per Ib. v. 5. iuſtitiam vel gratiam inhærentem. Deinde ibidem dicitur, *charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis*, at gratia eſt ipſa charitas. 1. Ioan. 3. 9. B. Ioannes quoque in prima epiſtola, *Qui natus*, inquit, *eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen eius manet in eo:* ecce hic gratiam permanentem quaſi Baſ. c. 26. habitum. Et S. BASILIVS libro de Spiritu Sancto, *Sicut cernendi vis eſt in oculo ſano, ſic & operatio Spiritus in anima purgata, & ſicut ars eſt in eo, qui nactus eſt illam, ita gratia Spiritus in eo qui recepit, ſemper* Aug. c. 9. *quidem præſens, at non perpetuo operans.* S. AVG. lib. 1. de peccatorũ meritis. *Ille in quo omnes viuificabuntur, præterquam quod ſe ad iuſtitiam exemplum imitantibus præbet, dat etiam ſui Spiritus occultiſſimã gratiam, quam etiam*

etiam latenter infundit & paruulis. Patrocinatur & ratio. Diligere aliud non est, nisi velle bonum alicui: at Dei dilectio efficax est: cui igitur Deus vult bonum, continuo ille vere efficitur bonus.

IV. Auxilium gratiæ Dei non æqualiter omnibus offertur. Nam Sapientiæ 4. de quodam dicitur, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animum eius.* quod certe Deus non præstat omnibus. Et apud Matthæum ait Christus; *Si in Tyro & Sidone hæc facta fuissent, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Et iterum, *Vobis datum est nosse mysterium regni DEI, cæteris autem non est datum,* Et Paulus ad Romanos, *Vnicuique Deus dimisit mensuram fidei.* Habemus exemplum in latrone cum Christo crucifixo, cui sine dubio maior gratia contigit, quam aliis sceleratis hominibus, & item Saulo persequenti Ecclesiam, quam aliis minus peruersis & improbis. Deinde cur infans optimi viri sæpe sine baptismo moritur, adulteri vero & incestuosi cum illo? Sap. 4. 11. Matth. 11. 21. Matth. 15. 11. Rom. 12. 3.

V. Auxilium tamen gratiæ sufficiens ad salutem nulli denegatur. Nam in Sapientia dicitur. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam: diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Et in Ezechiele; *Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat, conuertimini, cõuertemini, & quare moriemini?* Et Christus apud Matthæum, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* Et S. Ioannes de Christo, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* quod de lumine gratiæ exponit S. Chrysost. & Cyrillus. Et Paulus in 1. ad Timotheum. *Vult omnes saluos fieri, & ad* Sap. 11. 24. Ezech. 33. 11. Matth. 11. 28. Ioan. 1. 9. 1. Tim. 2. 4.

2.Petr.3. 9. *agnitionem veritatis venire.* Et S.Petrus in epistola 2. *Non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.*

Amb. Ser. 8. Vnde S. AMBROSIVS in Psalmum 118. in verba; *Misericordia Domini plena est terra. Sol,* inquit, *iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, vt si quis clausis fenestris radios solis excludat.*

Chr. hom. 7. Et CHRYSOST. in Ioannem, *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent? neque enim omnes Christum cognoscunt. Illuminat profecto quantum in ipso est. si qui autem sponte sua oculis conniuentibus ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed ex malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt.*

Cy.c.11. Pr.c.31. Idem habet Cyrillus lib. 1. in Ioannem. S. PROSPER lib. 2. de Vocatione gentium; *Elaboratum est,* ait, *quantum Dominus viuit, vt non solum in nouissimis diebus, sed etiam in cunctis retro seculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, quoniam siue manifeste, siue occulte ipse est, vt Apostolus ait, saluator omnium maxime fidelium.*

1.Tim.4. 10. Imo eodem lib. c. 23. contendit nec patuulis ad salutem vnquam auxilium deesse.

VI. Gratia Dei nõ tollit liberum arbitrium, sed perficit, quod probat S. AVGVSTINVS epistola 90. ex eo, quod *ipsum nostræ voluntatis arbitrium,* inquit, *vere fiat liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis.*

Ioan.8.36. 1. Cor.12. 3. B. PROSPER. contra Collatorem; *Ecclesiastica regula est prædicante Apostolo: Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu Sancto. Hac regula nulli hominum auferitur vo-*

luntas,

luntas, quia virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur, vt non sint, sed vt ex malis bonæ, & ex infidelibus sint fideles, & qui ex semetipsis erant tenebræ lux efficiãtur in Domino. Et S. BERNARDVS lib. de gratia & libero arbitrio: *Tolle,* inquit, *liberum arbitrium, & nõ est quod saluetur: tolle gratiã, nõ est vnde saluetur.*

VII. Nihilominus in actionibus liberi arbitrij salutaribus gratia semper primas partes tenet. *Sine me nihil,* ait Christus, *potestis facere.* Et Apostolus: *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Quæ verba ita exponit S. AVGVSTINVS libro de gratia & libero arbitrio: *Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volẽtibus cooperatur perficiens.* Et mox, *Vt velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volmus, vt faciamus, nobiscum operatur.* Quare nec vlla merita eam præcedunt, gratia enim non esset gratia, vt argumentatur Apostolus, si esset ex operibus. Vnde idem Augustinus in Psalmum 49. *Si gratia vocatur, gratis datur, si gratis datur, nulla tua merita præcesserunt, vt detur: nam si præcesserunt merita tua, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Si ergo dicis præcessisse merita tua, te vis laudari, non Deum, ideo non agnoscis Christum, qui venit cum gratia DEI.* Ioan. 15. 5. Philip. 2. 13. Aug. c. 17. Rom. 11. 6.

VIII. Nulla gratia siue sufficiens, siue efficax, cogit voluntatem ad consensum, sicut nec coegit voluntatem Pauli efficacissima licet gratia ad fidem vocati. Ratio est, quia Deus per gratiam suam trahit animum hominis ad consensum tantum imitando & alliciendo eam, demonstratis iis quæ congrua sunt ei qui trahitur, pro tali tempore & loco: quod exponit ipse similitudine ouis, quę allicitur cõspecto ramo viridi, & pueri, visis nucibus,

Ramum

A. tract. 26. *Ramum viridem*, inquit in Ioannem, *ostendis oui, & trahis illam, nuces puero demonstrantur & trahitur. Si ergo ista quæ inter delicias & voluptates terrenas reuelantur amantes trahunt, quoniam verum est: trahit sua quemq; voluptas: non trahit reuelatus Christus à Patre?*

Id. quæst. 2. Vnde libro primo ad Simplicianum ita scribit, *Igitur non volentis, neq; currentis, sed miserentis est DEI, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem.* Et infra, *Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.*

Act. 9. 6. Sic vocauit & Paulum quomodo sciebat ei congruere, vt vocãtem non respueret, & diceret, *Quid vis me facere? occurrente vtique tali viso*, ait ibidem Augustinus, *quo mens illa & voluntas refracta sæuitia retorqueretur & corrigeretur ad fidem.* Lege CHRYSOST. homil. 9. fusè probantẽ eũ esse voluntarie tractum.

Chrys. de laudibus. S. Pauli.

CAPVT V.

Media ad gratiam comparandam, fouendam & adaugendam idonea.

Heb. 11. 6. Rom. 1. 17. PRIMVM medium est Fides Catholica, *Accedentem enim ad Deum*, ait Apostolus, *oportet credere*; Et, *Sine fide impossibile est placere Deo*; Et, *Iustus ex fide viuit.* Vnde S. AVGVSTINVS libro de Spiritu & litera; *Per fidem impetratio gratiæ, per gratiam sanitas animæ.* Et S. GREGORIVS lib. 2. Moralium; *Si fides non prima in corde nostro gignitur, reliqua quæque bona esse non possunt.*

Aug. c. 30. Gr. c. 33.

Psal. 110. 10. Isa. 26. 18. II. Medium est Timor Domini. Nam vt Psaltes ait; *Timor Domini est initium sapientiæ.* & Isaias iuxta 70. *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis.* Vnde CASSIANVS lib. 4. institutionum.

Cass. c. 39.

num: *Principium nostræ salutis, eiusdémque custodia timor Domini est.* Et S. BERNARDVS in Cantica; *In veritate didici nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo qui semper est pauidus. Time ergo, cum amiseris gratiam: time cum abierit: time cum denuo reuertetur, & hoc est, semper pauidum esse.* Ber. ser. 55. Prou. 28. 14.

III. Est, Spes & fiducia. *Qui sperat enim in Domino,* ait Salomon, *sanabitur.* Et Rex Dauid, *Saluabit eos, quia sperauerunt in eo.* Et Apostolus, *Spe salui facti sumus.* Hinc AMBROSIVS libro de Pœnitentia; *Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam.* Prou. 28. 25. Psal. 36. 40. Rom. 8. 24. Ambr. lib. 1. c. 1.

IV. Dilectio, saltem inchoata. Nam de Magdalena ait Christus, *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et S. Ioannes epistola 1. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniã diligimus fratres.* Luc. 7. 47. 1. Ioan. 3. 14.

V. Pœnitentia, vel dolor de peccatis commissis. *Cum auerterit se impius ab impietate sua,* ait Deus apud Ezech. *ipse animam suam viuificabit.* Et Apostolus in altera ad Corinth. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Ezech. 18. 21. 2. Cor. 7. 10.

VI. Propositum percipiendi sacramenta ad salutem necessaria, vt baptismum, & pœnitentiam, vnde S. Petrus Actorum 2. *Pœnitentiam,* inquit, *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Nisi enim quis renatus fuerit,* ait Christus, *ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; Et, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Act. 2. 38. Ioan. 3. 5. Luc. 13. 3.

VII. Propositum nouæ vitæ, & obseruationis diuinorum mandatorum. Secundum illud Apostoli: *Renouamini Spiritu mentis vestræ, & induite* Eph. 4. 23.

nouum

nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. ATQVE hæc media 7. vsurpant fere Theologi pro dispositionibus præuiis ad Iustificationem cum Conc. Tridentino sessione 6. cap. 6. eædémque valent ad fouendam augēdámve gratiam vel iustificationem, sicut & omnia bona opera in gratia facta, vt diximus in titulo, OPERA bona, in VIRIDARIO.

VIII. Liberi arbitrij cum gratia cooperatio, quod medium quia generalius est, & latius se extendit, capitibus quibusdam peculiaribus separatim explanabimus.

DE LIBERI ARBITRII Cooperatione cum gratia Dei.

CAPVT I.

De Nomine & definitione Liberi Arbitrij.

QVOD ad nomen attinet, Auctor Hypognostici in S. Augustino vult nihil aliud Aug. li. 33. esse quàm electionem cum iudicio: itaque liberū appellari ratione electionis, arbitrium vero ratione iudicij. S. BERNARDVS in libro de gratia & libero arbitrio arbitratur dici de actu rationis, nempe iudicio, eo quod arbitrari idem sit quod iudicare, quilibet autem libere iudicat de actu suæ voluntatis. Alij rectius voluntatis actionem hac voce intelligunt. Sic enim loAmb. c. 3. quitur S. AMBROSIVS lib. 2. de Fide. *Operatur*
Aug. c. 2. *prout vult, id est, pro libero voluntatis arbitrio.* S. AVGVSTINVS libro de gratia & libero arbitrio. *Re-*

uelauit

uelauit nobis Deus per Scripturas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. S. PROSPER lib. 1. de Vocatione gentium, *Iudicium voluntatis*, inquit, *deprauatum est, non ablatum.* Idem docet S. THOMAS 1. part. quæst. 83. Neque mirum videri debet arbitrium tribui voluntati, quia electio est quasi vltimum iudicium voluntatis. Vnde & vulgo dicimus, in meo arbitrio, id est, potestate est hoc vel illud facere. Potius vero arbitrium dicitur quam iudicium, quia hoc interest inter iudices & arbitros, quod arbitri multo sint liberiores quam iudices. Iudices enim tenentur sequi leges. Arbitri vero sententiam ferunt, prout volunt.

Prosp. c. 3. S. Th. c. 3. ad 2. Bellarm. lib. 3. de gratia. c. 2.

QVOD vero ad definitionem attinet: Liberum arbitrium, iuxta doctrinam S. THOMÆ, est libera potestas hominis vnum præ alio eligendi, aut vnum & idem acceptādi, vel pro arbitrio respuendi. Quæ definitio consentit & diuinæ Scripturæ, & S. Patrum dictis. Nam Ecclesiasticus sic loquitur; *Deus reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi ignem & aquam: ad quod volueris porriges manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Et ORIGENES lib. 3. de principiis, dicit liberum arbitrium esse *facultatem discernendi bonum à malo, & eligendi quod probauerit.* S. GREGORIVS Nazianzenus in Apologetico; *Arbitrij libertas*, ait, *parem in vtramq; partem motum habet.* S. HILARIVS in Psalmum 2. *Vnicuique nostrum libertatem vitæ, sensumq; permisit, non necessitatem in alterutrum affigens.* S. OPTATVS lib. 7. in Parmenianū. *Homicida scelus potest facere, potest etiā nō facere, & cetera huiusmodi,*

Eccl. 15. 14. Orig. c. 1.

in

Aug.c.5. *in quibus liberum habetur arbitrium.* S. AVGVSTINVS lib.2. contra Faustum, *Nos sub fato stellarum nullam hominis genesin ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male viuitur propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* S. BERNARDVS libro ante citato: *Est ratio data voluntati, vt instruat illam, non vt destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei vllam imponeret, quo minus libere pro arbitrio sese volueret, siue in malum consentiens appetitui, siue in bonum, gratiam sequens.*

CAPVT II.

A qua libertate arbitrium voluntatis appelletur liberum.

Petr. dist. 25. S. BERNARDVS libro allegato, & PETRVS Lombardus lib. 2. Sententiarum triplicem distinguunt libertatem. Prima est naturæ, de qua

1.Cor.7. 37. Apostolus in 1.Ad Corinthios; *Non habens necessitatem, sed potestatẽ habens suæ voluntatis.* II. est gratiæ, de qua ad Romanos; *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.*

Rom.6.18. Rom.8.21. III. est gloriæ; de qua ibidem, *Tunc & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI.* Prima liberatur homo à necessitate, altera à peccato, tertia à miseria. Liberũ ergo dicitur arbitriũ nostrũ tãtũ à prima libertate.

Ar. c.4. & 5. HÆC vero Libertas naturæ bifariã diuidi potest iuxta doctrinam Philosophi lib.3. de Moribus, vt alia sit libertas à simplici coactione, alia à necessitate. A simplici coactione illa libera sunt, quæ licet necessario fiant, tamen voluntarie & lubenter fiunt, vt cum volumus esse felices: nemo enim vult esse miser. A necessitate vero libera sunt, quæ possumus pro arbitrio velle vel nolle, vt loqui & ambu-

bulare, vel non loqui & non ambulare. Hæretici ergo quidam hoc æuo docuerunt liberum arbitrium esse liberum tantum à simplici coactione: nos autem docemus, cum Scriptura & S. Patribus esse etiam liberum à necessitate, alioquin enim sequeretur etiã in infantibus, furiosis & somniantibus, immo & in bestiis esse liberum arbitrium; illæ enim sine vlla coactione spõte feruntur in pabulũ.

RVRSVS hæc libertas à necessitate etiamsi homini cum Deo & angelis sit communis, aliter tamen est in Deo, angelis & hominibus beatis, quam sit in homine adhuc mortali. Nam, vt docet S. THOMAS quæstione 24. de Veritate, non est de essentia liberi arbitrij posse nolle bonum & malum: aut posse nunc velle vnum, postea nolle: aut non posse eligere nisi consultatio præcedat, sed satis est, si quis habeat diuersarum rerum optionem, & electio fiat cum perfecto iudicio rationis. Nam primo posse velle bonum aut malum pertinet ad liberum arbitrium non simpliciter, sed vt est in natura creata: quæ quoniam ex nihilo facta est, deficere & peccare potest, vti & vtráque, nempe angelica in dæmonibus, & humana in primo parente, peccauit. Hæc ergo libertas, nec Deo, nec angelis & hominibus beatis, qui peccare amplius nequeunt, conuenit. Secundo, posse nunc velle aliquod bonum & postea nolle, non est liberi arbitrij simpliciter, sed liberi arbitrij naturæ creatæ, quæ vti ex nihilo facta est, ita & mutationi obnoxia est. Tertio nec pertinet ad liberum arbitrium simpliciter, quod consultatio præcedat electionem. Nam angeli, qui simul causam & effectum cognoscunt, non egent præuia consulta- Tho. art. 3.

tione, sed simul consilium capiunt, iudicant & eligunt. Multo minus autem consultatione indiget DEVS, per omnia immutabilis.

CAPVT III.

De Liberi arbitrij proprietatibus.

PRIMA Proprietas. Liberum arbitrium non est actio rationis vel voluntatis, sed ipsa voluntatis potentia vel facultas. Nam teste S. BERNARDO libro de gratia & libero arbitrio, est aliquid à natura homini insitum, quod nulla ratione tolli potest: non igitur est actio, quæ modo adest, modo abest, & non à natura inest, sed à nobis producitur. Deinde S. Patres, Optatus libro 7. contra Parmenianum, & Augustinus lib. 3. de Libero arbitrio cap. 1. 2. & 3. appellant voluntatem. Et GREGORIVS Nyssenus lib. 7. de Philosophia, & Damascenus libro 2. de fide cap. 25. docent liberum arbitrium esse potestatem eligendi, at electio est actio voluntatis, vt Apostolus quoque indicat in
1. Cor. 7. 37. priore ad Corinthios, cum ait; *Non habens necessitatem, sed potestatem habens voluntatis suæ*, id est, liberum arbitrium.

II. Proprietas. Voluntatis tamen electio pendet necessario à ratione. *Habet* enim, vt libro citato affirmat S. BERNARDVS, *voluntas, quocúnque se voluerit semper comitem rationem, non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absq; ratione moueatur.* Deinde S. AVGVSTIN. lib. 8. de Trinitate scribit, neminem posse velle vel amare rem incognitam, igitur neq; eligere. Vnde Aristoteles in tertio de Moribus c. 2. tradit electionem esse appetitū intellectiuum.
Aug. c. 4.

Deinde

Deinde experientia docet, si roges aliquē, cur hoc vel illud agat? eum respondere, quia iudicet ita esse faciendum. Imo & ille, qui respondit, *sit pro ratione voluntas*, non excluſit iudicium ab electione, ſed iudicauit bonum ſibi eſſe contra rationem agere.

III. Proprietas. Quamuis voluntas ſola ſit formaliter libera, radix tamen libertatis eius eſt in ratione. Voluntas ſiquidem ideo eſt libera, quia eſt appetitus rationis, ſicut contra appetitus in beſtiis ideo non eſt liber, quia non eſt rationalis; cauſa igitur libertatis eſt ipſa ratio.

IV. Proprietas. Liberum arbitrium, non eſt potentia paſſiua, ſed ſimpliciter, & abſolute actiua. Nam S. Patres, maxime autem Nyſſenus, Auguſtinus, & Damaſcenus locis proxime allegatis aiunt in poteſtate voluntatis eſſe velle & nolle, agere & non agere. Deinde actio voluntatis eſt actio immanens & vitalis, produci igitur debet ab eodem principio, in quo tanquam ſubiecto recipitur: recipitur autē à voluntate, igitur & ab ea producitur.

V. Proprietas. Per liberum arbitrium expetimus tantum bona, non autem mala, niſi per accidens, quatenus ſcilicet mala nolumus: nolumus enim ea, quia bono, quod per ſe volumus, ſunt contraria. Ita docent PATRES, vt Dionyſius libro de Diuinis nominibus, Clemens Alexandrinus primo Stromaton, Auguſtinus lib. 2. Confeſſionum, Damaſcenus lib. 2. de Fide. Atque etiam Philoſophi Ethnici, vt Ariſtoteles in primo, de moribus, & Seneca libro de Beneficiis quarto. Et ratio eſt, quia obiectum appetitus non poteſt eſſe, niſi id quod eſt expetibile: at bonum eſt quod omnia appetunt teſte Ariſtotele loco

D.c.4. A.c.6. D.c.22. A.c.1. S.c.7.

citato, bonum igitur est proprie obiectum voluntatis. Dices dictum esse sapientis ; *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi.* Respondeo Ecclesiasticum ibi tantum docere, Bonum posse repudiari, quia potest apprehendi sub ratione mali, & malum posse eligi, quia potest apprehendi sub ratione boni. Obiectū enim voluntatis est bonum verum vel apparens. Eodem modo exponendum est, quod S. AVGVST. in lib. 2. Confessionum ait, se in furto non amasse nisi peccatum; nam vt capite nono eiusdem libri declarat, amabat in eo peccatum sub ratione boni delectabilis: gaudebat enim se fallere vicinum.

Ecc.15.18.

Aug. c.4.

VI. Liberum arbitrium non est finis, sed mediorum ad finem, maxime si præcipuum eius actum, Electionem, spectemus. Nam Philosophus in tertio Ethicorum non semel repetit, electionem & consultationem non esse finis, sed mediorum tantum ad finem. *Nemo enim*, ait, *consultat, an debeat esse felix, nec eligit felicitatem, sed consultat de medijs, & ex ijs illa eligit, quæ optima videntur ad felicitatem assequendam.* Si autem spectemus, quæ aliquo modo pertinent ad liberum arbitrium, etiam finis eò referri. Nam DAMASCENVS lib. 2. de Fide scribit hominis esse non solum eligere libere, sed etiam libere velle & expetere, nempe finem. Deinde finis, maxime cum est subordinatus, induit sæpe rationem medij. Vltimus quoque finis licet rationem medij subire non possit, potest tamen appetitus eius esse medium ad eundem finem assequendum. Certe ipsa dilectio Dei medium est ad assequendam beatitudinem aptissimum.

Arist. c. 2. & 3.

Dam.c.22.

CAPVT

CAPVT IV.

De Liberi arbitrij actionibus theoremata.

QVo rectius intelligatur, quemadmodum Liberum arbitrium cooperetur diuinæ gratiæ: Notandum est varias posse eius esse actiones. Nam aliæ sunt naturales, vt velle, eligere, ambulare, sedere, scribere, colere agros. Aliæ sunt morales, quibus actiones omnium virtutum & vitiorum continentur, vt eleemosynas dare, ieiunare & similia, & contra furari, fornicari & cætera eiusdem generis. Aliæ denique diuinæ & supernaturales, quæ proprie ad salutem æternam obtinendam pertinent, vt credere, sperare, diligere, orare, sacrificare, &c. Deinde nomine Gratiæ possumus intelligere, vel generale auxilium Dei, quo Deus operatur cum omnibus creaturis, vel speciale auxilium Dei, quo homo iuuatur in actionibus moralibus vel supernaturalibus. Ponam ergo, vt res clarior sit, aliquot theoremata.

PRIMVM Theorema, Liberum arbitrium, quoad actiones naturales, politicas & mechanicas indiget auxilio Dei generali. Id enim testatur primo Spiritus Sanctus in sacris literis. Ait enim Apostolus; *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* In Deo sumus, quia ipse fecit nos, & non ipsi nos. In Deo viuimus, quia ipse nos portat verbo virtutis suæ. In Deo mouemur, quia sine ipso nihil possumus facere. Vox enim IN idem valet hic quod PER, vt alibi. *In DEO meo transgrediar murum. Omnia possum in eo, qui me confortat.* Deinde item Apostolus in priore ad Corinthios ait; *Deum operari omnia in omnibus*, & ante eum Isaias; Act. 17 28. Psalm. 17. 30. Philip. 4. 13. 1 Cor. 12. 6. Isa. 26. 12.

Omnia opera nostra operatus es Domine, & Christus
Ioan.5.17. ipse apud Ioannem; *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Quibus testimoniis refellerunt S.Patres Pelagianos negantes generale illud Dei auxi-
Hieron.ad Ctesiph. lium. Id enim eos sensisse docet Hieronymus epistola ad Ctesiphontem, & libro 1.contra Pelagianos, eaque de causa vocat impios & sacrilegos. *Audite*, inquit, *sacrilegum, si voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, semper mihi auxilium DEI necessarium erit? Audi ingrate, imo sacri-*
1. Cor.10. 31. *lege Apostolum prædicantem; Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in nomine Domini*
Chr.hom. 5. *facite.* S. CHRYSOSTOM. in Genesin; *Etsi homines terram operentur, & iumentorum auxilio fruantur, & magna sit cœli temperies, & omnia alia concurrant, nisi nutus Domini accedat, omnia alia frustra fierent, & nihil proficeret omnis labor & desudatio, nisi manus Domini superne adiuuaret, & perfectionem his quæ*
Aug. q.2. *fiunt tribueret.* S. AVGVSTINVS epistola 146. *Quomodo*, inquit, *negare poterimus Deum etiam ope-*
Ioan.5.17. *rari nunc cuncta quæ fiunt, cum Dominus dicat; Pater meus vsque modo operatur.* Idem probat solidis ra-
S.Th.c.89. tionibus S. Thomas libro tertio contra gentiles. DICES illo auxilio generali tolli, vel certe imminui libertatem arbitrij. Respondeo minime tolli, sed potius perfici & iuuari, ideo enim Deus homini cooperatur, vt iuuet illum in suis actionibus, vnde & vocatur eius cooperatio auxilium generale. Deinde Deus concurrit cum singulis creaturis suauiter & accommodate ad naturas earum, vt cum liberis libere, cum necessario agentibus quasi necessario. Sicut enim Deus hominem condidit, ita hoc suo concursu voluit hominem in sua natura

tura actionibúsque suis, siue liberis siue necessariis, tueri & conseruare. Nam si, vt loquuntur Theologi, vel ad punctum temporis Deus se à concursu cum creaturis subtraheret, in nihilum omnes recíderent.

II. Liberum arbitrium, quoad actiones morales, quæ consistunt in obseruatione præceptorum diuinorum, aliquando non indiget Dei gratia vel auxilio speciali, vt secundum substantiam operis seruentur. Ac primo quidem, si vnum vel alterum tantum seruandum occurrat. Nam præcepta Decalogi pleráque omnia sunt naturalia, ac proinde naturæ humanæ consentanea. Vnde Apostolus in epistola ad Romanos de gentibus secundum legem naturæ viuentibus scripsit; *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Deinde videtur, quod etiam omnia saltem ad breue tempus possint sine illo peculiari auxilio seruari. Potest siquidem fieri, vt aliquando nullum occurrat præceptum affirmatiuum, & nulla adsit tentatio prouocans ad violanda præcepta negatiua. Dixi (*secundum substantiam operis*) & non secundum modum, quia vt obseruatio præceptorum fiat ex charitate, & sit apud DEVM meritoria, opus habet gratia speciali. Rom. 2. 1.

III. A solo libero arbitrio non possunt omnia præcepta moralia secundum substantiam operis præstari, quia Scriptura passim obseruationem legis attribuit gratiæ DEI: *Quod impossibile*, ait Apostolus ad Romanos, *erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum: vt iustificatio legis impleretur in nobis:* Quibus verbis S. Paulus & Rom. 8. 3.

causam patefacit, cur lex sine præsidio gratiæ nunc præstari non possit, nempe quia per lapsum Adæ liberum arbitrium est debilitatum & infirmius factum. Eadem de causa idem vocat præcepta Dei moralia *legem peccati & mortis*, ac *litteram occidentem*, quia demonstrando quid sit faciendum, & non præbendo vires voluntati infirmæ, præuaricatorem hominem constituit, reúmq; peccati & mortis. Deinde integra obseruatio legis, est signum perfectæ caritatis DEI. Nam Ioannis 14. ait Christus: *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Et S. Ioannes in 1. epistola: *Qui seruat verba eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est*, at charitas non potest obtineri solis liberi arbitrij viribus, sed infunditur à DEO per Spiritum sanctum, vt dicitur in Epistola ad Romanos. Vnde S. AVGVSTIN. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione; *Iustitiæ*, inquit, *præcepta omni ex parte implere non possumus, nisi adiuuemur à DEO.*

Rom. 8. 2. 2. Cor. 3. 6. Ioan. 14. 21. 1. Ioan. 2. 5. Rom. 5. 5. Aug. c. 5.

IV. Nec solum liberum arbitrium sufficit ad quasuis tentationes vincendas. Nam Sapiens ait: *Nemo potest esse continens nisi Deus det*, at facile est continere, quando nulla tentatio ad peccandum inuitat. Et verba illa B. Pauli: *Fidelis DEVS, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, apertè indicant tentationes posse crescere supra vires nostras, si DEVS permittat. Deinde in oratione Dominica precamur, non induci in tentationem. Christus quoque suos speciatim monuit: *Orate, ne intretis in tentationem.* Psalmi item victoriam in tentatione Deo tribuunt; *In te eripiar à tentatione*; Et, *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Vnde S. CYPRIAN. de oratione Dominica: *Quando rogamus, ne in*

Sap. 8. 21. 1. Cor. 10. 13. Matt. 6. 13. Matth. 26. 41. Psalm. 17. 30. Psal. 26. 9. Cyp. ser. 7.

ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis, ne quis se insolenter extollat. S. AVGVSTINVS in Psalmum 43. *Quis est tam fortis, vt nequaquam in tentationem moueatur, nisi Dominus ei adiutor assistat?* Et HIERON. lib. 2. in Pelagianos, citãs verba Christi, *orate ne intretis in tentationem: Debuisset*, inquit, *dicere iuxta vos, surgite, resistite. Liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa à Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio.* S. AVGVSTINVS libro de perfectione iustitiæ; *Quisquis*, ait, *negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: (negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium remouendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito.*

Matth. 26. 41.

Aug. in fine.

V. Si nulla tentatio vrgeat, potest homo etiam sine fide aliquod bonum morale præstare, idque vi solius liberi arbitrij, saltem aliquando. Vbi nota maius quiddam esse bonũ morale præstare, quam seruare præceptum secundum substantiam operis: hoc enim seruari potest etiam cum peccato, vt si amico quis restituat depositum, quo spolietur eo à fure, illud verò non potest cum peccato præstari. Dictum autem theorema inde probatur, quod Scripturæ doceant Deum remunerari bona quædam opera gentilium, vt in Exodo Ægyptiarum obstetricum, quæ seruarant filios Hebræorum, quos rex Pharao iusserat necari. Deinde Daniel hortatus est Nabuchodonozorem regem, vt eleemosynis peccata, hoc est, pœnam temporalem, redimeret: quod certe eleemosynæ non poterant, si boni operis rationem non habuissent.

Exod. 1. 17.

Dan. 4. 24.

Aug. c.15. Et S. AVGVSTINVS libro quinto de ciuitate Dei scribit, Deum Romanis tam amplum dedis. se imperium, vt in hac vita remuneraret eorum
Hieron.in c.1. virtutes. Et S. HIERONYMVS in epistolam ad Galatas: *Ex quo*, inquit, *perspicuum sit natura omnibus inesse Dei notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & iustitiæ, reliquarúmque virtutum. Vnde multi absque fide & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, vt parentibus obsequantur, vt inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant.* At quod fit sanctè, certe non cum peccato fit, ac proinde bona aliqua moralia ab Ethnicis fiunt immu-
Gr. hom. 27. nia à peccato. Et S. GREGORIVS in Euangelia: *Sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis: quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non cõtradicunt. sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ.*

VI. Liberum arbitrium in actionibus piis & salutaribus exercendis semper eget auxilio gratiæ
Cap.3. Dei. Hoc theorema probatum est in verbo; *De gratiæ diuinæ Statu*, cũ de necessitate gratiæ actum est. Vnde sequitur, quod nec possit sine auxilio speciali, se ad gratiam præparare. Nam dispositio ad gratiam aliquid est ad salutem æternam pertinés, sed solis naturæ viribus instructi non possumus tale aliquid præstare, vt ibi probatum est. Deinde Scriptura sacra docet conuersionem ad Deum es-
Psal. 84.5. Thren. 5. 21. se opus Dei: *Conuerte nos*, inquit Psaltes, *Deus salutaris noster*. Et in Threnis: *Conuerte nos Domine, & conuertemur*. At conuersio est dispositio. Vt enim qui auersus est à sole, non incipit conuerti ad aspi-

ciendum

ciendum ſolem, ſic auerſus à Deo non incipit diſponi ad gratiam Dei, niſi cum ad eum incipit reuerti. Adhæc homo peccator in Scripturis confertur terræ humore deſtitutæ, iuxta illud: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Tum luto figuli apud Iſaiam & Apoſtolum. Et homini mortuo: *Cum eſſetis mortui in peccatis*, ait Paulus, at nec lutum ad vas, nec mortuus ad vitã ſe diſponit. Et S. AVGVSTINVS ad Bonifacium: *Si ſine Dei gratia*, inquit, *per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui tanquã ex debito veniat adiutorium, ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed merito noſtro dabitur.* Et in Concil. Arauſican. can. 3. dicitur, neminem ſine gratia poſſe inuocare gratiam. Et can. 4. per gratiam fieri non ſolum, vt purgemur, ſed etiam vt purgari velimus. Et canone 14. nullum miſerum de quantacumque miſeria liberari, niſi gratia præuentum. Et canone vltim. *Hoc*, inquit, *ſalubriter profitemur, quod in omni bono opere nos non incipimus.* Dices commune dictum eſt, facienti quod in ſe eſt, Deum non denegare gratiam. Reſpondeo cum S. Thoma tunc non denegari gratiam, cum homo facit, quod in ſe eſt, cooperando gratiæ Dei, à qua mouetur, cuiuſmodi fuit Cornelius teſte S. Auguſtino lib. de prædeſtinatione Sanctorum: quanquam ille ante baptiſmũ videtur fuiſſe fidelis, quia vnum Deum agnoſcebat & religioſè colebat, vt liquet ex Actis Apoſtolicis.

Pſal. 142. 6. Iſa. 45. 9. Rom. 9. 20. Col. 2. 13. Aug. lib. 2. c. 8. Th. 12. q. 109. a. 6. Aug. c. 7. Act. 10. 2.

CAPVT V.

Quod neceſſitas gratiæ in cooperatione liberi arbitrij nihil diminuat de eiuſdem libertate.

ETSI verò homo nullas actiones pias & ſalutares edere poſſit ſine auxilio ſpeciali diuinę gratiæ,

tię, illius tamen accessio nō labefactat eius in operando libertatem, sed potius perficit. Quod luculenter euincunt, primo diuinæ Scripturæ testimonia, deinde & priscorum Patrum. Scripturæ quidē. Nam illæ in operibus pietatis homines vocant συνεργούς id est, cooperatores & coadiutores Dei, operarios, rigatores, plantatores. Sic Christus apud Matthæum: *Voca*, inquit, *operarios & redde illis mercedem.* Et Paulus ad Corinth. *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit*; Et: *Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adiutores.* Si adiutores vel cooperatores sumus, ergo cum Deo aliquid agimus: & si noster labor est, ergo non tantum Dei. 2. DEVS imperat & suadet nobis opera pietatis, vt in Isaia: *Lauamini, mundi estote.* In Ioele: *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* In Ioanne: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* In Apostolo: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini. Deus enim est qui operatur in vobis.* Quid enim hoc est aliud, quam cooperamini Deo salutem in vobis operanti? 3. Scripturæ docent nos iuuari à Deo in operibus pietatis: *Adiutor meus esto*, ait pius Rex, *ne derelinquas me.* Et: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Et Apostolus ad Romanos: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Denique docent vocationem Dei ab homine posse recipi vel respui, quod certe sine arbitrij libertate fieri nequit. Nam Christus apud Matthæum: *Volui*, inquit, *congregare filios tuos, & noluisti* Et apud Ioannem: *Vultis & vos abire?* Et Stephanus in Actis: *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Et Deus in Apocalypsi: *Ecce sto ad*

Matth. 20. 8.
1. Cor. 3. 6.
Isai. 1. 16.
Ioel. 2. 12.
Io. 6. 27.
Phil. 2. 12.
Psal. 26. 9.
Psal. 69. 1.
Rom. 8. 26.
Matth. 23. 37.
Act. 7. 51.
Apoc. 3. 20.

ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum.

HAVD secus docent vetusti Patres. S. IGNATIVS ad Magnesianos: *Si quis*, inquit, *pietati studet, Dei homo est: si impie agat, diaboli est, non id factus per naturam, sed animi arbitrium.* S. IRENÆVS adversus hæreses: *Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum & suæ potestatis arbitrium homini seruauit Dominus, dicens: secundum fidem tuam fiat tibi.* S. CYPRIANVS libro 3. ad Quirinum caput 52. sic inscripsit: *Credendi & non credendi libertatem in arbitrio positam.* HILARIVS libro 1. de Trinitate: *Esse filios Dei, non necessitatem esse voluit, sed potestatem.* S. AMBROSIVS in Lucam: *vides, quia vbique Domini virtus studiis cooperatur humanis.* S. CHRYSOSTOMVS in Genesin: *Necessitatem non imponit Deus, sed congruis remediis appositis totum in ægroti sententia iacere permittit.* S. AVGVST. epist. 89. *Liberum arbitrium non ideo tollitur, quia iuuatur, sed ideo iuuatur, quia non tollitur.* Et lib. de Spiritu & litera, c. 34. *Consentire vocationi aut non consentire propriæ voluntatis est.* Et lib. 1. ad Simplicianum: *Vt velimus & suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo.* S. PROSPER acerrimus Augustini defensor libro 2. de vocatione gentium: *Multis* ait, *qui iam iudicio rationis vtuntur, ideo liberum est discedere, vt non discessisse sit præmium, & vt quod non potest, nisi cooperante spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Denique S. BERNARDVS de gratia & libero arbitrio: *Sic gratia*, inquit, *cum libero arbitrio cooperatur, vt tantum illud in primo præueniat, in ceteris comitetur: ad hoc vtique præueniens vt iam sibi deinceps*

Ir. lib. 4. c. 72. Matt. 8. 13. Ambr. lib. 2. c. 12. Chr. hom. 19. Aug. q. 2. Id. q. 2. Pr. c. 12.

ceps cooperetur. Ita tamen, quod à sola gratia cæptum est, pariter ab vtroque perficitur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt.

RATIONEM quoque ipsam si consulas, non aliud extorquebis, quam nulla ratione in actionibus pietatis posse excludi arbitrij libertatem. 1. Quia inde sequeretur nulla neque laude, neque remuneratione dignos, qui pietati operam darent, orarent, eleemosynas largirentur, atrocissima quæque pro Christi fide tolerarent. 2. nullum fore locum præceptis, consiliis, monitis, correptionibus, exemplis, quoniam quod homines agunt, necesse sit eos agere. Postremo, neque derelinquere eos qui imperiis non parent, non volunt se ad meliorem frugem post multa monita recipere, nihil denique boni agunt, quæ omnia sunt absurda.

CAPVT VI.

De cooperationis nostræ necessitate & vtilitate.

IAM verò etsi ex dictis, & aliis multis titulis colligi possit, quam necessaria atque vtilis sit nostra cum diuina gratia aliisque cœlestibus donis cooperatio, tamẽ breuiter vtrumque hic perstringemus. Necessitatem eius demonstrare possumus ex eo, quod DEVS in sacrosancto Verbo suo, tam vèteri quam nouo eam passim præcipiat, nempe vbicumque præcipit vt conuertamur, vt pœnitentiam agamus, mandata Dei præstemus, credamus, sperемus, diligamus, iustè, piè & sobriè viuamus, sacramenta suscipiamus, Deo & Magistratibus pareamus. Vbi mandat Apostolus, ne in vacuum gratiam

2. Cor. 6. 1.

gratiam Dei recipiamus, vt cum timore & tremore salutem, quam Deus operatur in nobis, operemur, vt ne talentum à Deo acceptum vel sudario inuoluamus, vel in terram defodiamus. Constat enim ad hæc omnia & singula exequenda nos opus habere diuinæ gratiæ auxilio. Deinde liquet eadem necessitas ex eo, quod Verbum Dei grauiter reprehendit eos qui diuinæ vocationi, inspirationi, mandatis, consiliis, monitis, increpationibus, & castigationibus non sunt cooperati. Vnde in Prouerbiis apud Salomonem ita Deus loquitur: *Conuertemini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum. Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo.* Et Ieremias ait: *Dicit Dominus, & locutus sum ad vos mane consurgens & loquens, & non audistis: & vocaui vos, & non respondistis. Et proiciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros.* Christus quoque apud Matthæum: *Væ tibi Corosain*, inquit, *væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Et tu Capharnaum, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem*, hoc est, Si Tyrij & Sodomitæ tantam gratiam à Deo accepissent, quantam Corosaitæ & Capharnaitæ, ei cooperati fuissent & salute non excidissent. Perierunt itaque Corosaitæ & Capharnaitæ, quia tantæ gratiæ miraculorum apud ipsos factorum non sunt cooperati. Certe S. CHRYSOSTOMVS in Matthæum agēs de negatione Petri & proditione Iudæ lapsū

Phil. 2. 12. Luc. 19. 20. Prou. 1. 23. Ier. 7. 13. Matth. 11. 21. Chr. hom. 83.

Petri

Petri tribuit superbiæ, Iudæ vero torpori, quod non sit magnitudini gratiæ à Deo acceptæ cooperatus: *Magnum profecto*, inquit, *dogma hinc discimus, quia videlicet nullo modo hominis voluntas sufficit, nisi auxilio superiori roboretur. Et quia nihil lucrari poterimus superiori patrocinio, si voluntas nostra repugnat: quorum alterum Petrus, alterum Iudas confirmat. Hic enim etsi præsidium Christi largum habuerit, tamen quoniam noluit attendere, nullam inde vtilitatem consecutus est. Ille verò, etsi bene animatus fuerat, diuino tamen subtracto auxilio stare non potuit. Quas ob res vehementer rogo atque obsecro, nec velitis ita cuncta Deo attribuere, vt oscitandum, dormiendúmque vobis putetis: nec rursus si vigilatis, laboribus rem vestris aliquam effici arbitremini. Nam nec desides atque resupinos iacere nos Deus vult, ac ideo nõnihil à nobis petit: nec arrogantia corrumpi, ac ideo totum nobis non commisit. Quibus rationibus vorticem quoque Apostolorum labi permisit, humiliorem ipsum faciendo, & ad maiorem profecto charitatem inducendo.*

DENIQVE & alij Patres eandem necessitatem confirmant. CLEMENS Alexandrinus quidem, quia sublata libera cooperatione nostra, omnis virtus, vitiúmque nomen suum, laudem vel vituperationem amittant. In primo Stromatum verba eius sunt: *Sed nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia iusta sunt, si anima non habeat liberam potestatem & appetendi & aggrediendi.* Eodem vergit, quod S. AVGVSTINVS perhibet neminem peccaturum, si ea tollatur. Neminem enim peccare in eo, quod necessitate facit, affirmat in libro de vera religione tam esse certum omnibus, *vt nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissen-*

Aug. c. 14.

dissentiat. Et in libro de duabus animabus, scribit: *à pastoribus cantari in montibus, à Poëtis in theatris, ab indoctis in circulis, à doctis in Bibliothecis, à Magistris in scholis, à Pontificibus in templis, à genere humano in orbe terrarum.* Et quod B. PROSPER libro primo de vocatione gentium: *Si tollitur voluntas, vbi ipsa est verarum origo virtutum? si tollitur gratia, vbi ipsa est bonorum causa meritorum?* Et in epistola ad Demetriadem: *Quia manifestissimè & Prophetica & Euangelica & Apostolica doctrina nec superbos nos vult esse, nec desides: cooperatores nos esse oportet gratiæ DEI, vt illam excitantem, iuuantem, locupletantem, & quotidie prouehentem, vigilanter & sobriè subsequamur; nunquam cessantes ab actione gratiarum: quia inter secunda vitæ istius & aduersa, quibus gemina semper tentatione pulsamur, si proficimus, inde alimur: si stamus, inde subsistemus: si recidimus, inde reparamur.* Ad eundem scopum tendit illud B. GREGORII Nazianzeni in primo Apologetic. *Singularis*, inquiens, *& eximia Dei bonitatis argumentum est, facere vt nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, nec natura nobis inseratur, sed voluntate, animiq; proposito excolatur, arbitriyq; libertate parem in vtramque partem motum habente.* Sed sit satis de Necessitate. Id.c.11. P.cap.1.

VENIAMVS ad vtilitatem huius liberæ cooperationis. 1. Vtilitas est, quod valeat ad testificandam fidei in homine veritatem, diuinæque gratiæ præsentiam. Vnde B. Iacobus Apostolus: *Tu*, inquit, *fidem habes & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Et infra: *Quis sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione* Iac.2.18. Ib.c.3.13

operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Et B. Ioannes in 1 epistola: *In hoc*, ait, *cognouimus charitatem DEI, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas DEI manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus.* Opera ergo valent ad testandam præsentiam veræ charitatis, quã diximus eãdem re esse cum gratia. Immò Christus apud Ioannem docuit ex obseruatione mandatorum velut Symbolo cognosci, quis diligat ipsum, & à se diligatur: *Si diligitis me, mandata mea seruate*; Et, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Deinde ex operib. suis æstimari, num ipse sit in Patre: *Non creditis*, inquiens, *quia ego in Patre & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite.*

1. Ioan. 3. 16.
Ioan. 14. 15.
Ioan. 15. 14
Ioan. 14. 11.

II. VTILITAS, quod valeat ad perficiendam vel augendam iustificationem, vt ostendit exemplum Abrahæ à S. Iacobo propositum in hæc verba: *Abraham Pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Deinde exemplum Rahab, de qua mox subiicit: *Similiter & Raab meretrix, nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuncios & alia via emittens?* Loquitur autem S. IACOBVS de iustificatione secunda, qua Abraham auxit, vel consummauit & perfecit iustitiam suam. Nam multo ante immolationem

Iac. 2. 21.

nem filij, per fidem nactus erat primam iustificationem, iam enim exierat de terra & cognatione sua, iam ediderat Saram nonagenariam parituram, iam colloquia cum Deo habuerat. D. PAVLVS quoque non semel docuit cooperatione nostra accessum fieri ad iustitiam, nam in altera epistola ad Corinthios agens de fructu eleemosynæ: *Multiplicabit*, inquit Dominus, *semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Et ad Romanos: *Sicut*, ait, *exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, sic exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* hoc est, maiorem iustitiam vel sanctitatem. 2. Cor. 9. 10. Rom. 6. 10.

III. VTILITAS, quod propriè valeat ad promerendam vitam æternam: nam vt docent Theologi, opera nostra non sunt meritoria nisi sint voluntaria & libera, quod & Scriptura diuina indicauit. Nam Apostolus in 1. epist. ad Corinth. agens de functione prædicationis: *Si volens*, ait, *hoc ago, mercedem habeo, si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.* Et in posteriore: *Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. hilarem enim datorẽ diligit Deus.* Consentiunt & Patres. S. IVSTINVS apolog. 1. *Neque enim*, inquit, *quidquam horum laude dignum esset, nisi illi (homines) vtramque in partem conuertere & quasi flectere se possent.* S. IRENÆVS libro 4. *Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud.* TERTVLL. in Marcionem: *Nec boni nec mali merces iure penderetur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.* S. HIERON. in Iouinianum: 1. Cor. 9. 17. 2 Cor. 9. 7. Iren. c. 71. Tertul. l. 2. Hiero. l. 2.

Liberi arbitrij nos condidit DEVS, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioqui vbi necessitas, nec corona, nec damnatio est. S. BERNARD. in Cantica: *Vbi non est libertas, nec meritum, propterea quæ sunt carentia ratione animalia nihil meretur, quia sicut deliberatione, ita libertate carent.*

B. serm. 81.

IV. VTILITAS est, quod valeat ad ædificationem aliorũ, & gloriæ diuinæ amplificationem. Vnde Christus ad Apostolos: *Sic luceat*, inquit, *lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrũ qui in cœlis est.* Et S. PAVLVS ad Timoth. *Exemplum esto fidelium in verbo, & conuersatione, in charitate, in fide, in castitate, vt profectus tuus manifestus sit omnibus.* Et S. PETRVS priori epist. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.*

Matth. 5. 16.

1. Timot. 4. 12.

1. Petr. 2. 12.

V. VTILITAS, quod hæc cooperatio, præuia duceque diuina gratia, quæ semper præsto est, sit fons & radix perueniendi ad maximã vitæ sanctitatem, modo absit ignauia, vti S. CHRYSOST. crebro conatur ostendere; nec enim affirmare dubitat nos ad fastigium virtutũ Patriarchæ Abrahami in veteri, & Apostoli Pauli in nouo testaméto posse cõscendere, si pari cum illis studio & conatu gratiæ diuinæ cooperemur. De Abrahamo habes initio homil. 49. in Genesin. De S. Paulo, in homiliis de laudib. S. Pauli, maxime homil. 2. 6. 7. & 9.

MEDIA pro hac virtute sumi possunt ex titulo *Operum bonorum, virtutis, & singularum virtutum in* VIRIDARIO.

VIDE de Statu Naturæ & Gloriæ, Innocẽtiæ.

DE

DE INFANTIÆ STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Infantiæ intelligamus?

INFANTIÆ nomine intelligimus primum ætatis humanæ gradum, quales alibi ex sententia S. Patrum assignauimus septem. Gentiles quidam Scriptores ab ætatis humanæ gradibus Infantiam quidem, tamquam rationis impotem excluserunt, sed immerito, vt liquidum faciemus ex sequentibus. Sunt autem duplices INFANTES, alij vtero materno adhuc inclusi, alij extra vterum maternum iam in lucem editi. Etsi verò in lucem editi tantum in numero hominum censendi videantur, de vtrisque tamen necessario Christiano homini agendum est, quia vtrique sunt communis hominum salutis, vel condemnationis capaces. In Sacris etenim litteris varia de infantibus in vtero adhuc existentibus legimus. Et primo quidem de Esau & Iacob; nam cum à Deo exauditus Isaac pater ex sterili Rebecca diuinitus eos genuisset, *collidebantur*, ait Scriptura, *in vtero eius paruuli, quæ ait: Si sic mi futurum erat, quid necesse fuit concipere, perrexitq; vt consuleret Dominum. Qui respondens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidẽtur, & maior seruiet minori* Quod ingens mysterium postea exposuit in epistola ad Romanos Paulus. Deinde ipse Paulus in epistola ad Galatas fatetur se à Domino segregatũ *ex vtero matris suæ, & vocatum per gratiam suam, vt reuelaret*

Tit. de Adolescẽtia.

Gen. 25. 21.

Rom. 9. 11.

Gal. 2. 15.

Hier. ep. 15. Ierem. 1. 5. *filium suum & euangelizaret illum in gentibus.* Imò Dominus ipse ad Ieremiam Prophetã dixit: *Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & in Prophetam gentibus dedi te.* Idem Angelus annunciauit Zachariæ de filio Ioanne Baptista nascituro apud Lucam, & de Christo ipso: *Postquam,* inquit Lucas, *consummati dies octo vt circumcideretur puer, vocatum est nomẽ eius IESVS, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.* Vnde intelligimus DEVM O. M. etiam infãtum maximam rationem habuisse, antequam vel in vtero formarentur vel concipierentur. Nullo modo ergo negligenda eorum ratio ab hominibus fidelibus, verum Deum agnoscentibus, & cum Patre fidelium Abraham, sequentibus.

Luc. 1. 11. Luc. 2. 21. Gen. 17. 2.

CAPVT II.

De Præstantia Status Infantiæ.

PRÆSTANTIA infantilis Status ex nonnullis capitibus in diuina Scriptura comprehensis facile colligi potest. Primo ex gemino facto Domini DEI, vel diuinæ prouidentiæ. Primum factum est de Moyse, quem cum electurus esset in summum sui populi Ducem, eius infantiam mirabiliter illustrari voluit; vt nimirum destinatus cum aliis infantibus ad necem, à filia Pharaonis regis Ægypti ad crepidinem fluuij in papyrione infantulus inueniretur, à propria matre aleretur, & à Regina in filij tãdem locum adoptaretur, vt narratur initio Exodi. Alterum factum de Samsone Thãnathæo, quẽ cum Deus statuisset eligere in

Exod. 2. 1. Exod. 1. 5.

in populi Israëlitici liberatorem & vindicem, eius infantiam sic patefecit, vt commemoratur in libro Iudicum. Matri eius sterili apparuit angelus Domini, dicens: *Concipies & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus DEI ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israhel de manu Philistinorum.* Et multo post: *Peperit itaque filium, & vocauit nomen eius Samson, creuitque puer, & benedixit ei Dominus, cœpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa & Esthaol.* Deinde idem Dominus Deus per nobilissimum ISAIAM Prophetam publicans aduentum venturi MESSIÆ, infantiæ eius natales maximè celebrare voluit, decantans: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitãtibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis, PARVVLVS enim natus est nobis & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, DEVS, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.* Adhæc aduentu iam imminente per Angelum Gabrielẽ, dixit beatiss. Virgini MARIÆ matri Dei: *Ecce concipies in vtero, & vocabis nomen eius Iesum.* Quę tandem concepit infantulum, Spiritu sancto superueniente, & virtute altissimi obumbrante, vt per Angelũ prædixerat, id est, tota q. Trinitate de cœlo descendente & operante conceptionem filij DEI. Vbi vero natus fuit Christus infans, primo ab Angelo Domini moniti sunt pastores his verbis: *Inuenietis infantẽ pannis inuolutũ, & positum in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentiũ: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Deinde venerũt

Iud. 13. 2.
Ib. v. 24.
Isa. 9. 6.
Luc. 1. 31.
Ibid. 35.
Luc. 2. 12.
Ib. 16.

festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Narrat deinde Lucas, quanto honore & veneratione infantulus ille in Hierosolymitanum templum allatus, à Simeone sene, & Anna Prophetissa fuit exceptus.

Lib. 25 & 36.

IAM verò Christus vt infans exemplo, ita verbis adultus quanti facienda sit infantiæ ætas demonstrauit. Exemplo, quia, vt narrat Lucas, Elisabeth mater Ioannis Baptistæ, cum à matre DEI B. Virgine, quæ iam in vtero infantulum IESVM gestabat, salutaretur: *Ecce*, inquit, *vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*, quod gaudium proculdubio infantis, nisi à præsentia infantuli iam concepti IESV in vtero B. Virginis profectum fuit.

Luc. 1.44.

Verbis verò, nam cum ad Christum afferrentur infantes vt eos tangeret, discipulis etiam granatè illud ferentibus: *conuocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium enim est regnum DEI. Amen dico vobis, quicunq; non acceperit regnum Dei, sicut puer, non intrabit in illud.* Et apud Matth. cum viderent Principes Sacerdotum & Scribæ, *mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes Hosanna filio Dauid*, & indignati dicerent ei: *Audis quid isti dicunt: Iesus dixit eis. Vtiq; nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?*

Luc. 18. 16. Matth. 19. 13. Marc. 10. 13. Matth. 21. 16. Psal. 8 3.

APOSTOLI quoque exemplo Christi commonefaciunt nos, vt infantes & paruulos imitemur; *Tanquam paruulis*, ait B. Paulus in priore epistola ad Corinthios, *in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis.* Et rursus; *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Et B. Petrus

Matth. 18. 2. 1 Cor. 3 2. 1. Cor. 14. 20. 1. Pet. 2. 1.

B.Petrus in ep.1. *Deponentes*, inquit, *omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabile, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutẽ.* Et B. Io. in epist. 1. *Scribo vobis infantes, quoniam cognouistis Patrem.* rectè, quia infantum propriè est primum agnoscere patrem & matrem. 1.Ioan.14. Arist.1. Phy.c.1.

Adscribam vnum ex S. AVGVSTINO infantiæ enchomium, à Christi infantis laude sumptum: *Mox*, inquit, *Angelus Virginis accepto consensu* (cum illi respondisset: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum) *cœlestis regionis accolas repetiuit: ecce subito secretum Virginis ineffabilis potẽtia penetrauit: Intrat artifex mundi angustias ventris humani, efficitur grauida mater intacta, & ecce tanquam sponsus de thalamo Mariæ Christus procedit ex vtero. Occultatur in mẽbris infantis potentia maiestatis, DEVS pendet ad vbera genitricis. Pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffert præsepij angustias, & totum misericors humiliter patitur, dũmodo mũdus qui perierat, liberaretur. O beata infantia, per quã nostri generis vita est reparata. O gratissimi, delectabilesq; vagitus, per quos stridores dentiũ, æternosq; ploratus euasimus. O felices pãni, quibus peccatorum sordes extersimus. O Præsepe splendidum, in quo non solum iacuit fœnum animalium, sed cibus inuentus est angelorum.* Sic Augustinus. A.serm. 9. de temp.

CAPVT III.

De Proprietatibus infantis antebaptismum.

PROPRIETAS I. Omnes infantes in vtero, si animati fuerint, ordinariè cõtrahunt peccatum originale. Adiunximus vocem (ordinariè) vt

infantulum Christum, & B. Virgin. eius matrem excipiamus. Nam apud Oseam legimus: *Ipsi autem* (Adæ posteri) *sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me*, id est, in paradiso, vt expo-
Ose. 6. 7.
nit eo loco HIERONYM. qui & subiicit, non esse mirum, si quod præcessit in parente, condem-
H. in com.
netur in filiis. Et IOB: *Pereat*, inquit, *dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo.* Et iterum: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Et ibidem, iuxta LXX. *Nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est vnius diei vita super terram.* quod testimonium vrget Augustinus in
Iob. 3. 2.
Psalmos. Et DAVID ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Nam August. loc. cit. docet peccatum originis intelligi per iniquitates, plurali numero pro singulari posito. Deniqué perspicuè ait Apostol. ad Roman. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Ita Augustinus exponit li. de natura & gratia, & alibi sæpe. Sed infans animatus in vtero, vere est homo, ergo etiam peccauit in Adamo.
A. in Psal. 50.
Psalm. 50. 7.
Rom. 5. 12.
Aug. c. 39.

II. PROPRIETAS, Christus infans, licet filius Adæ fuerit, quia visibilem carnis substantiam verè de carne B. Virginis sumpsit, non tamen peccauit in Adam, nec peccatum originale ab Adam in vtero B. Virginis contraxit. Nam vt docet S. AVGVSTIN. super Genesim ad litteram, nos concipimur in Adam dupliciter, primo secundum seminalem rationē, & ex ea contrahimus peccatū. Secundo iuxta corpulentam substātiam. Christus autem fuit in Adam quidem secundum corpulen-
A. c. 19. & 20.

tam

tam ſubſtantiam, non autem ſecũdum ſeminalem rationem; non enim conceptus eſt virtute ſeminis Adæ, ſed Spiritus ſancti, & ideo in Symbolo dicitur, conceptus de Spiritu ſancto. Vnde apud Ioannem dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

III. PROPRIETAS, Maria Virgo infans, licet in Adam vtróque modo fuerit, ſecundum corpulentam ſubſtãtiam, & ſeminalem rationem, ex priuilegio tamen ſingulari non eſt concepta in peccato originali. Ita XISTVS IV. Papa in extrauaganti, *Graue nimis*, teſtatur. Conc. Baſilienſe & Tridentin. & præcipuæ quæque Academiæ. Deinde totus pæne orbis immaculatæ eius conceptionis feſtum celebrat. Clarus quoque eſt locus S. AVGVSTINI in libro de natura & gratia: *Excepta*, inquit, *ſancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Ratione quoque probatur, quia neque ex parte DEI, neque ex parte creaturæ repugnat hoc factum eſſe. Dei quidem, quia eſt omnipotens: non enim impoſſibile eſt apud Deum omne verbum. Creaturę verò, quia anima rationalis poteſt à Deo eodẽ momento creari, & gratia Dei repleri, ſicut factum credimus in creatione angelorum, & primi parentis. Dices, repugnat decreto Dei, quo ſtatuit Adam peccante omnes concipi in peccato originis. Reſpondeo, decretum ita exponendum, vt ſi Adam peccaret, omnes homines vi cõceptionis obnoxij eſſent peccato, non tamen in eo decreto poteſtatẽ

A.c. 36.

Luc. 1.37.

Deo

Deo ablatam,quo minus ex singulari gratia posset à peccato hominem reipsa præseruare. Et ratio est, quia ob decretum illud DEI non solum concipiuntur,sed etiam nascuntur homines in peccato,& tamen Ieremias & S. Ioannes sanctificati leguntur in vtero, nempe ex gratia singulari, vt dicemus. Differt autem B. Virgo à Christo, quia Christus solus ex vi generationis peccatum originis euasit, & neque in se, neque in Adamo peccauit, quippe qui solus non ex semine viri, sed Spiritus sancti virtute, vt diximus, à B. Virgine conceptus & natus sit. Virgo autem non vi generationis diuinæ,sed priuilegio gratiæ exẽpta fuit à macula originali, & licet in se polluta non fuerit, in parente tamen fuit. Obiicies, Paulum expresse dicere : *In quo* I. Adam, *omnes peccauerunt*. Et rursum : *Eramus naturæ filij iræ, sicut & ceteri*. Verum non inficiamur Mariam virginem in Adamo peccasse eo modo,quo peccare poterat,quæ nondum erat,nisi in potentia ; ac ideo obnoxiam fuisse, vt quando reipsa existeret,reipsa in se peccatum originis haberet, sed dicimus præsentiam singulari priuilegio DEI, vt simul esse & iusta esse inciperet ; Fatemur gratia effectum, quod nũquam esset peccatrix,quod tamen postulabat natura.

Rom.5. 12.

Eph.2.3.

IV. PROPRIETAS, quod infantes in vtero, quamprimum sunt animati, id est, veri homines, licet ordinariè cõtrahant omnes peccatum originis, possunt tamen ex singulari gratia Dei, antequam nascantur, vel in lucem edantur ab eo purgari & sanctificari. Habemus in Scriptura de ea re duplex exemplum,Ieremiæ & Ioãnis Baptistæ. De illo enim dicitur apud Ieremiam à Deo: *Antequam exires*

Ierem.1.5.

exires de vulua sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te. De hoc vero ab Angelo Domini apud Lucam: *Erit magnus coram Domino, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Legimus & de aliis Sanctis in vtero sanctificatis, vt de B. Asella apud B. HIERON. in epist. ad Marcellã; *Prætermitto,* inquit, *quod in matris vtero benedicitur ei, antequam nascatur, sit gratiæ omne quod ante laborẽ fuit, licet Deus præscius futurorũ & Hieremiam sanctificet in vtero, & Ioannem in aluo matris faciat exultare, & Paulum ante constitutionem mundi separet in Euangelium filij sui.* B. Virginẽ MARIAM in vtero sanctificatã antequam natam etiã cõcedit B. BERNARD. D. Thom. Aquin. & alij qui existimarunt eam in peccato originis conceptam; *Quod,* inquit S. Bernard. *vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitã. Fuit proculdubio & mater Domini ante sancta quàm nata.* Et alibi in serm. de excellẽtia Ioan. Baptistæ, cum de Ieremia & S. Ioanne in vtero sanctificatis posuisset exempla, hoc statim adiecit: *Quamquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quæ ipsa maternis circumsepta visceribus sublimiore sanctificationis genere mundata sit, vtpote sanctuarium illud, in quo Deus & Dei filius carnem fuerat susceperturus.* Et S. THOMAS in 3. parte Sũmæ: *Ecclesia,* inquit, *celebrat natiuitatẽ B. Virginis, non autem celebratur festum in Ecclesia pro aliquo Sancto; ergo B. Virgo in ipsa natiuitate fuit sancta. Fuit ergo in vtero sanctificata.* Ex hoc argumẽto apparet S. Bernardum & S. Thomam si nunc viuerent, confessuros fuisse B. Virginem non conceptam in peccato originis quia tota Ecclesia Romana celebrat æquè

Luc. 1.15.

H. ep. 15.

Luc. 1 44. Gal. 1.15.

Ber. ep. 17.

Tho. q. 2. art. 1. & 2.

festum

festum Conceptionis atque Natiuitatis Mariæ.

V. PROPRIETAS est, quod aliquando infantes in vtero adhuc existētes, (licet nō legatur illos sanctificatos) mirabilia futuræ sanctitatis indicia dederint. Primum exemplum sit in Iacob Patriarcha, qui vt est in Genesi, in vtero adhuc existens, plantam fratris iam egressi manu tenuit, & ideo Iacob, id est, supplantator fratris dictus est, cui & postea benedictionem eripuit, & præ fratre diuinam etiā benedictionem accepit, ita vt Malachiæ 1. à Domino dicatur: *Dilexi Iacob, Esau autē odio habui.* Vnde S. HIERON. lib. 8. in Ezechielem: *Hoc est illud de quo & Apostolus disputat scribens: Iacob dilexi, Esau vero odio habui. Diligit autem Iacob, quia carneum atque terrenum supplantat & superat, & benedictiones illius meretur accipere. Primum enim iuxta carnem, & postea secundum spiritum viuimus. Ante vitia, deinde virtutes, quibus vitia subruuntur.*

Genes. 25. 25.

Mala. 1. 2. Hier. in c. 25. Ezech. Ro. 9. 14.

Guli. lib. 1. c. 1. in eius vita.

II. Exemplum sit S. BERNARD. de quo in vtero adhuc existente sic GVLIEL. de Bona valle; *Mater eius Aleth cum in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in vtero somnium vidit præsagium futurorum, catellum scilicet totum candidum, in dorso subrufum, & latrantem in vtero se habere. Super quo territa vehementer, cum religiosum quendam virum consuluisset, continuò ille Spiritum prophetiæ concipiens, quo David de sanctis prædicatoribus Domino dicit: Lingua canum tuorum ex inimicis, trepidanti & anxiæ respondit. Ne timeas, bene res agitur. Optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus magnos pro ea contra inimicos fidei edituus est latratus. Erit enim egregius prædicator, & tanquam bonus canis gratia linguæ medicinalis multos morbos curaturus est animarum.*

Psal. 67. 24.

Quo

Quo responso mulier pia & fidelis quasi à Deo suscepto lata efficitur, iam tũc in amorem nondũ nati tota transfunditur, cogitans sacris eum literis erudiẽdum tradere secundũ modũ visionis & interpretationis, qua ei de illo tam sublimia promittebatur. Quod & fecit. Mox enim, vt felici partu edidit, nõ modo obtulit eum Deo, sicut de aliis agere consueuerat, sed sicut legitur de Anna matre Samuelis, quæ petitum à Domino, & acceptum filium in tabernaculo eius destinauit perpetuo seruiturũm: sic & ipsa eũ in Ecclesia DEI acceptabile obtulit munus. 1.Reg.1.

III. Exemplum est S. DOMINICI Ordinis Prædicatorum Fundatoris, de quo THEODORVS de Apoldia lib.1. Vitæ ita scribit: *Sublimioris gratiæ filium paritura mater IOANNA, antequam conciperet cœlesti visione docta est de partu futuro. Vidit namq́, se vtero gestare catulum, ardentem ore faculam ferentem, egressumq́, ab vtero totum mundum flammis ab eius ore prorumpentibus illuminantem.* Plura sunt eius generis exempla in Vitis Sanctorum. Theo. c.1.

IV. PROPRIETAS, Infantes, si in vtero materno moriantur, ad æternam salutem non perueniunt. Causſa perspicua est, quia nulli homini datus ad salutẽ aditus est, nisi per baptismũ à Christo ipso: *Nisi quis renatus,* inquit, *fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ introibit in regnum cœlorum.* Deinde clara est B. AVGVST. sententia ad Hieronymum: *Quisquis dixerit, quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicã prædicationem venit, & TOTAM condemnat Ecclesiam, vbi propterea cum baptizãdis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo omnino viuificari non posse.* Exiſtimant quidem eos ad salutem Ioan.3.5. Auguſt.ep. 28.

perue

In Colloq. Mõpelg. Ia. Andræ. Luc. 11.9. peruenire nonnulli posse, maxime Lutherani, si piorum parentum, honestarumque matronarum precibus in casu necessitatis Deo commendentur, eo quod verum Christi dictum sit, *Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis*. Sed meminisse illi debebant, verum quoque dictum esse Apostoli Iacobi; *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*. Male autem sinè dubio petit, qui contra manifestissimam Scripturam iam allatam, cõtra Apostolicam prædicationem, contra totius Ecclesiæ cõsuetudinem petit, vel sine dubio credit aliter quam per baptismum eos in Christo viuificari posse. NEQVE tamen inficiandum est, Deum pro immensa sua misericordia ex singulari priuilegio eiusmodi infantes posse ante baptismũ sanctificare & saluare, sicut saluauit Hieremiam Prophetam, & S. Ioannem Baptistam & B. Asellam, & probabile sit Deum perinde in hoc atque in aliis casib. posse pro sua clementia aliquando supplere parẽtum, vel aliorum defectum, vt si incuria Sacerdotis baptizantis aqua fortasse baptizandum non attigisset, aut si forma sacramenti imperfecte & mutile pronunciata fuisset, quæ exempla à Theologis afferuntur. Idem sentiendum est de infantibus in lucem editis, vel natis, si ante baptismum perceptum moriantur.

CAPVT IV.

De Proprietatibus infantium in lucem editorum.

PRIMA Proprietas. Infantes simulatque nati sunt, vel editi in lucem, debent baptizari. Diuina enim comminatio Christi apud B. Ioannem

Ioan. 3.5. genera

generalis est; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in regnum cœlorum.* Deinde regula TERTVLLIANI est asserentis, *id quod apud omnes vnum inuenitur, non errore receptum, sed priſca & Apoſtolica traditione acceptum, retentúmque esse non debere dubitari,* & AVGVSTINI lib. 4. de baptismo; *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime credi.* At pædobaptismum vniuersa semper tenuit & retinuit Ecclesia, nec Conciliis vllus est institutus. vnde S. DIONYS. Areop. de Ecclesiastica hierarchia; *Diuini,* inquit, *nostri Duces probarunt infantes recipi ad Baptismum.* ORIG. in epistolam ad Romanos; *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam paruulis dare baptismum.* Et Augustinus lib. 10. de genesi ad literam, ait, hoc Ecclesiam semper habuisse, & à maiorum fide percepisse, *vt cum viuentibus paruulis curratur & viuentibus succurratur, ne cum mortui fuerint, nihil possit fieri, quod prosit.* Et rursus; *Consuetudo,* inquit, *matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, nec vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Tertul. de præscript. Aug. c. 23. Dio. c. vlt. Orig. lib. 5. Aug. c. 11. A. lib. c. 23.

OBIICIES, Tertullianum libro de Baptismo suadere dilationem baptismi in adolescentiam, & Gregorium Nazianzenum in S. Lauacrum, in trimulam vel quadrimulam ætatem, qua pueri aliquo modo respondere possint. Respondeo, vtrúmque loqui de infantibus, quando non periclitantur de vita: nam Tertullianus eodem libro diserte docet, nemini salutem sine baptismo competere, & Nazianzenus trimulum aperte regno cœlorum excludit, si ante eam ætatem discesserit.

Præstat ergo quam citissime illos baptizari, quam periculo incerto exponi.

II. PROPRIETAS. Remittitur eis peccatum originis simul atque baptizati fuerint. Ideo enim baptismus datur, vt remittantur peccata. Vnde

Act.2.38. B. Petrus in Actis; *Baptizetur vnusquisque vestrum*
Act.22.16. *in remissionem peccatorum.* Et Ananias Paulo; *Bapti-*
Eph.5.26. *zare, & ablue peccata tua.* Et Paulus ad Ephesios; *Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lauacro aquæ*
1. Petr.3. *in verbo vitæ.* Et B. Petrus prima epistola; *Vos saluos*
21. *facit baptisma.* Concilium Constantinopolitanum I. in Symbolo; *Credimus vnum baptisma in remissio-*
Mil.c.2. *nem peccatorum*, & Conc. Mileuitanum; *Paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod ge-*
Orig. ho. *neratione traxerunt.* ORIGENES in cap. 2. Lu-
14. cæ; *Paruuli baptizantur in remissionem peccatorum.*
Chr hom. CHRYS. in Genesin; *Id quod illic operatur circum-*
39 *cisio in depositione carnis, id agit hic baptismus in depo-*
Lact. c.5. *sitione peccatorum.* LACTANT. lib. 7. *Cum homo cœlesti lauacro purificatus exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento diuini vigoris accepto, fit homo perfectus ac plenus.* AVGVSTIN. tractatu 80. in Ioannem; *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tan-*
Leo ser.4. *gat, & cor abluat?* LEO I. in sermone de natali Domini; *Omni homini renascenti aqua baptismatis instar est vteri virginalis eodem Spiritu replente fontem, qui repleuit & Virginem, vt peccatum, quod ibi vacuauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.*

III. PROPRIETAS. Cum remissione peccati originalis infunditur eis gratia, & cum illa habitus fidei, spei & charitatis. De gratia docet

D. Av

D. AVGVSTINVS lib. 1. de Peccatorum meritis & remissione, de habitibus illis definiuit olim Synodus Generalis Viennensis, vt habemus Clementina I. de Summa Trinitate, & etiam Tridentina sessione 6. cap. 7. De Fide autem probatur ex Scripturis: nam, vt dicit Apostolus in epistola ad Hebræos, *sine fide impossibile est placere Deo*, & ad Romanos; *Arbitramur hominem iustificari per fidem.* at constat infantes iam baptizatos placere Deo, & esse iustos. Similiter probatur de charitate: nam B. Ioannes in priore epistola: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* At in infantibus baptizatis liquet Deum habitare, vt fatetur etiam in epistol. ad Dardanum AVGVSTINVS: habent igitur charitatem. Aug. c. 9. Heb. 11. 6. Rom. 3. 28. 1. Ioan. 4. 16. Aug. epist. 57.

IV. PROPRIETAS, Infantes baptizati, nullum actum fidei, spei, vel charitatis, habent: quia S. Scriptura docet, & experientia quotidiana ostendit, nullam cognitionem in infantibus esse distantiæ boni & mali. Deinde Paulus ad Romanos docet, *fidem esse ex auditu*; at videmus paruulum non audire, sed potius obstrepere & reluctari. Nec verisimile est Deum tunc facere in mente paruuli miraculum: si enim in mente facit, vt corde credat ad iustitiam, cur non & in lingua, vt *ore confiteatur ad salutem?* Quod autem motu corporis & eiulatu potius obstrepant prædicanti fidem, docet B. AVGVSTINVS epistola 57. Et idem epistola 23. & tract. 80. in Ioannem. Et libro primo de peccatorum meritis, cap. 20. diserte ait, paruulos non habere fidem, quæ est in cogitatione, non habere sensum fidei, & non habere quod Paulus dicit; *Corde creditur ad iustitiam.* NEQVE patrocinatur Deut. 1. 39. Rom. 10. 15. Rom. 10. 10.

contrarium docentibus exemplum S. Ioannis Baptistæ, qui nouos illos fidei motus in vtero videtur habuisse materno, quando B. Virgo salutauit S. Elisabeth eius matrem: nam neque tum B. Ioannes baptizatus est, neque *etiamsi*, teste Augustino ad Dardanum, *vsque adeo est in illo puero acceleratus vsus rationis & voluntatis, vt intra viscera materna iam posset agnoscere, credere, consentire, quod in alijs paruulis ætas expectatur, vt possit etiam hoc in miraculis habendum diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplum naturæ. Nam quando DEVS voluit, etiam iumentum mutum rationabiliter est locutum: nec ideo sunt admoniti homines in deliberationibus suis etiam asinina expectare consilia. Quocirca nec quod factum est in Ioanne contemno, nec inde regulam quid sentiendum sit de paruulis figo, imo id in illo propterea mirabiliter prædico, quia in alijs non inuenio.*

Luc. 1. 44.

Aug. epist. 57.

Num. 22. 30.

V. PROPRIETAS. Etiamsi paruuli actu proprio non credant, sunt tamen fideles & credentes appellandi. Primo quia, vt dictum est ex Synodo Tridentina, cum remissione peccatorum menti eorum habitus fidei, spei & charitatis in baptismo infunditur, de qua fide illud Christi dictum; *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, exponit INNOCENTIVS III. capite, Maiores, de baptismo & eius effectu. 2. quia cum baptismus sit fidei professio, eorum baptizari est quoddam credere; *Quis nesciat*, inquit AVGVST. lib. 1. de peccatorum meritis, *credere infantibus esse baptizari, non credere autem non baptizari?* Et epistola 23. *Paruulum etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsam*

Trid. sess. 6. c. 7.

Marc. 16. 16.

Aug. c. 27.

mente

mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo. 3. quia credunt fide aliena, nempe parentum suorum, aliorúmque fidelium, à quibus baptizandi offeruntur; *Credunt*, inquit idem AVGVST. ser. 14. de Verbis Apostoli, *& infantes. Unde credunt? quomodo credunt? fide parentum, si fide parentum purgantur, peccato parentum polluti sunt*; Et lib. 1. de peccatorum meritis c. 33. *Ubi ergo ponimus paruulos baptizatos nisi inter fideles? sicut vniuersæ vbique Ecclesiæ clamat auctoritas, ergo inter eos qui crediderunt. Hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramenti, & offerentium responsionem.* Idem docet Iustinus q. 56. BEDA in c. 16. Marci, & Bernardus ep. 77. aliique Patres. Ratio quoque manifestè huic doctrinæ suffragatur, quia paruuli aliena voluntate peccarunt, nec suo, sed tantum alieno, nempe parentum arbitrio reguntur: non est ergo mirum, quòd aliena fide credant, & ad salutem promoueantur.

VI. PROPRIETAS. Etiamsi ex hac doctrina sequatur innumeros paruulos, qui sine baptismo excedunt, perire, ad Dei optimi & iustissimi, vt respondent B. AVGVSTINVS libro de bono perseuerantiæ, & S. PROSPER lib. 2. de Vocatione gentium, occulta quidem, sed iustissima iudicia reuerendum est, cum enim paruuli isti peccato originis obnoxij recedant, non sine culpa excedunt; *Cum enim consideramus inter paganos*, ait Prosper, *inter Iudæos, inter hæreticos, inter ipsos Catholicos Christianos, quam multiplex pereat numerus paruulorum, quos quantum ad propriας pertinet voluntates, neque bonum aliquid, neque malum constat egisse, discimus super illos illam manere sententiam, quam humanum genus præuaricatione primi parentis excepit, cuius sententiæ rigor,* Aug. c. 11. Prosp. c. 8.

dum etiam circa tales non resoluitur, quam magnũ illud peccatum fuerit, demonstratur. 2. multorum infantum interitus culpę parentum tribuitur; *Cum quærimus,* inquit idẽ paulo post, *quomodo Deus omnes homines saluos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces, non irreligiose arbitror credi, nec inconuenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertinent gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus, qua vtique si bene vterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem iuuarentur; Omnium namque exordia paruulorum, totáque illa principia necdum rationalis infantiæ sub arbitrio iacent voluntatis alienæ, nec vllo modo eis nisi per alios consuli potest, & consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto, vel prauo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt;* Denique non pereunt paruuli sicut adulti: nec enim detruduntur in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, sed tantum æterna felicitate excluſi, in alio quodam inferni loco leuissimam, vt ostendemus ex B. Augustino capite sequenti, pœnam sustinebunt.

Aug. lib. 5. in Iulian. c. 8.

CAPVT V.

De Statu Infantum post mortem.

PRIMA Proprietas infantum est, quod ætas maxime sit idonea ad regnum cœlorum, quod illis datur post mortem. Nam Christus Dominus apud tres Euangelistas expresse dicit; *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* Etiamsi enim Dominus in statura ipsorũ commendauerit nobis

Matth. 19. 23 Marc. 10. 13. Luc. 18. 16.

nobis humilitatem & innocentiam vitæ, vt D. AVGVSTINVS lib. 1. Confessionum recte tradit his verbis; *Humilitatis signum in statura pueri commendasti Rex noster, cum aisti: Talium enim est regnum cœlorum:* tamen simul indicare voluit illam ætatem esse valde idoneam ad regnum cœlorum & salutem. Nam tres Euangelistæ loquuntur de veris paruulis, quos multi offerebant, vt eis Dominus benediceret. 2. quia Apostoli tales prohibere conabantur, ne Christum accederent: quare & illa ratio Domini, *talium est enim regnum cœlorum,* veris congruebat paruulis. 3. complexio illa & benedictio paruulis data aperte significat eos ad Societatem Christi pertinere, eiúsque regnum. Quare sicut Isaac & Ismahel allegorice duo testamenta apud Apostolum fuerunt, & tamen duo veri homines fuere: ita ætas infidelis typus fuit humilitatis, & simul reipsa idonea ad regnum cœlorum. Respondent quidem nonnulli Christum locutum de magnis pueris iam ratione vtentibus, eo quod, vt notauit TERTVLLIANVS libro de Baptismo, Christus ait; *Sinite paruulos venire ad me.* Venire autem sit proprie grandiorum. Sed opponimus illis, quod B. LVCAS expresse aiat, eos portatos fuisse ad Christum, & non suis pedibus venisse, & vocet τὰ βρέφη, quæ græca vox proprie designat infantes. Matthæus autem & Marcus appellant παιδία, id est, paruulos nutrice egentes. Aug. c. 19. Luc. 18. 15

II. PROPRIETAS, si in infantia post baptismum diem suum obeant, statim ad regnum cœlorum perueniunt. Ratio est, quia infantes postquam baptizati sunt, redduntur filij DEI; *Si autem* Rom. 8. 16.

filij DEI, inquit Apostolus, *& hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Iesu Christi.* Deinde ita docet D. AVGVSTINVS epistola ad Optatum, & B. BERNARDVS in Cantica. Augustini verba sunt: *Quod maxime apparet in paruulis, de quibus cum per Christi gratiam renascuntur, & istam vitam in illa tenera ætate finientes, in æternam transeunt, & beatam, dici non potest, quod libero discernuntur arbitrio ab aliis infantibus, qui sine hac gratia in ipsius massa damnatione moriuntur.* Et ratio ipsa perspicue suffragatur. Infantes enim illi, postquam obierunt post baptismum receptum, sunt peccati originis expertes, nec vllum peccatum actuale contraxerunt: sunt ergo in gratia, ergo post mortem ilico transeunt ad vitam æternã. *Gratia* enim, teste Apostolo, est *vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.*

Aug. epist. 57.

Bern. ser. 68.

Rom. 6. 23.

III. PROPRIETAS, Infantes innocentes, qui ab Herode olim occisi sunt, baptismo non aquæ, sed sanguinis elutis, non solum statim ad salutem peruenerunt, sed etiam martyrij coronam acceperunt. Et ratio est, quia eorum tanquam Sanctorum Martyrum memoriam Ecclesia tota anniuersaria celebritate S. Innocentum recolit: cuius festi meminit ORIGENES homil. 3. in diuersos Euangelij locos. CYPRIANVS lib. 4. epist. 6. ad Thibaritanos, & in sermone de Stella & Magis, vbi ait, *eos in ordine Sanctorum velut protomartyres primum habere locum, & Secretorum conscios diuinorum propinquitate familiarissima clementiam DEI pro nostris exorare laboribus.* Deinde S. AVGVSTINVS lib. 3. de Libero arbitrio c. 23. & epist. 28. ad Hieronymũ: cuius & sermones 4. exstant in eorum festo habiti. Meminit & B. Bernardus sermone de

Aug. tom. 10.

Innocen

Innocentib. QVOD autem effusio sanguinis pro Christo vicem baptismi sustineat, docent iidem Patres. Nam TERTVL. libro de Baptismo, de Martyrio loquens, *Hic*, inquit, *est baptismus, qui lauacrum regenerationis non acceptum refert, vel perditum reddit.* CYPRIANVS præfatione libri de Exhortatione Martyrij, dicit Martyrium esse baptismum, & baptismo aquæ præstantiorem. AMBROSIVS in Psal. 118. sermone 3. tria baptismata numerat, Aquæ, Sanguinis & Purgatorij in altero seculo. HIERONY. in c. 4. ad Ephesios. GREGOR. Nazianz. oratione in S. Lumina. August. lib. 13. de Ciuitate Dei. cap. 7. & ep. 108. ad Seleucianam, & alibi. Cyrillus catechesi 3. Damascenus lib. 4. cap. 10. Bernard. ep. 77. Adhæc martyrium conuenit cum baptismo in tribus effectibus, nam primo remittit peccatum originale in infantibus. 2. quia martyrio magis cõfigurantur Domino, quam baptismo aquæ. 3. quia remittit omnem pœnam peccato debitam. Vnde Ecclesia nunquam pro martyribus orat; *Iniuriam enim facit Martyri, qui orat pro martyre*, ait Augustinus serm. 17. de verbis Apostoli.

IV. PROPRIETAS, Infantes sine baptismo decedentes, siue intra siue extra vterum maternum moriantur, post mortem non versantur in medio aliquo loco sine vlla molestia aut dolore, vbi vita temporali fruantur, vt docuere olim Pelagiani teste B. Augustino libro de Hæresibus, & nunc videntur docere Ambrosius Catharinus in libro de Statu puerorum, & Albertus Pighius controuersia prima. Nam Ioannis 3: absolute dicitur: *Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem* Aug. c. 88. Ioan. 3. 36.

incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet
Eph. 2. 3. *super eum.* De qua dictū est ab Apostolo ad Ephesios; *Eramus & nos natura filij iræ sicut & cæteri.* De-
Rom. 5. 18. inde Paulus in epistola ad Romanos; *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Vnde S.
Aug. c. 19. AVGVSTIN. lib. 1. de Origine animæ. *Non baptizatis,* inquit, *paruulis nemo promittat inter damnationem regnúmque cœlorū, quietis vel fecilitatis cuiuslibet, atque vbilibet quasi medium locum: hoc enim eis hæresis*
Id. lib. 2. c. 22. *Pelagiana promisit.* Et iterum; *Nouellos hæreticos Pelagianos iustissime Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnauit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis paruulis dare quietis & salutis locum etiam*
Fulg. c. 3. *præter regnum cœlorum.* S. FVLGENTIVS libro de Fide ad Petrum cap. 3. *Paruulos, quibus nulla possunt vel bona, vel mala inesse propria merita voluntatis insolubili nexu æterna damnatio retinet.* Clare etiam S.
Bernar. ep. 191. Bernardus docet, *Infantes perire si non baptizentur.*

V. PROPRIETAS, Infantes sine baptismo decedentes, non tamen punietur pœna sensus, vel
Greg. ante med. ignis sensibilis. Ita docet GREG. Nazianz. oratione in S. LAVACRVM. Ambros. in c. 5. ad Roma-
Aug. c. 8. nos, & S. Augustinus lib. 5. in Iulianum; *Ego autem non dico,* ait, *paruulos sine Christi baptismate morientes, tanta pœna esse plectendos, vt eis non nasci potius expediret.* Et infra: *Quis dubitauerit paruulos non baptizatos in damnatione omnium leuissima futuros: qua, qualis & quanta erit, quamuis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, vt nulli essent, quam vt ibi essent, potius expediret.* Quibus verbis satis aperte indicat de ipsa specie pœnę August. fuisse incertum. Certe Petrus Lombardus cum omni schola Theologorum in 4. sentent. distin. 33. docet paruulos

apud

apud inferos pœna damni tantum, non ſenſus puniri. i. carentia viſionis diuinæ, non inflictione ſenſibilis ignis.

VI. PROPRIETAS. Valde probabile eſt eoſdem infantes non baptizatos, etiamſi externo dolore careant, ſenſuros aliquem internum dolorem, quod intelligant ſe à conſortio piorum fratrum & parentum alienos, & in tenebris perpetuis in carcere inferorum victuros, licet cum Auguſtino dicẽdum ſit leniſſimum mitiſſimúmque illum futurum. Nam Cyprianus in ſermone de ratione circumciſionis agens de pœna peccati originalis poſt mortem; *Supererat*, inquit, *poſt mortem carnis animæ labor & afflictio ſpiritus.* & AVGVSTINVS ep. 28. & ſerm. 14. de Verbis Apoſtoli ait, infantes in inferno pœnam, vel ſupplicium eſſe paſſuros, at ſupplicium ſine dolore non eſt. S. Thomas tamen, Bonauentura & Richardus putauerunt eos nullum dolorem internum paſſuros, pro quibus potes ita argumentari. Auguſtinus contra Iulianum, & in Enchiridio cap. 93. docet, infantum pœnam poſt hanc vitam mitiſſimam fore, at dolor internus de amiſſa beatitudine grauiſſimus eſt. Reſpondeo, Auguſtinum non comparare pœnam animi cum pœna corporis, ſed pœnam paruulorum cum pœna maiorum. Dicit autem mitiſſimam tribus de cauſis. 1. quia maiores vel adulti punientur pœna damni & ſenſus, infantes pœna damni tantum. 2. quia adulti pœnæ damni annexum habebunt vermem conſcientiæ. 3. quia adulti acerbiſſimum dolorem ſentiunt de amiſſa beatitudine, vt ſæpe contendit Chryſoſt. infantes autẽ leuiſſimum, quia nihil vnquam

cogno

cognouerunt de beatitudine. LEGE Cardinalem Bellarminum tomo 3. controuersiæ secundæ lib. 6. fuse & erudite de hoc toto capite disputantem.

VII. PROPRIETAS Infantes, siue intra vterum mortui, (modo fuerint animati) siue extra vterum resurgant ea corporis statura ad quam peruenissent, si superuixissent, quod indicauit Apo-
Eph. 4. 13. stolus, cum ad Ephesios scripsit nos tempore iudicij extremi occursuros *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Vnde HIERON. lib.
Ierem. c. 31. 6. in Ieremiam: *Ista est spes nouissima, quando iusti fulgebunt sicut Sol, & infantes quondam paruuli atque lactantes absque ætatum incremento & iniuriis, ac labore corporeo resurgent in virum perfectum, in mensuram*
Aug. c. 14. *plenitudinis Christi.* Et S. AVGVSTINVS lib. 22. de Ciuitate Dei; *Quid ergo de infantibus dicturi sumus, nisi quia non resurrecturi in ea corporis exiguitate, qua mortui? Sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo DEI opere miro atque celerrimo*
Luc. 21. 18. *recepturi. In sententia quippe Domini vbi ait. Capillus capitis vestri non peribit, dictum est, non defuturum esse quod fuit: non autem negatum est, affuturum esse, quod defuit: defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis: perfecto quippe infanti deest vtique perfectio magnitudinis corporalis, quæ cum iam accesserit, iam statura longior esse non possit. Hunc perfectionis modum sic habent omnes, vt cum illo concipiantur atque nascantur, sed habent in ratione, non in mole: Sicut ipsa iam membra omnia sunt latenter in semine, cum etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dentes, ac si quid eiusmodi.*
c. 15. Et infra: *Restat ergo, vt suam quisque mensuram, quam vel habuit in iuuentute etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Atque illud,*

quod

quod commemorauit Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi, vt propter aliud intelligamus dictum esse, id est, vt illi capiti in populis Christianis accedente omnium perfectione membrorum ætatis eius mensura compleatur: aut si hoc de resurrectione coporum dictum est, sic accipiamus dictum, vt nec vltra, nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum. Sed in ea ætate & robore, vsque ad quam Christum hic peruenisse cognouimus. Circa triginta quippe annos diffinierunt etiã seculi huius doctissimi homines iuuentutem. Quæ cũ fuerit proprio spatio terminata, inde iam hominem in detrimenta vergere grauioris ac senilis ætatis, & ideo non esse dictum in mensuram corporis, vel in mensuram staturæ, sed in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Eph. 4. 13.

VIDE de Statu Ætatum, Adolescentiæ, Pueritiæ, Senectutis, Innocentiæ.

DE INNOCENTIÆ STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Innocentiæ intelligatur?

S. BASILIVS explanãs principium Prouerbiorum, *Innocentiam*, inquit, *duplicem esse nouimus. Prima est à peccatis alienatio, mente ac proposito per longam bonorum exercitationem acquisita, malitiæ radice penitus exstirpata: sic innocentis demum appellationem recipimus. Altera vero innocentia est, ignoratio mali quædam & inexperientia, seu ob ætatem sæpenumero & iuuentutem, seu etiam, quod alicuius artis & vitæ rationem quandóque probe non* Bas. hom. 12.

tenentis

tenentis fraudes in ea recte cauere non sunt docti, aut astutiam, aut superbiam minime nouit. Rursus nonnulli in agris tantum & in rebus agendis minime versati, mercatorum fallacias, iudiciorum ac fori contentiones, varias cautiones, captionésque ignorant. Huiuscemodi innocētes appellare solemus, nō quod proposito aliquo, optionéve à malo abstineant, sed quod mali experientiam & habitum nondum contraxerint. Innocens autem proprie

Psal. 100. 2. *est, qualis erat Dauid dicēs: Ego in innocētia mea ambulaui. Omnem ex animo iniquitatem se se in virtute exer-*

Psalm. 83. 13. *cendo fugiens, vt hæreditatis bonorum dignus haberetur.*

Psal. 25. 1. *Quoniam Dominus non priuabit bonis eos, qui ambulāt*

Psal. 7. 9. *in innocentia. Is itaque confidens dicet: Iudica me Domine, quoniam in innocētia mea profectus sum. Et iterum: Iudica me Domine secundū innocētiam meam, & secundum iustitiam meam. Innocentem ergo te ostendet morum & simplicitas & candor, qualis erat Iacob minime*

Gen. 26. 27. *fictus, habitans domum. h.e. naturæ vtens simplicitate, nihil ex arte simulatum, figuratúmve retinens. h.e. nullam in verbis adumbratam decipientémve faciem præ se ferens.* Hucúsque Basilius, qui tantum primam acceptionem innocentiæ probat, & ex Psalmis exemplo Dauidis, qui aliquoties suam innocētiam profitetur, illustrat. Eandem probat & S. AVGVSTI-

Psal. 100. 2. NVS, exponens versum Psal. 100. *Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Quid*, inquit, *quæris multa verba? Innocens esto, & perfecisti iustitiam. Sed quid est esse innocentem? Duobus enim modis nocet homo, quantum in ipso est, aut faciendo miserum, aut deserendo miserum: quia & tu non vis ab alio fieri miser, & non vis deseri ab alio, si miser fueris. Quis est ille, qui facit miseros? Qui infert violentias vel insidias, rapit res alienas, opprimit pauperes, furatur, &c. Quis*

est

est qui deserit miseros? qui videt inopem aliquo auxilio egentem, & cum habeat, quomodo præstet, contemnit, despicit, alienat cor suũ. &c. Sed quis est innocens? Qui cum alij non nocet, nec sibi nocet. Qui enim sibi nocet, non est innocens. Si templum Dei in se euertit, quid expectas, vt in alio faciat misericordiam, & parcat miseris? Qui in seipsum crudelis est, esse in alio misericors potest? Tota ergo iustitia ad vnum verbum innocentiæ redigitur. Idem exponens versum Psalmi 7. *Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me. Ista*, ait, *est vera innocentia, quæ nec inimico nocet: itaque bene iudicari se postulat secundum innocentiam suam, qui vere dicere potuit: Si reddi retribuentibus mihi mala.* Et in Psalm. 83. exponens illud: Non priuabit bonis ambulantes in innocentia, *Est*, inquit, *aliquid pretiosius innocentia? sed si innocentiam retinebo, inquis, pauper ero. Paruane diuitiæ ipsa innocentia? Si arcam plenam auro habueris, diues eris? Si cor habueris plenum innocentia, pauper eris?* Psal. 83. 13.

Etsi vero secundum S. Basilivm & Avgvstinvm hæ laudes in Innocentiam veram, de qua Scripturæ sacræ agunt, & non in Viridario titulo *de Simplicitate* fusius egimus, aptissime competunt: nos tamẽ hoc loco de eo Innocentię statu tantũ agimus, qui in primos parentes Adam & Evam, antequam deliquissent, conuenit, & in posteros homines omnes conueniret, si in protoplasto non peccauissent: (*in quo omnes peccauerũt*) inquit Apostolus ad Romanos. Statvm hunc his verbis describit libr. 14. de Ciuitate Dei noster Avrelivs: *Viuebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quamdiu volebat, quod Deus iusserat: viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: viuebat sine* Rom. 5. 12. Aug. c. 26.

vlla

vlla egestate, ita semper viuere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret: potus, ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senecta dissolueret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore illas molestias vllis eius sensib. ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus, aut frigus, sic in eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bona voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter
1. Tim. 1. *lætum. gaudium verum perpetuabatur, ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas, cõcors mentis corporisque vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat inuitum. In tanta facilitate rerum, & felicitate hominum abst, vt suspicemur prolem non potuisse seri sine libidinis morbo, sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cetera, & sine ardoris illecebroso stimulo cum tranquillitate animi & corporis nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus vxoris.*

CAPVT II.

De proprietatibus corporis humani in statu innocentiæ.

QVONIAM Augustinus in loco iam citato geminarum proprietatum fecit mẽtionem, corporis & animi, in innocentiæ statu futurarum, de vtrisque etiam hoc loco agemus, & primo de corporis, tum animi.

I. Autem PROPRIETAS corporis sit immortalitas: in statu enim innocentiæ Adam, si non peccauisset, omnésq; homines ex eo nati immortales fuissent.

fuissent. Nam Sapientiæ 2. capite dicitur, *Deus creauit hominem inexterminabilem : inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum,* & S. Paulus ad Romanos; *Per vnum hominem*, ait, *peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Et iterum; *Stipendium peccati mors.* Et rursus; *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Et in priore ad Corinthios Apostolus non semel repetit, *in Adamo omnes moriuntur*; Et, *Per hominem mors*; Et, *Stimulus mortis peccatum est.* Deinde AVGVSTIN. vel potius auctor in Augustino tom. 4. de quæstionibus veteris & noui testamenti posita hac quæstione; *Quærendum est, si Adam factus corpus immortale habuit, an mortale?* Respondet; *Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipse sibi auctor esset ad vitam, aut ad mortem, vt custodiens se à peccato, labore suo gauderet, & esse se immortalem; Negligens vero factus ipse sibi imputaret, quia cœperat esse mortalis; Quamdiu enim in creatoris lege durauit, dignus fuit edere de arbore vitæ, vt mori non posset; Nec enim corpus aderat, quod dissolui impossibile videretur, sed gustus arboris vitæ corruptionem corporis inhibebat.* Sed & verus Augustinus in libro de hæresibus, accusat Pelagium quasi docuerit, *Adam etiamsi non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, sed conditione naturæ.* Et si obiiciantur verba illa Genesios; *Quacúnque die comederis, morte morieris*, vt probetur mortem pœnam esse peccati, respondent Pelagiani, teste S. Augustino lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, de morte animæ verba illa intelligenda. Sed hoc refellit S. Augustinus ex verbis illis Dei; *Puluis es, & in puluerem*

Sap. 2. 23. Rom. 5. 12. Rom. 6. 29. Rom. 8. 10. 1. Cor. 15. 22. Ib. 21. Ib. 56. Aug. q. 19. Aug. hær. 88. Gen. 2. 17. Aug. c. 2.

Gen.3. 19. *reuerteris*. Dominus enim damnat illis verbis Adam ad illam pœnam, quam illi antea fuerat comminatus. Certum autem est corpus, non animam ex puluere factam esse, itaque locus hic alium explicat. Dices, S. Gregorium hunc locum de morte animæ exponere. Respondeo, planum fore commentarium, si de morte etiam animæ locus intelligatur. Imo Avgvstinvs lib. 13. de Ciuitate Dei, de triplici morte exponit, & ante eum S. Ambrosivs libro de Paradiso de vtráque morte, corporis & animi.

Greg. lib. 5. ep. 14.

Aug. c. 12.

Amb. c. 9.

Conc. Mil. can. 1. Concilia idem statuerunt, vt Mileuitanum; *Placuit*, inquit, *vt quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit*. Et C. Aurasicanum; *Si quis soli Adæ præuaricationem suam, non etiam propagini eius asserit nocuisse, aut certe tantum mortem corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit contradicens Apostolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt*. In Concil. Tridentino sess. 5. similia leguntur.

Aur. c. 2.

Rom. 5.

II. Proprietas, Hæc immortalitas, non naturalis, sed supernaturalis fuit primo homini, non debita, sed gratuita, non debita naturæ conditio, sed gratiæ beneficio deputanda. Liquet hæc proprietas primo ex Scripturis allegatis, quibus clare declaratum est mortem in Adamo esse pœnam peccati. 2. duo summi Pontifices, Pivs V. & Gre

& GREGOR. XIII. nostro æuo clare damnauere hanc propositionem; *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis eius conditio.*

3. Prisci Patres idem docuere. S. CYRILLI lib. 1. in Ioannē verba sunt; *Rationale animal homo à Deo productus, quia natura sua incorruptibilis atque perpetuus esse non poterat, spiritu vitæ signatus immortalitatis bonum super naturam suam consecutus est.* S. AVGVSTINI libro 6. de Genesi ad literam; *Aliud est non posse mori, aliud posse non mori; secundum quendam modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ.* Et paulo post; *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.* Et libro 13. de Ciuitate Dei loquens de immortalitate primorum hominum; *Qui status,* ait, *eis de ligno vitæ, quod in medio paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili gratia Dei præstabatur.* Et libro 1. de Peccatorum meritis & remissione; *Si Deus,* inquit, *Israhelitarum vestimentis & calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, vt animale & mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosus, tempore quo Deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro, quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse, vt vulneretur; Sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse, vt moreretur; Talem puto adhuc in corpore animali, atque mortali etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam; Neque enim Enoch & Elias per tam longam ætatem senectutis marcuerunt.* Cyr. c. 15. Aug. c. 25. Id. c. 20.

Idem docuere Doctores Scholæ cum Magistro in 2.Sent.distinct.19.& S.Thomas in 1.parte summæ Theologiæ quæst.97.art.1. & perspicua ratione confirmant: nam cum hominis natura ex contrariis sit elementis conflata, necessario interitui & corruptioni obnoxia est, ac proinde ex se mortalis est, aliunde vero efficitur immortalis. Deinde,vt sequenti proprietate dicemus eadem natura humano cibo & potu indigebat; nam in cap.1. Geneseos, tum homini, tum animantibus ceteris destinantur herbæ & arborum fructus: at videmus corpus perire, si illi suus cibus detrahatur,est ergo mortale.

III. PROPRIETAS corporis est impatibilitas, quæ in eo consistebat, non quod homo non potuisset sensibus vti, videre, audire, odorari, &c. *Sentire enim*, teste Aristot. *est quoddam pati.* Item quod non potuerit alterari,augeri, dormire; nam
Gen.2. 21. somnus quædam passio corporis est. Et Gen.2.legimus: *Deum immisisse soporem in Adam*, ante peccatum,sed quod non potuerit perpeti aliquam læsionem, vel aliquid quo compositum ad corru-
Aug.14.de ciuit.c.26. ptionem disponeretur.Sic AVGVST. supra dixit, *vixisse* primum hominem in statu innocentiæ, *sine vlla egestate: Cibus*,inquit,*aderat,ne esuriret, potus,ne sitiret, nihil corruptionis in corpore, nullus intrinsecus morbus,nullus ictus metuebatur extrinsecus,nullus æstus aut frigus,nihil omnino triste erat,nihil inaniter lætum, non lassitudo fatigabat otiosum,non somnus premebat inuitum.* CVR autem homo tunc habuerit corpus impatibile, & ab omni læsione immune, quadruplex reddi causa potest. 1. Perfectissima hominis ratio & lex naturalis humano corde insculpta;nam cum

cum primus homo sapientissimus fuerit, & rebus omnibus quæ infra ipsum erant, liberè dominabatur, vt liquet ex nominibus, quæ animantibus omnibus imposuit, & ex illa Dei voce: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli*, ac proinde nouerit omnia noxia, quæ vitare poterat & debebat, fieri non potuit vt corpore aliquam læsionem vel incommodum pateretur. 2. causa fuit custodia Angelorum. Si n. in homine iusto legimus: *Dominus custodiat te ab omni malo*; Et, *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis*, multò magis in Adamum id competere debuit, qui tum temporis & iustus erat & singularis Dei amicus. 3. fuit singularis diuina prouidentia, quæ sic *tuebatur hominem*, vt ait S. Thom. *vt nihil ei occurreret ex improuiso, à quo læderetur*. Prouiderat etiam Deus ei multos arboris fructus, ex quibus si vesci nollet ad vitam sustentandam, plane peccaret; nam dixerat ei Deus; *De omni ligno comede*. Deinde ne senio ex debilitate virtutis nutrientis tabesceret ac deficeret, Deus aut per vsum ligni vitæ statuerat corroborare vim nutrientem, aut ante transferre hominem ad statum gloriæ, quam senectus accederet. 4. causa fuit iustitia originalis, quæ nō modo appetitum inferiorem rationi, sed etiam corpus animæ perfectè subiiciebat, vt homo in eo statu felicitatis incredibili pace intus & extra frueretur, nec timeret ex humorum intemperie morbos aliquos orituros. Illa autem impatibilitas, sicut & immortalitas fuit hominj primo supernaturalis.

Gen. 1. & 2. Psal. 120. 7. Psalm. 90. 11. Th. art. 2. q. cit. Gen. 2. 16.

IV. PROPRIETAS Corporis est, quod indiguerit cibo & potu. Nam Genesis primo, masculo & fœmina creatis dicitur: *Ecce, vobis dedi omnem*

Gen. 1. 29.

herbam afferentẽ semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementẽ generis sui, vt sint vobis in escam. Et cap. 2. cum hominem Deus posuisset
Gen. 2. 9. in paradiso; *Produxit*, inquit, *Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, ligniumque*
v. 16. *scientiæ boni & mali.* Et infra: *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas; In quacunque n. die comederis*
c. 26. *de eo, morte morieris.* Et S. AVGVSTIN. supra in lib. XIV. de ciuitate Dei dixit: *Cibus aderat ne esuiret, potus, ne sitiret.* Ratio quoque naturalis, id est, lex diuina in corde scripta dictabat illi necessarium vti cibis, quos Deus creauerat. Deinde, vt
Th. q. 97. argumentatur D. Thomas: corpus Adæ dicebatur
1. p. art. 3. animale, perinde atque nostrum, *nec immortalitatem habebat nisi secundum quandam vim supernaturalem*, vt in 2. Proprietate dictum est, *non autem secundum dispositionem corpori inhærentem; Vnde per actionem caloris aliquid de humore illius corporis poterat deperdi, & ne prorsus consumeretur, necesse erat per assumptionem cibi homini subueniri.*
1. Cor. 15. 44.

DVBITARE aliquis potest, an primus homo ligno quoque vitæ indiguerit ad cibum & potum; nam solo ligno scientiæ boni & mali prohibitus
Aug. l. 14. de ciu. c. 26. & l. 6. de gen. c. 25. & lib. 8. cap. 25. A. q. 19. Tho. ar. 4. q. 17. est, ne eo vesceretur. S. AVGVSTINVS libro citato tantum dicit, *adfuisse lignum vitæ ne senecta eum dissolueret.* & Auctor quæstionum veteris & noui Testamenti, ait arborẽ vitæ medicinæ modo corruptionem hominum prohibuisse. Idem sentit loco citato D. THOMAS, & addit virtutem illam ligni finitam; itaque præseruasse corpus à corruptione vsque ad determinatum tempus, *quo finito*

vel

vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam, vel indignisset iterum sumere de ligno vitæ. Sed probabilior est vetustiorum Patrum sententia asserentium lignum vitæ vel semel degustatum eam vim habuisse, vt perfectam adferret immortalitatem, qualem habebimus post resurrectionem. Et ideo Deum ante eiectionem Adæ ex paradiso, cum iam peccasset, dixisse: *Nunc ergo, ne forte mittat* (Adam) *manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum.* Et subiicitur: *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Vnde S. IRENÆVS libro tertio aduersus hæreses: *Eiecit*, inquit, *eum de paradiso, & à ligno vitæ longè transtulit, non inuidens ei lignum vitæ, sed miserans eius, vt non perseueraret semper transgressor, neque immortale esset quod esset circa eum, & malum interminabile.* Et HILARIVS in Psal. 68. verba. Quem tu percussisti, persecuti sunt: *Non pepercerat*, ait, *primo illi de terræ limo Adæ, quem de paradiso post culpam, ne lignum vitæ attingens in æternitate pœnæ maneret, eiecit.* Idem breuiter significat GREG. Nazianzenus oratione 2. de Pascha, dum ait: *Inde*, (Adam de paradiso eiectus, & à ligno vitæ separatus) *lucratur quippiam, mortem nempe, ac peccati abscissionem, ne malum esset immortale, sitque pœna misericordia*, vide in eandem sententiam Hieron. in c. 65. Isaiæ. S. Cyrill. lib. 5. contra Iulianum circa med. & Eucherium lib. 1. in Genes. S. Ioan. verò Chrysost. in Genes. notat duas arbores fuisse in paradiso præter cæteras admirabiles, vnam mortis, alteram vitæ, priorem in stipendiũ inobedientiæ, posteriorẽ in præmium obedientiæ. Idẽ scribit

Gen. 3. 12.

Iren. c. 37.

Chr. hom. 18.

Theod. q. 26. Theodoret. in Genes. Vnde sequitur, sicut arbor scientiæ semel gustata attulit necessitatem moriendi, sic arborem vitæ semel gustatam æternitatem allaturam viuendi. Et RVPERTI Tuitiensis lib. 3. in Genesin verba sunt: *Nequaquam, vt nonnulli arbitrantur, frequentandum erat necessario lignum tanquam perpetuandæ vitæ transitiuum medicamentum, sed semel hoc sumpto viueret in æternum.* Plura vide apud Illustriss. Cardinalem Bellarminum, 3. tom. controuersia prima, c. 18. & 19.

Rup. c. 30.

V. PROPRIETAS est, quod ratione corporis propaganda quoque fuerit in Statu innocentiæ, species humana per naturalem generationem. Primo, quia Scriptura aperte dicit, *Masculum & fœminam fecit eos.* Et mox subiecit, *benedixitque eis & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram*, quomodo autem multiplicarentur nisi per propagationem, sicut percepta benedictione propagata sunt & alia animalia? Eodem spectat, quod Genesis 2. Adam dixit: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, scilicet per copulam carnalem, vt Apostolus interpretatur, quod certe Adæ oraculum fuit propheticum, & impleri debuit, etsi nunquam peccasset.

Gen. 1. 17.

Gen. 2. 24.

1. Cor. 6. 17.

DEINDE INNOCENT. III. Papa in Concilio Lateranensi, vt patet ex cap. *Damnamus*, extra de summa Trinitate & fide Catholica, damnauit omnes errores Armacani hæretici, inter quos fuit: *Quod si homo non peccasset, in duplicem sexum non partitus fuisset, nec generasset, sed eodem modo, quo angeli sancti multiplicati fuissent homines.*

TERTIO S. AVGVSTIN. semper asseuerat fore ibi generationem, sed sine vitio, vt in lib. 14. de ciuitate

ciuitate Dei, cap. 22. 23. 24. & 26. Et lib. 9. super Genesi ad litteram c. 10. Et lib. 1. Retractat. c. 10. 13. & 19. vbi retractat, quod lib. 1. de Genesi contra Manichæos c. 19. dixerat, non fuisse futuras hominum affinitates & cognationes per generationem filiorum, nisi homo peccasset. Ponam verba ex 9. super Genesi: *Cur*, inquit, *non credamus illos homines ante peccatum ita genitalibus membris ad procreandos filios imperare potuisse, sicut cæteris, quæ in quolibet opere anima sine vlla molestia, & quasi pruritu voluptatis mouet? Si enim creator omnipotens ineffabiliter laudandus, qui & in minimis suis operibus magnus est, apibus donauit, vt sic operentur generationem filiorum, quemadmodum ceræ speciem, liquoremque mellis, cur incredibile videatur primis hominibus talia fecisse corpora, vt si non peccassent, & morbum quendam, quo morerentur continuò concepissent, eo nutu imperarent membris, quibus fœtus exoritur, quo pedibus, cum ambulatur, vt neque cum ardore seminaretur, neque cum dolore pareretur?* Et in 14. de Ciuitate Dei; *In tanta*, ait, *facilitate rerum & felicitate hominum, absit vt suspicemur non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cetera: & sine ardoris illecebroso stimulo cum tranquillitate animi & corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus vxoris. Neque enim quia experientia probari non potest, ideo credendum non est, quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, sed spontanea potestas, sicut opus esset, adhiberet. Ita tunc potuisse vtero coniugis salua integritate feminei genitalis virile semen immitti: sicut nunc potest eadem integritate salua ex vtero Virginis fluxus menstrui cruoris emitti.* Hæc AVGVSTINVS. A.c.10. A.c.26.

CAPVT III.

De Proprietatibus animæ humanæ cum suis potentiis, intellectu & voluntate: & primo de Intellectu.

PRIMA Proprietas, quoad Intellectū est, Quod Adam in statu Innocentiæ multo perfectiorem cognitionem de Deo habuerit, quam nos modo habemus, vt omnes Theologi sentiunt. Nam sine distractione sensuum totam mentem homo intendere poterat in notitiam effectuum Dei immaterialium & intelligibilium, qui DEVM perfectius, quam alij effectus repræsentant: Erant enim tunc inferiores animi vires omnino rationi subiectæ, quæ in statu naturæ corruptæ iam non
Sap.9.15. sunt, iuxta illud Sapientis: *Corpus quod corrumpitur aggrat animam, & terrena inhabitatio impedit sensum*
Aug.c.10. *multa cogitantem.* Quocirca S. AVGVSTINVS libro 14. de ciuitate Dei, censet primum hominem in statu innocentiæ, antequam peccaret, fuisse beatum, non de perfecta beatitudine, quæ in clara DEI visione consistit, & è qua nemo potest excidere, sed de imperfecta quadam hominis felicitate locutus est, quod *nec mors tum metuebatur*, vt
A.c.18. loquitur ibi Augustinus, *neque vlla corporis mala valetudo.* Vnde ipse lib. 11. de Genes. ad litteram fatetur Adam tunc fuisse beatum, *modo quodam inferiori, quàm in illa vita Sanctorum, supercœlestiumque Angelorum, non tamen nullo.*

II. PROPRIETAS est, quod multo perfectiorem notitiam de angelis vel substātiis immaterialibus habuerit, quā nos. Quam perfectionem
Greg.c.1. agnouisse videtur B. GREGORIVS cum libro dialo

dialogorum 4. scribit: *assueuisse hominem in paradiso Verbo Dei perfrui, & bonorũ angelorũ spiritibus cordis munditia & celsitudine visionis interesse.* Vnde etsi Adam tum in cognoscendo indiguerit vsu phantasmatum (& ideo clarè & quidditatiuè teste D. Thoma cognoscere angelos non potuit) agnouit tamen illos quàm nos excellentius. Th. 1. p. q. 94. a. 2.

III. PROPRIETAS est, quod ab initio diuinitus inditam notitiam habuerit omnium earum rerũ, quæ vel ex primis principiis per se notis sciri possunt, vel ad alios gubernãdos sciri debent. Nam vt fuit ab initio præditus facultate generandi propterea quod vt principium generis humani condebatur, ita etiam oportuit illum ab initio pollere scientia eiusmodi rerum, cum institueretur quoque magister & caput ceterorum.

IV. PROPRIETAS est, quod ab initio habuerit etiam notitiam aliquot mysteriorũ fidei supernaturalium. Cognouit siquidẽ mysterium coniunctionis Christi & Ecclesiæ, vt docet S. AVGVSTINVS lib. 9. super Genesin ad litteram, & probat ex verbis Adæ dicẽtis: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* In quibus dixit Apostolus contineri, *sacramentum magnum Christi & Ecclesiæ.* Quæ Adæ verba expendens B. PROSPER libro de promissionibus & prædictionibus. *Ex latere Christi,* inquit, *in cruce pendentis formandam, vt factum est, præuidit Ecclesiam.* 2. Videtur Adam etiam cognouisse per fidem Deum vt auctorem donorũ supernaturalium, & remuneratorẽ per supernaturale munus gloriæ, iuxta illud Heb. 11. *Accedentẽ ad Deũ oportet credere, quia est, & quod inquirẽtibus se remunerator est.* Quod intelligi debet de auctore & remuneratore Aug. c. vlt. Gen. 2. 23. Eph. 5. 32. Prosp. c. 2.

super

supernaturali: loquitur enim ibi Apostolus de actu credendi, qui sit actus eius fidei, quam definierat in eadem epistol. ad Hebræos, *substantiam sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Res autem non apparentes sunt supernaturales. 3. S. EPIPHANIVS initio Panarij asserit ab eo initio creditum mysterium S. Trinitatis: *Adam*, ait, *protoplastus formatus est. Non autem erat idololatra. Et nouit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum sanctum: Propheta enim erat. Et nouit quod Pater dixit Filio: Faciamus hominem ad imaginem.* S. THOMAS in 22. quæst. 2. putat, Adamum etiam cognouisse mysterium incarnationis, quatenus institutum fuit ad perficiendos homines per gloriam claræ visionis, non autem quatenus institutum est ad liberandum humanum genus à peccato: non enim præsciuit Adam se peccaturum, vt genus humanum egeret redemptione, vt etiam tradit S. AVGVSTINVS lib. 11. super Genesin.

Th. q. 2. a. 7.

Aug. c. 18.

V. PROPRIETAS est, quod Adam, dum in statu Innocentiæ fuit, non potuit decipi, ne in illis quidem, quæ naturaliter cognoscere non poterat, vt sunt cogitationes & affectiones internæ mentis alterius, & quæ nihil ad eius gubernationem pertinebant. Nam S. AVGVSTINVS lib. 3. de libero arbitrio, scripsit, approbare vera pro falsis, non esse naturam instituti hominis, sed pœnam damnati. Itaque in illo statu, si quis etiam circa res singulares apertè falsa narrasset, non potuisset decipi, teste D. Thoma, sed cohibuisset absolutum assensum: Nam vt cum eo ait AVGVSTINVS lib. 11. ad litteram de Genesi, nec Eua creditura fuisset diabolo, vel serpenti, (nam ait: Serpens decipit me) nisi

Aug. c. 12.

Th. a. 4. ad 5.

Aug c. 30.

Gen. 3. 13.

nisi iam fuisset in eius mente *amor propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio.* Itaque iam per hoc superbiæ peccatum exciderat ex statu Innocentiæ, cum est decepta.

QVÆRES, An Adæ scientia & sapientia in illo statu fuerit perfectior, quam postea fuerit Salomonis, de quo lib. 3. Regum scriptum est: *Dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Et rursus dicitur: *Sapientiam Salomonis præcessisse sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum.* Respondeo fuisse perfectiorem, nec mirum, quia Adam ibi erat tanquam Magister & gubernator omnium posterorum institutus. Historia autem Regum comparauit Salomonem tantum cum eiusdem generis hominibus in statu naturæ corruptæ constitutis. 3. Reg. 3. 13. Ibid. c. 4. 30.

CAPVT IV.

De Proprietatibus animæ in eo statu quoad voluntatem.

IN statu Innocētiæ primus homo quoad voluntatem duas generatim habuit in anima proprietates. Primo, quod esset conditus in gratia. Secundo, quod conditus in iustitia originali. Prius dicemus de gratia, quæ tres quasi effectus formales ratione inter se distinctos habebat. PRIMO enim ita hominem reddebat gratum & acceptum DEO, vt tanquam filius adoptiuus ius haberet ad supernaturalem beatitudinem, velut ad hęreditatem paternam. 2. Præstabat homini facultatem præstandi omnia diuina præcepta etiam supernaturalia, licet aliquando potuerit actuali Dei egere auxilio. 3. Reddebat meritoria opera beatitudinis. Communis

Th.q.94. a.1. nis ergo sententia Theologorum, S.Thomæ consentientium est hominem primum conditum in gratia gratum faciente. Quod probatur primo eo,

Gen.1.26. quod Deus Genesis 1. disertè dixerit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Omnes autem Patres fere docuerunt *imaginem* ad naturam, nempe liberum arbitrium, *similitudinem*, verò ad *virtutes* pertinere, & Adamum peccādo non imaginem Dei, vt fabulantur hæretici nostri temporis, sed similitudinem tantum perdidisse. Ita Irenæus lib.5.cap.6. Cyprian. de patientia, Chrysostomus hom. 9. in Genesin. Augustinus contra Adimantum, cap.5. Bernardus serm.1. de annunciat. citati à Bellarmino libro de gratia primi hominis,

Tom.3. Eccl.7.11. cap.2. Deinde Sapiens dicit: *Creauit Deus initio hominem rectum.* & vt alibi ait: *secundum se vestiuit il-*

Eccl.17.2. *lum virtute.* Apostolus quoque dicit nos per Christum renouari ad eam iustitiam, in qua initio conditi sumus: *Renouamini*, inquit, *Spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Similis locus

Eph.4.24. Col.3.10. est in epist. ad Colos. vult autem spiritu mentis nostræ nos reuocari, vt intelligamus in Adamo nō solum carnem, sed etiam mentem nostram fuisse vitiatam, & quia nunc non renouamur ad eam innocentiam, quæ in carne primi hominis fuit, sed eam quæ in mente est tantum.

A.can.19. Idem docet Conc. Arausicanum II. *Natura*, inquit, *humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret: vnde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* At reparamus gratiam

gratum

gratum facientem, hanc igitur in Adamo perdidimus. Et Conc. TRIDENT. in decreto de Peccato originali, ait: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus statim sanctitatem & iustitiam, in qua constitutus fuerat amisisse, anathema sit.* Fuit ergo Adam sanctus, at sanctos non facit nisi Spiritus sanctus per gratiam inhabitans corda hominum, vt S. Basilius docet de Spiritu sancto. Tr. sess. 5. Basil. c. 16.

NON aliud docuere S. Patres. IRENÆVS lib. 3. cõtra hæreses: *Quoniam eam quã habui* (ego Adam) *à Spiritu sanctitatis stolam amisi per inobedientiam.* S. CYPRIAN. de bono patiẽtiæ: *Adam contra præceptum cœleste cibi lethalis impatiẽs in mortem cecidit, nec acceptam diuinitus gratiam patientia custode seruauit.* S. AVGVSTINVS lib. de correptione & gratia: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? immò verò habuit magnam, sed disparem.* Et infrà: *Nec ipsum DEVS esse voluit sine sua gratia, quẽ reliquit in eius libero arbitrio.* S. CYRILLVS lib. 2. in Ioan. *Fuit Adam in paradiso, quousq; gratiam creatoris Spiritu sancto inhabitãte seruauit.* S. LEO I. de ieiunio decimi: *Ad quam quotidie nos vtiq; reparat gratia Saluatoris, dum quod cecidit in Adã primo, erigitur in secundo.* Hactenus de gratia. Ir. c. 37. Cyp. serm. 3. Cyr. c. 3. L. serm. 1.

II. PROPRIETAS animæ quoad voluntatem est, quod homo in eo statu etiã conditus sit in iustitia originali. Hæc autẽ iustitia proprios quosdam habuit effectus. PRIMO enim superiorem partem animæ, id est, rationem ac mentẽ ita Deo subiiciebat, vt posset homo eiusdem beneficio seruare omnia naturalia præcepta sine culpa etiam veniali. 2. inferiorem animi partem, puta sensitiuam penitus subiiciebat parti superiori, ita vt nunquã nisi

ex

ex præscripto rationis moueretur. 3. subiiciebat etiam corpus animæ, sic vt neque animam vllo modo aggrauaret, neque aliquo modo immutari posset contra volũtatem, ac naturalem animę propẽsionem, vt immutatur iam per morbos & mortem, & res alias noxias. Vocatur autem donum illud Originalis iustitia, quia illud homo statim accepit in sui origine, & posteri, si Adam non peccasset, cum sui origine accepissent, velut supernaturale Donum.

PROBATVR autem hæc proprietas primo ex Scripturis, quia Ecclesiastis 7. absolutè dicitur: *Deus ab initio fecisse hominem rectum.* Rectus autem fuit, quando mens Deo, sensus rationi, corpus animæ fuit obsecutum. Et Psal. 8. sic describitur prima hominis creatio: *Quid est homo? quia memor es eius, aut filius hominis: quia visitas eum? minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Casus autem eius describitur in Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Miratur Vates, hominem natura mortalem ad eam gloriam euectum, vt parum abesset ab angelis, gloria autem & honor sine dubio donum extrinsecũ & superadditum designat.

Deinde ex Patribus. Nam S. AVGVSTINVS lib. 13. de ciuitat. Dei, *Posteaquam*, inquit, *transgressio præcepti facta est, gratia deserente diuina, de corporum suorum nuditate confusi sunt.* Et libro 11. de Genesi: *Mox*, inquit, *vt præceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente, omnino nudati in sua membra oculos iniecerunt.* Et libro 4. in Iulianum; *Quid est gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum.*

Eccl. 7. 11.

Psal. 8. 6.

Psalm. 48. 21.

Aug. c. 13.

Id. c. 31.

Id. c. vlt.

nudatum, quod gratia contegebat? gratia quippe magna Dei ibi erat, vbi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat: Qui ergo vestitus gratiam non habebat in suo corpore, quod puderet, spoliatus gratia, sensit, quod operire deberet. Vides hic iustitiam originalem primi hominis semper gratiam nominari, vides indumento, quod extrinsecus humano corpori superadditur, comparari. Vides animalem libidinem ex magna gratia corpus Adami terrenum in illo statu caruisse. CHRYSOSTOMVS quoque homil. 15. in Genes. de Adamo & Eua, qui cum nudi essent, tamen ob iustitiam originalem non erubescebant, ita loquitur: *Gloria, inquit, quæ superne venerat, vestiti erant.* Vbi vides iustitiam originalem comparari indumento supernè venienti, non ex naturæ principiis, vt hæretici dictitant. Et CYRILLVS lib. 1. in Ioannem, de Adamo loquens: *Participatione luminis, ait, splendet super naturam suam glorificantis Dei gratia, & variis donorum ornamentis ascendens.* Et infra: *Misericors enim verè Dominus est, qui creaturam paruam atque abiectam secundum naturam, magnam atque mirabilem efficit sua bonitate.* Et cap. 13. *Creatura cum serua sit, nutu solum & voluntate Patris ad supernaturalia vocatur.* S. AMBROSIVS libro de Isaac & anima: *Nec Adam nudus erat, quando eum innocentia vestiebat.* Et libro 2. de Iacob: Sic despoliatus *Adam, nudus inuentus est.* Innocentiæ vestem gratuitam fuisse, & superadditum quid indicat, tum vestis appellatio, tum idem Auctor scribens in Lucam, vbi explicans parabolam eius qui incidit in latrones: *Qui sunt, ait, latrones, nisi angeli noctis & tenebrarum? Hi ante despoliant, quæ accepimus*

Cyril. c. 9.

Amb. c. 5.

A. c. 5.

Luc. 10. 30.

indumenta gratiæ spiritualis, & sic vulnera inferre consueuerunt? Denique S. BERNARDVS de annunciatione, dicit Adamum amisisse indumenta virtutum, & similitudinem ad Deum, non autem imaginem diuinam, *quia illa*, vt ipse loquitur, *non erat assuta, sed insita, atque ipsi impressa naturæ*. Itaque secundum Bernardum iustitia originalis non erat ipsi impressa naturæ, vt donum naturale, sed extrinsecus addita, vt dona supernaturalia. Quemadmodum autem gratia gratum faciens, à iustitia originali distinguatur, reipsa an ratione, disputandum relinquimus Scholæ Theologis.

Bern. ser. 1.

III. PROPRIETAS est, quod homo primus in statu innocentiæ multo excellentius habuit in animantia bruta dominium, quam iam habeat. Tunc enim ad nutum homini seruiebant, siquidem, vt ait S. AVGVSTINVS libro 14. de ciuit. DEI, *nullum bonum in illo statu deerat, quod bona voluntas adipisceretur*. Ita autem seruiebant ad nutum, vt homo aliquam significationem imperij illis dare debuerit, quod abstentibus non potuit; vnde congregatio illa animalium, cum adducta leguntur Gen. 3. ad Adam, vt imponerentur eis nomina, facta fuit ministerio angelorum, teste D. AVGVSTINO libro 9. super Genesin. Nec excipiendæ sunt vllæ bestiæ, vt fecit B. THEODORETVS quæst. 10. in Genesin, vt cæte aut magnæ balenæ in mari, quasi illæ non subiectæ fuerint hominis imperio: nam apertè S. Scriptura in omnia animalia dat homini imperium. Nam Genes. 1. dicitur: *Dominamini vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram: Et præsit piscibus maris & volatilibus cœli & bestijs terræ*. Cæte autem quædam bestiæ sunt.

Aug. c. 10.

Aug. c. 14.

Gen. 1. 28.

Deinde

Deinde BASILIVS in Hexæmeron, & GREG. NYSSENVS in verba illa: *Faciamus hominem*, nominatim ostendunt, hominem obtinuisse dominium in cæte & balenas. Immò etiam post peccatum Scriptura nullam bestiarum excepit à dominio hominis. Nam Genes. 9. dicitur: *Terror vester ac timor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli cum vniuersis quæ mouentur super terram: Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* Et Iacobi 3. *Omnis natura bestiarum & volucrum & serpentum, & cæterorum domita sunt à natura humana.* Gen. 9. 2. Iac. 3. 7.

RESTABAT, vt de loco Status Innocentiæ, hoc est, de PARADISO aliquid doceremus. Sed quia variæ, etiam inter Patres, de eo sunt opiniones, disputationem illam omittemus.

VIDE V. De Statu Gratiæ & Naturæ.

DE IVDICVM STATV.

CAPVT I.

Quid Iudicum nomine, Iudicij & Iustitiæ, intelligatur.

IVDICIS nomine intelligimus talem, qualem describit Christus apud S. Matthæum, cum ait: *Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.* Et apud Lucã: *Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autẽ quæda erat in ciuitate illa, & veniebat ad eũ dicens: Vindica me de aduersario. Et nolebat per multũ tempus.* Matth. 5. 25. Luc. 18. 2.

Post hæc autem dixit intra se. Et si Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta mihi est hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me.

DVPLICES autem possunt esse huiusmodi Iudices, seculares vel politici; & Spirituales vel Ecclesiastici, quales suo æuo bonus rex IOSAPHAT
2. Par. 19. 5. constituit; De primis ait REGVM historia: *Constituitque iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca, & præcipiens iudicibus, Videte, ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium.* Et paulo post de secundis: *In Ierusalem constituit Iosaphat Leuitas, & Sacerdotes & Principes familiarum ex Israhel, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius, præcepitque eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto: Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem & cognationem, vbicunque quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus ostendite eis vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros.*

A IVDICIBVS vox Iudicij sumitur: licet enim in diuinis litteris crebro, *facere iudicium & iustitiam*, pro eodem vsurpentur, propriè tamen & strictè hoc loco pro sententia iuris voce prolata accipimus, qua in controuersiis ciuilibus vel Ecclesiasticis Iudex decernit, quid cui sit debitum. Hoc enim propriè vocatur *Iudicium*, quasi *Iurisdictio*. Et quamuis hac ratione sit actio à scientia iuris dimanans, est tamen etiam actus iustitiæ, tum vt causæ disponentis, quia iustitiæ affectus inclinat iudicem, vt velit sententiam iustam deferre, ac proinde incitat eum, vt causam diligenter examinet. Deinde occulta quadam consensione facit, vt ea

vt ea quæ iusta sunt, illi etiam iusta videantur. Quisque enim iudicat secundum suos affectus, ideo quod affectus facit, vt res intelligentiæ conueniens videatur, & amplectendum. Quæ eo veriora sunt, quod, vt notauit in Psalmum 118. S. AVGVSTINVS constet vocem Iudicij sæpe in Scripturis ita accipi, vt si rectum non fuerit, & iustitiæ, nomenclaturam iudicij non mereatur; *Non mirum est*, inquit, *eum fecisse iudicium & iustitiam, qui superius popposcerat à timore vtique casto configi clauis carnes suas, hoc est, carnales concupiscentias, quæ solent, quo minus rectum sit, nostrum impedire iudicium: Quamuis autem siue rectum, siue prauum in quotidiano nostri sermonis vsu iudicium nuncupetur, vnde hominibus in Euangelio dicimus: Nolite iudicare personaliter, sed rectum iudicium iudicate: tamen hoc loco ita positum est iudicium, tanquam, si hoc rectum non fuerit, non debeat iudicium nominari, alioquin non sufficeret dicere, feci iudicium, sed diceretur, feci rectum iudicium: Hoc genere locutus est Dominus IESVS vbi ait: relinquitis grauiora legis, iudicium, misericordiam & fidem: Et hic enim iudicium sic positum est, tanquam non sit iudicium si peruersum est: Et multis diuinarum Scripturarum locis ita ponitur: Iustitia verò non solet bona dici iustitia, vel mala iustitia, sicut aliquando dicitur, bonum malúmve iudicium.* Aug. con. 26. Ioan. 7. 24. Matth. 23. 23.

CAPVT II.

De dignitate Status Iudicum.

DIGNITAS Status Iudicum ex sola sacræ Scripturæ phrasi cognosci potest. Nam olim omnes populi Principes, qui summũ Magistratum

apud fideles gesserunt, siue Politicum siue Ecclesiasticum, Iudices appellati, & iudicandi munus præcipue eis attributum. Ita enim loquitur Iethro ad Moysen in Exodo: *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populo omni tempore quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantum iudicent.* Exod.18. 21.

Et Moyses in Deuteronomio: *Non valeo*, ait ad populum, *solus negotia vestra sustinere, & pondus ac iurgia: Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis Principes: Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere: tulique de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos Principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula: præcepique eis dicens: Audite illos, & quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus.* Deut.1.12. Sap.6.1. Et Sapiens: *Audite ergo Reges & intelligite, discite Iudices finium terræ: Prabete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum.* Certe Iudices rexerunt populum Israëliticum circa trecentos quinquaginta annos, vt ait S. STEPHANVS in Actorum Apostolicorum historia. Act.13.20.

II. DIGNITAS Iudicum ex eo ostenditur, quod Scriptura non dubitat eorũ iudicium, quantumuis humanum, Dei iudicium nuncupare: Nam Sapiens cum dictos Iudices dixisset placere sibi in turbis nationum, mox addit: *Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam* Sap.6.4.

niam cum ministri esseris regni illius, non recte iudicastis.
Et in Deuteron. ad eosdem: *Nulla erit distantia per-* Deut. 1. 17.
sonarum, ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis
cuiusquam personam, quia DEI iudicium est. IOSA- 2. Paral.
PHAT Rex quoque dixit ad Iudices suos: *Videte,* 19. 6.
quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed
Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redunda-
bit. Vnde cum Samuelis filij constituti iudices per-
peram rexissent populum, & ideo à Domino Re-
gem populus pro illis iudicibus petiisset, *dixit Do-* 1. Reg. 8. 7.
minus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus,
quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne
regnem super eos. Et Christus in Euangelio ad Apo-
stolos iam iudices Ecclesiæ spirituales: *Qui vos au-* Luc. 10.
dit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Et denique 16.
Apostolus: *Non est potestas nisi à Deo: Itaque qui re-* Rom. 13.
sistit potestati, Dei ordinationi resistit: Qui autem resi- 1.
stunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Imò S. HIE-
RON. in c. 45. Ezechielis, probat Iudices vocari
Deos, *ex illo Psalmi 81. Deus stetit in synagoga Deo-*
rum; in medio autem Deos diudicat, Deos appellans, qui
de hominibus habent iudicandi potestatem.

III. DIGNITAS inde demonstratur, quod Spiritus sanctus in Scripturis grauissimam censu-
ram ferat in prauos Iudices. Incipiam à vate IE-
REMIA, qui nomine Domini ista loquitur ad
suos: *Quia inuenti sunt in populo meo impij insidiantes* Ierem. 5.
quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos 26.
viros: Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum
plena dolo, ideo magnificati sunt, & ditati, incrassati sunt,
& impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè:
Causam viduæ non iudicauerunt, & causam pupilli non
direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt:

Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem huiuscemodi non vlciscetur anima mea? Stupor & mirabilia facta sunt in terra, Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia, quid igitur fiet in
Isa.c.10.1. *nouissimo eius?* DEINDE B. ISAIAS: *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperem, & vim facerent causæ humilium populi mei: vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent: Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longe venientis, ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam vestram, ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis: Super omnibus his non auersus est furor eius, sed adhuc*
Sap.6.5. *manus eius extenta.* Et SAPIENS loco citato: *Cum essetis ministri regni illius non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis: Horrendè & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet: Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur: Non enim subtrahet personam cuiusquam DEVS, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam & pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura est de omnibus: Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Ex hac grauissima censura liquet, quanto in loco apud DEVM sint boni, & omnibus numeris absoluti Iudices, in quo conueniunt omnia piorum Iudicum encomia, de quibus iam agendum.

IV. Hoc ad dignitatem Statu Iudicum quoque pertinere potest, quod post hãc vitam Apostolicæ
Matth.19. 28. perfectioni singularis velut remuneratio à Christo attributa est, quod super sedes duodecim Israël sessuri

sessuri sunt, & iudicaturi duodecim tribus Israel. S. PAVLVS verò eodem respiciens: *An nescitis*, inquit in priori ad Corinthios, *quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis secularia?* Immò & Sapiens de iustis: *Iudicabunt nationes, & dominabũtur populis.* 1.Cor.6.2. Sap.3.8.

CAPVT III.

De Officio vel proprietatibus Iudicum.

SPIRITVS sanctus in Verbo suo diuino diligenter functionem Iudicum, eorúmque proprietates persequitur, proculdubio, quia locũ DEI in vtraque Republica occupant, & quasi Deorum corporeorum munere quodam funguntur. Quoniam autem hoc officium multas virtutes magnásque requirit, non omisit commonefacere mortales, ne facile prouinciam alios iudicandi affectent, vt in Ecclesiast. *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua. Non pecces in multitudinem ciuitatis, nec te immittas in populum, neque alliges duplicia peccata, nec enim in vno eris immunis.* Quod sapientis dictum referendum maximè est ad iniquitates alienas, vt indicetur ad Iudicis officium pertinere, vt viriliter resistat, impediat & frangat impiorum conatus, vimque eorum contra se, vel innocentes illatam præclarè vindicet. Eccl.7.6.

II. PROPRIETAS est, notitiam rei, de qua iudicium ferendum, habere, vnde Psaltes regius clamat, *erudimini qui iudicatis terram.* Certe, DEVS ipse, licet omnium conscius, de Sodomia & Gomorrha laturus iudicium, dixit Abrahæ: *Descen-* Psal.2.10. Gen.18.21.

dam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Et Propheta
Dan.13.51. Daniel pro Susanna laturus iudicium contra duos senes Babylonios, alterum ab altero separari iussit, vt seorsim eos examinare de veritate posset. Vn-
Prou.18. de SALOMON in Prouerbiis: *Qui prius respondet,*
13. *quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione*
Aug.c.6. *dignum.* S. AVGVSTINVS certe in libro 19. ciuitatis DEI, non dubitat affirmare, *ignorantiam Iudicis plerúmque esse calamitatem innocentis: Eo quod est intolerabilius*, addit, *magísque plangendum, rigandúmque, si fieri possit, fontibus lachrymarum: cum propterea Iudex torquet accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiæ miseriam, vt & tortum & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torse-*
Iob 29.16. *rat.* Vnde IOB bonum exemplum Iudicibus præbens: *Causam*, ait, *quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.*

III. PROPRIETAS. Timere Deum supremum Iudicem: quare DAVID rex, cum dixisset:
Psal. 2.11. *Erudimini qui iudicatis terram*, statim subiecit: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et
Exod.18. Moysi in Exodo consultum est: *Prouide de omni ple-*
21. *be viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veri-*
2. Paral.7. *tas.* Ioſaphat quoque rex Iudicibus terræ à se constitutis dixit: *Sit Timor Domini vobiscum.* Deinde Leuitis & Sacerdotibus: *Sic agatis in timore Dei*
Greg. lib. *fideliter, & corde perfecto.* Vnde S. GREGOR. ad
2.ep.27. Gregorium Marmianum Abbatem scribens de quodam iniustè damnato: *Huius*, inquit, *præcepti vos pagina necessario duximus adhortandos, quatenus nullius personam attendentes, sed DEI timorem habētes præ oculis, ibi cum omni æquitate, si qua vobis de eo dicta*

dicta fuerint, memores futuri iudicij subtili debeatis indagatione perquirere.

IV. PROPRIETAS. Sapientia & prudentia singularis. Hoc enim primum est, quod Iethro à Moyse in iudicū electione postulauit: *Prouide de omni plebe viros sapientes, qui iudicent populum omni tempore.* Hoc à Moyse & Deus exegit: *Iudices*, ait, *& Magistros cōstitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Iudex Sapiens*, ait Syracides, *iudicabit populū suū, & principatus sensati stabilis erit. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius.* B. HIERONYMVS scribens in verba Isaiæ: *Quærite iudicem. Ostendit*, ait, *non omnium esse rectè iudicare, sed eorum qui prudentes sunt. Et Salomon in visione per somnū hoc à Deo postulauit vt accepta sapientia iustè populum iudicaret.* Hāc maxime ostēdit Salomon cum de controuersia meretricum cæteroqui occultissima, prudentissimum iudicium tulit, de quo S. BASILIVS prolixè in principium Prouerbiorum: *Nosse*, inquit, *diligenter iustitiam facit vt rem rectè iudicare possimus. Impossibile namque non versatum exercitatumq; in iusti cognitione rem dubiam, & in controuersia positam bene ac ordine digerere. Neque ipse Salomon nisi in hac iustitiæ scientia diligenter instructus fuisset, illud tam vulgatum de puero duarū meretricū iudiciū tam probè proferre potuisset. Quoniā enim sine testibus hac gesta erant ad naturā cucurrit, ac per ipsā, quæ incognita erāt, inuenit.* Exod. 18. 21. Deut. 16. 18. Sap. 10. 1. Isa. 1. 17. 3. Reg. 13. 16. Basil. hom. 12.

V. PROPRIETAS vt in iudicio ferendo omnis absit affectus & perturbatio. Eandem prosequitur Basilius loco citato his verbis: *Quemadmodum is qui sagittam tendens ad metam dirigit, nec vltra, nec citra, nec vtrobiq; errādo à via proposita excidat:* B. l. cit.

ita

ita rectus iudex facilitabit, nec in iudicando personam accipiet. Noscet enim quod minimè ad rem faciet. Neque item prouocatione aut contentione aget, sed rectum ac minimè obliquũ proferet iudicium. Quid si duo inciderint iudicanda, alterum quidem plus æquò habens, alterum verò minus? diligentis erit iudicis partes adæquare, tantúmque ab eo qui plus habet demet, quantum illi cui iniuria fit, deesse videbit. Hinc igitur Psalmus ait. Itaque si verè iustitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum. Argumentum namque iusti, affectus est in iudicando rectitudo. Vnde S. HIERONYMVS scribens in verba Iob vel Elia: *Non te ergo superet ira. Optimus,* inquit, *iudex est, qui his pessimis iracundia & cupiditate duobus vitiis non tenetur, quibus loco ab Helia sanctus vir correptus arguitur.* Et B. ISIDORVS lib. 3. de Summo bono: *Quidam,* ait, *dum iudicare incipiunt irascũtur, ipsamq; iudicij sententiam in insaniam vertunt. De quibus rectè per Prophetam dicitur: Qui conuertunt in furorem iudicium. Qui enim iratus iudicat, in furorem iudicium mutat, cum ante profert sententiam, quam cognoscat.* Et hoc est quod in Scripturis dicitur: *Iudicium verum iudicare, veritatem & iudicium iudicare. Non à veritate deuiare. Non declinare à veritate iudicij, non cognoscere in iudicio faciem.*

H. in Iob 36.

Isid. c. 56.

Zach. 7. & 8. Exod. 23. Prou. 18. 28.

VI. PROPRIETAS, vt in iudicio ferendo absit personarum acceptio, contra quam fusè egimus in PANARIO, *V. Personarum acceptio.*

VII. PROPRIETAS, vt absit Munerũ corruptela, de qua prolixè in eodẽ *V. Munerũ corruptela.*

VIII. PROPRIETAS, vt iudicio semper misceat misericordiam: sic enim propius accedet ad proprietates summi Iudicis Dei, qui vt ait rex DAVID, *diligit misericordiam & iudicium: misericordia Domini*

Psal. 32. 5.

Domini plena est terra. Quam merito omnes iudices imitari debent. Nam, vt ait B. IACOBVS: *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Iac. 2. 13. Exemplum huius clementiæ luculentum præbuit apud B. Ioannem Christus, cum à Iudæis rogatus, an mulierem in adulterio deprehensam fas esset lapidare, iudicium à lege latum misericordia temperauit. De quo præclare S. AVGVSTINVS in epistola ad Macedonium: *Licet accusatoris,* inquit, *alia persona sit, alia defensoris, alia intercessoris, alia Iudicis, de quorum officiis nimis longum est, & non necessarium, hoc sermone disserere. Sic tamẽ etiam ipsos criminum vltores non suarum, sed alienarum examinatarum iniuriarum vindices, quales Iudices esse debent, terruit censura diuina, vt cogitarent sibi propter peccata sua DEI misericordiam necessariam. Nam cum ad Dominum Christum Iudæi adduxissent mulierem in adulterio comprehensam, eúmque tentantes, quod iussa esset lege lapidari, ac deinde quærerent, quid de illa præciperet. Respondit eis: Qui sine peccato est vestrûm, prior in eam lapidem iaciat. Ita nec legem improbauit, quæ huiusmodi ream iussit occidi, & illos terrendo ad misericordiam reuocauit, quorum iudicio hæc posset occidi. Puto quod hac sententia Domini audita, si præsens fuit maritus ipse, qui violatam sui thori fidem vindicari postulabat, exterritus animum ad voluntatem parcendi ab vlciscendi cupiditate deflexit. Nam quomodo est admonitus accusator, ne suas persequeretur iniurias, quãdo ipsi sunt ita à iudicando prohibiti, qui in adultera punienda, non priuato dolori compellebantur seruire, sed legi?* Aug. epist. 54. Ioan. 8. 3. Et in epistola ad Marcellinum; *Soleo enim audire,* ait, *in potestate Iudicis esse mollire sententiam, & mitius vindicare, quam vindicant leges.* A. ep. 1. c. 9.

IX. PRO

IX. PROPRIETAS, vt maxime sibi commendatos habeat pupillos, orphanos, viduas, peregrinos, pauperes & omnes oppressos: *Iudicate egeno & pupillo* ait Psaltes, *humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Quod iustum est iudicate*, ait DEVS in Deuteronomio, *siue sit ciuis ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum.* Et Ecclesiasticus; *In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum.* Et Esaias; *Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me, dicit Dominus.* Et Ieremias; *Causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt.* Et rursum; *Facite iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimatis inique.*

Psal. 81.3.
Deut. 1. 16.
Eccl. 4.10.
Isa. 1.17.
Ier. 5.28.
Ier. 12.3.

CAPVT IV.

Quando Iudices delinquant illegitima Iudicij vsurpatione.

IVDICIS munere qui legitime fungitur, (qualem hactenus descripsimus) auctoritatem debet habere, tum in personas iudicandas, tum etiam in causas earum, quas tractauerint, vt non sint v. cap. peculiari lege exemptæ. Quocirca omnes delinquunt vsurpatione Iudicij, qui vel absolute iudicant eum, qui ipsis non est subditus, vel certe non in iis causis, de quibus iudicium pronunciatur, ac proinde talium iudicum irrita est sententia, ab omni obligatione immunis.

QVINQVE autē modis potest quis alteri subiectus

tectus esse, vt ab eo iudicari queat. Primo quidem ratione potestatis Ordinariæ, quo pacto fideles Pontifici Romano & Episcopis suis, & ciues suo regi sunt subiecti. 2. Ratione potestatis delegatæ, quo modo Legato Apostolico subsunt Prouinciæ, ad quas ipsius delegatio se extendit, & ciues pertinent ad Proregem vel Gubernatorem vrbis vel ditionis. Ea ratione Propheta DANIEL iudicauit senes illo Babylonios: & vt probabilior obtinuit sententia Moyses Ægyptius in Exodo, qui teste B. STEPHANO in Actis: *Fecit vltionem ei, qui iniuriam sustinebat percusso Ægyptio: existimabat autem intelligere fratres, quoniã DEVS per manũ ipsius daret salutem illis:* & ita testatur S. AVGVSTIN. in quæstionibus in Exodum. 3. Ex consensu partium, vt quando partes ex compromisso se alicui subiiciunt, siue vt iudici, (vt si ille alias auctoritatem iudicandi habebat, etsi non in illos) siue vt arbitro. 4. ratione delicti in alieno loco perpetrati: ratione enim delicti, (vt Iureconsulti loquuntur) sortitur quis forum, vt habetur cap. Postulasti, & cap. finali, de foro competenti. 5. Ratione iniuriæ subdito alterius Principis illatæ. Si enim Superior eius, qui iniuriam fecit, interpellatus nolit illam uindicare, poterit id facere Princeps eius, qui iniuriam accepit. Quicumque ergo aliquem horum modorum nullo subiectum iudicat, delinquit illegitima vsurpatione iudicij. Sic Pilatus vsurpatione iudicij peccauit in Christum, quia Christus neque ei, neque Cæsari, cum esset filius DEI & omnium Dominus, verè subiectus erat, vt colligitur ex eius verbis apud Matthæum: *Ergo filij liberi sunt.* Neque subiecit

Dan. 13. 45.
Exod. 2. 12.
Act. 7. 34.
Aug. q. 2.
Post. 13.
Matth 17. 27.

subiecit se Pilato dando auctoritatem, sed solum permisit se iudicari.

HAVD SECVS peccant Iudices seculares, quando iudicant Clericos, ab eorum Iurisdictione nimirum exemptos, tam in ciuilib. quàm in criminalibus, vt liquet apud Gratianum, & in Decretalibus, de immunitate Ecclesiarum, & sanctionibus Concil. Tridentini, de Reformatione. Idem paret Iure Ciuili, Authentico, vt Clerici proprios Iudices conueniant. Verum nec Clerici possunt huic immunitati renuntiare, vt non possint à Iudice seculari etiam in ciuilibus validè iudicari, vt liquet ex Iure Canonico. Et capit. *Diligenti*, duodecimo, extra, de foro competenti, nominatim redditur huius rei hæc ratio: *quia non est beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publicè indultum, cui priuatorum pacto derogari non potest.* Possunt tamen in ciuilibus se subiicere Iudici seculari, vt arbitro, qui tamen nolentem stare sententiæ, non potest per se cogere. SED & potest Clericus vt actor Laicum pertrahere ad iudicem secularem, non autem vt reus pertrahi. In casu tamen reconuentionis potest à seculari iudice iudicari: vt si dum Laicum pertrahit ad iudicem, laicus vicissim illum in causa ciuili reconueniat, vt docet Glossa communiter recepta in cap. 2. de mutuis petitionibus. & colligitur tum ex illo cap. tum ex 3. quæstion. 8. cap. 1.

Gr. tota d. 96. & 11. q. 1. Tr. sess. 23. c. 20. Auth. coll. 6. c. inolita. 11. q. 1. c. placuit. ib.

TRIBVS quoque aliis modis contingit vsurpari alienum iudicium. VNO, si quis eum, qui ad Ecclesiam confugit tanquam ad asylum, vi vel fraude extrahat, & ad mortem vel mutilationem condem

condemnet. Talis enim est exemptus à iudicis potestate, saltem quo ad hanc pœnam irrogandam, & Iudex tenetur eum Ecclesiæ restituere, vt colligitur ex cap. Inter alia. de immunit. Eccles. & ex multis canonibus. SECVNDO, quando Iudex sententiam iudicialem fert in Ecclesia: nam eo loco id faciendi potestatem non habet: cum quidquid ibi actum fuerit, fit irritum, vt statuitur cap. decet, §. ordinarij, de immunit. Eccles. in 6. vbi dicitur: *Processus Iudicum secularium, ac specialiter prolatæ sententiæ in eisdem locis (Ecclesiis) omni careant robore firmitatis.* TERTIO delinquunt Ordinarij, quando exemptorum causas discutere præsumunt, in quibus Conc. Tridentinum eos non subiecit. 1.q.7.

CAPVT V.

Quando Iudices teneantur sententiam ferre secundum allegata & probata.

EST non modica inter Doctores controuersia, quando iudices teneantur iudicij sententiam ferre iuxta testium probationem, id est, secundum allegata & probata; sed nos aliquod discrimen doctrinæ causa ponemus inter criminales & ciuiles causas. Si enim criminales spectemus, dicimus nunquam iudicem adduci debere, vt quum certo nouit esse innocentem, illum secundum allegata & probata declaret reum mortis: *Non sequeris turbam*, ait DEVS in Exodo, *ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiescas sententiæ, vt à vero deuies. Insontem & iustum non occides, quia auersor impium.* NEC dici potest, qui secundum allegata & probata non est in- Exod. 23. 2. v. 7.

sons, publica opinione haberi sontē & improbum; quia opinio & calumniæ aliorum non possunt facere sontem aut dignum pœna, alioquin SVSANNA dicēda fuisset sons, quā tamē S. Scriptura apud Dan. 13. 53. Danielem vocat innocentem. 2. quia humana auctoritate & ex proposito occidere innocentem est intrinsece malum. Per te siquidem malum est adimere alicui vitam sine legitima auctoritate. Atqui Iudex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis, cum hęc soli Deo sit subiecta. Deinde si haberet eam auctoritatem, concessa esset ei propter bonum Reipub. at ob nullum bonum Reipub. etsi in proximo periculo versetur, licet innocentem occidere, vt docent Theologi: ergo multo minus licebit ob periculum remotum.

III. Ratio naturalis ideo dictat Iudicem debere sequi notitiam publicam per allegata & probata accepta, ne facile aberret à iustitia in iudicando, hæc enim est ratio illius legis & obligationis: ergo quando est ei omnino euidens iudicium fore iniustum, si sequatur allegata & probata, non debet, nec potest ex illis iudicare: nulla enim lex seruari debet, quando ex eius obseruatione sequitur id quod est intentioni & fini legis contrarium. 4. fieri potest, vt multorum conspiratione integrū monasteriū accusetur, & testibus conuincatur de proditione, de idololatria, de Sodomia (vt sæpè fit ab hæreticis) & similibus grauissimis criminibus, & Iudex certo sciat illorum innocentiam: quis non horreat dicere, illum tunc posse, & teneri viros innocentissimos equis decerpere, vel flammis tradere, ob calumnias & minas perditorum? 5. Ita A.a.3. tradit NICOL. Liranus in ca. 23. Exod. Adrianus quod

quodlibeto 6. Petrus Nauarra, Hostiensis, Calderinus & Panormitanus in c. Pastorali 28. de Officio delegati. & noster Leon. Lessius lib. 2. de iustitia & iure, c. 29. dubit. 10. de iudiciis. DICES Deus dicit in Deuteron. *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur.* Et S. AMBROS. in Psal. 118. *Bonus,* inquit, *Iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges & iura pronunciat, statutis iuris obtemperat, nihil indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert: sed sicut audit, ita iudicat, & sicut se habet negotij natura decernit, obsequitur legibus non aduersatur, examinat merita causæ, non mutat.* Respondeo imprimis Deum non aliud indicare, non sufficere vnum testem, sed requiri duos ad probationem legitimam: non tamen mens Domini est, quandocunque adsunt duo testes posse aliquem occidi, quando iudici constat Reum esse innoxium, & testes calumniari: sed solum vult declarare, quid fieri regulariter possit, quando iudici non constat contrarium. Eodem modo exponendus est AMBROS. nempe, quod *Iudex iudicat sicut audit,* nempe regulariter, quando non constat ei de contrario. Debet enim ordinarie pronunciare sententiam ex legum præscripto, non contra, vt si lex irritat contractum, debet pronunciare irritum, si iubet esse ratum, debet pronunciare ratum: si constituit crimini certam pœnam, non potest eam mutare pro suo arbitrio, præsertim in grauiorem. Omnia denique debent fieri, quæ requirit Ambrosius, vt inueniatur veritas, quæ si inuenta non est, frustra omnia adhibita sint. Excipies Iudicē sequentē allegata & probata, si nō priuatam, saltem publicā secutum esse veritatē quam

N. cap. 3. n. 161.

Deut. 17.

Aug. serm. 20.

habuit ex scientia publica; ipsum autem tenere locum publicum, & populi, non suum. Respondeo, nec inde sequi teneri sequi publicam scientiam in condemnando, quia certò nouit illam publicam scientiam nihil esse aliud, quam iniquum errorem & calumniam, quod si non certò sciret, teneretur illam sequi.

QVANDO ergo talis iudici inciderit casus, practicè sic agendum videtur, secundum Doctorum sententiam. 1. Vt Iudex omnes vias rationésque ineat, quibus possit innocentem liberare, qui secundum allegata & probata reus mortis declarandus videtur, ac primo quidem si facere potest, impediat eius accusationem. 2. si non potest, sæpe & per interualla examinet testes, si forte contingat eos variare. 3. extrahat, vt potest, iudicium. 4. si commodè & citra scandalum fieri potest, etiam aperiat carcerem. 5. Si inferior sit iudex, & dictis modis non iuuit reum, debet causam remittere ad Superiorem, si putet eum hac ratione liberari posse. Et hæc omnino facienda docent etiam illi, qui docent iudicem iuxta allegata & probata etiam contra innocentem pronunciare debere sententiam necis. 6. Si allatis modis non possit illum liberare, & pars aduersa vrgeat condemnationem, debet potius officium dimittere, quam innoxium condemnare: etiamsi hoc modo reo nihil esset profuturus. Quamuis contraria sententia, quæ est S. Thomæ, Greg. à Valentia, & aliorum plurimorũ, sit probabilis & ob auctoritatẽ secura.

HINC verò sequitur, nec Ministrum iustitiæ posse mandare executioni sententiam mortis à iudice latam, quã certò nouit esse iniquã: sicut enim

in

intrinsecè malũ est,te iubere occidi eum,quem scis innocentem,ita malum est te hæc iussa exequi:secus tamen fieret, si non esses moraliter certus de innocentia,tunc enim debes credere potius Superiori,quam tibi.Hæc de causa Criminali.

QVOD ad causam ciuilem attinet, in qua non agitur,nisi de pœna pecuniaria, vel exilij, vel priuationis officij aut beneficij, licet LIRANVS & quidam Canonistæ eandem rationem habendam putent,non tamen eadem habenda est.Etenim Iudex si certo sciat alteram partem falsis probationibus niti, tenetur quidem omnem, vt fertur, lapidem mouere,vt falsitas detegatur,vel vt processus impediatur,tamen si id non potest efficere,potest bona conscientia iuxta allegata & probata sententiam ferre, vt cæteri fere Doctores sentiunt: tum quia Respublica habet auctoritatem disponendi de fortunis suorum ciuium prout bono publico expedierit, vt liquet ex legibus vsucapionum. Atque hic videtur iusta causa esse, ne forma publicorum iudiciorum cum populi scandalo peruertatur, tum quia non suppetit ratio in commodum huius hominis aduertẽdi:ergo potest statuere,vt Iudex in tali casu formam publicorum iudiciorum sequatur,etiamsi inde fiat,vt fortunis eum spoliare debeat, quem priuatim innocentem nouit,ac demum,quia nemo ciuium id merito potest ægrè ferre, aut queri sibi iniuriam factam à iudice per talem sententiam, cum videat se ab illo iuuari non posse,neque par esse,vt Iudex officium potius deserat,quam sententiam ferat.

VIDEV. De Laicorum Statu, Prælatorum, Regum & Principum.

DE LAICORVM STATV.

CAPVT I.

Quid voce Laicorum intelligamus.

LAICI nomen cõstat origine Græcum esse, & significare popularem, quia λάος significat populum. POPVLVS autem teste S. AVGVSTINO in libris de ciuitate DEI iuxta Scipionem non significat *omnem cœtum multitudinis, sed cœtum iuris consensu & vtilitatis communione sociatum.* Vnde forte sumpsit in sermonibus de Verbis Domini discrimen populi, vel multitudinis à turba, quod populus sit multitudo consentiens, turba autem non sit: *Vnum*, inquit, *cogitate fratres mei, & videte in ipsa multitudine, si delectat nisi vnum. Ecce Deo propitio, quam multi estis? Quis vos ferret, nisi vnum saperetis? vnde in multis ista quies? Da vnum & populus est. Tolle vnum, & turba est. Quid est enim turba nisi multitudo turbata? Sed audite Apostolum. Obsecro autem vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Et in Actibus Apostolorum: Multitudinis autem credentium erat anima vna & cor vnum.*

A. l. 2. c. 21. Et l. 19. ca. 21.

A. ser. 26.

1. Cor. 1. 10.

Act. 4. 32.

NOS verò hoc loco magis astringimus Laici nomenclaturam, vt idem sit Laicus, quod, vt vulgo dicitur, homo secularis, non sacris initiatus, non Clericus: qui apud Ethnicos scriptores Latinos dicebatur profanus, non sacer. Quo significatu vsurpauit MARO in sexto Æneidos.

Procul

Procul hinc, procul este profani.

Eo significatu vocem Laici accepit diuinæ Scripturæ interpres: nam in Regum historia Achimelech Sacerdos Dauidi panes petēti ad restinguendam famem, respondit: *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum.* Et infra subditur: *Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem.* Vbi laico pani opponitur sanctificatus. Eodem sensu vsurparūt veteres Latini Patres, vt S. CYPRIANVS in epistolis, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, &c. Nomine igitur Laicorum non tantum comprehendimus multitudinem propriè dictam, populum, plebeios, vulgum, subditos, sed etiam quosuis seculares Magistratus, Principes, Reges, qui vere laici sunt, non sacri vel consecrati. Ac primo quidem de populo laico vel subditis, postea vero de Magistratu laico agemus.

1. Reg. 21. 5.

Cypr. l. 4. ep. 2.

CAPVT II.

De Officio Laicorum Subditorum.

PRIMVM officium est, vt debitam obedientiam & reuerentiam præstent suis Principibus & Magistratibus. Clare enim præcepit Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et infra: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et in epistola ad Hebræos: *Obedite Præpositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim peruigilat quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & nō gementes: hoc enim nō expedit vobis.* Quæ verba æque ad politicos, quā Eccleſia-

Rom. 13. 1.

Heb. 13. 17.

sticos Præpositos referri queunt, iisque causa non vna redditur, cur expediat subditos parere suis superioribus. Prima quidem, quod superioribus ex officio incumbat, peruigilare, eo quod rationem pro animabus singulorum subditorum DEO
Ch.ho.2. in die iudicij reddituri sint. Vnde CHRYSOSTOMVS in secūdam epistolam, ad Timotheum. *Considera*, inquit, *quantum periculi sit, pro singulis subditorum discuti, próque omnibus rationem reddere. Quantumuis Præposito honoris impendas, quantumlibet obsequij deferas, nihil his periculis par referre poteris. nam etsi animam ponas, ipse hoc pro te iugiter facit. Et si id minus facit, quod persecutionis non adsit tempus, eam tamen periculo æternæ mortis exponit.* Altera causa est, vt Præpositi cum *gaudio & non gementes* regant & gubernent. Agricola, inquit B. ANSELMVS hoc loco, cum gaudio colit agrum, quando segetum videt vbertatem, aduertit enim se non sine causa laborasse, sic accidit & Præpositis, si fructum suæ gubernationis cernant. Tertia est, quia *expedit vobis* primo, quia non obediendo, & causam dando gemendi potius quam gaudendi, omni merito exciditis. 2. quia fit, vt vobis potius Præpositi obediant, quam vos illis, vt ait S. BERNARDVS sermone de tribus Ordinibus Ecclesiæ habito ad Patres in Capitulo. 3. quia quod chorus, vt scribit S. CHRYSOS. hoc loco sine coriphæo, phalanx militum sine Duce, nauis sine gubernatore, grex sine pastore, id docet PAVLVS, subditos esse sine Præposito. 4. quia etiamsi superiores, maxime spirituales, (vt nec medici ægros à quibus contemnuntur) vlcisci non debeant, sed gemitu potius & lacrymis inobedientes compescere, tamē quæ humana

mana est imbecillitas, fit aliquando vt à verbis, ita etiam exigente ratione recta, veniatur ad verbera; non autē expedit necessitate vos potius subiectos esse, quam voluntate, maxime cum gemitus superioris nōnunquam inuocet auxilium Domini, qui seuerius vlciscatur. De filiis Israel legitur in Psalmis: *Irritauerunt Moysen in castris Aaron sanctum Domini, aperta est terra, & deglutiuit Dathan.* EST & aliud testimonium pro hoc officio Laicorum in epistola Pauli ad Titum: *Admone*, inquit, *illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Et in S. PETRI epistola priore: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas DEI, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Omnes honorate. Regem honorificate.* Psal. 105. 16. Tit. 3. 1. 1. Petr. 2. 13.

II. OFFICIVM est, etiam dyscolis superioribus obtemperare, eósque Deo in precibus cómendare. Nam, tempore Apostolorum, Reges & magistratus erāt infideles, & tamen Paulus & Petrus iubent Christianis, vt eorum mandatis ex voluntate Dei pareant, eósque propter DEVM omni honore afficiant. Imo S. PETRVS loco citato, diserte à seruis exigit, vt pareant etiam dominis dyscolis: *Serui*, ait, *subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Scribæ & Pharisæi tempore Saluatoris sane improbi vita & dyscoli erant, & tamen ad turbas clamat Christus apud Matthæum: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis seruate & facite, secūdū opera vero* 1. Petr. 2. 18. Matth. 23. 1.

eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt. Imo in veteri Testamento BARVCH Propheta ita scripsit ad suos fideles de NABVCHODONOZORE infideli Rege: *Orate pro vita Nabuchodonozor Regis Babylonis, & pro vita Balthazar filij eius, vt sint dies eorum, sicut dies cœli super terram, & vt Dominus det virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, vt viuamus sub vmbra Nabuchodonozor Regis Babylonis, & sub vmbra Balthazar filij eius, & seruiamus eis multis diebus & inueniamus gratiã in conspectu eorum.* Idẽ fieri postulat Apostolus gentium in priore epistola ad
1.Tim.2. 3. Timoth. *Obsecro*, inquit, *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnib. qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri.*

III. OFFICIVM est, ne temere vitam superiorum suorum discutiant & iudicent. Qua de re
G. adm.5. optime commonuit S. GREGORIVS tertia parte Pastoralis: *Admonendi*, ait, *sunt subditi, ne Prapositorum suorum vitam temere iudicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne vnde mala recte redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt, ne cum culpas Prapositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic, si qua valde sunt eorum praua apud semetipsos diiudicent, vt tamen diuino timore constricti ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent. Quod melius ostendimus,*
1.Reg.18. *si Dauid factum ad medium deducamus. SAVL quippe persecutor, cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cũ viris suis Dauid inerat, qui iam*

tam

tã longo tẽpore persecutionis eius mala tolerabat. Cumq; eum viri sui ad feriendum Saul accederent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in Christum Domini non deberet. Qui tamen occulte surrexit, & orã chlamydis eius abscidit. Quid enim per Saul, nisi mali Rectores, quid per Dauid nisi boni subditi designãtur? Saul igitur ventrem purgare, est Præpositos prauos cõceptam in corde malitiam, vsq; ad operam miseri odoris extendere, & cogitata apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare. Quem tamen Dauid ferire metuit, quia pia subditorũ mentes ab omni se peste obtrectationis abstinẽtes, Præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cũ de imperfectione reprehendunt. Qui etsi quãdo pro infirmitate sese abstinere vix possũt, vt extrema quædam atq; exteriora Præpositorum mala, sed tamẽ humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt, quia videlicet, dũ prælatæ dignitati saltẽ innoxie & latenter derogant, quasi Regis superpositi vestem secãt: sed tamen ad semetipsos redeunt, seq; vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Vnde bene & illic scriptum est. Post hæc Dauid percussit cor suum, eo quod abscidisset orã chlamydis Saul. Facta quippe Præpositorũ oris gladio ferienda nõ sunt, etiam cum recte reprehendẽda iudicatur. Si quãdo vero cõtra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est vt per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, & cum præpositæ potestati deliquerit, eius cõtra se iudicium à quo sibi prælata est perhorrescat. Nam cum in Præpositis delinquimus, eius ordinationi qui eos nobis prætulit obuiamus. Vnde Moses quoq; cũ contra se & Aaron cõqueri populũ cognouisset, ait: Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Exod. 16. 8.

IV. OFFICIVM est, libenter Principibus, vel Magi

Magistratibus suis debitum tributum, vel vectigal pendere. Habemus enim hac de re doctrinam, & exemplum Christi apud Matthæum. Nam cum Iudæi eum percontarentur, licerétne censum dare Cæsari an non? ex inscriptione nummi Cæsarei conuicit tributum eis reddendum: *Reddite*, inquiens, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Conuictos autem fuisse inde liquet, quod responso audito, relicto eo abierint. Quo testimonio S. Aug. c. 74. AVGVSTINVS etiã Faustum Manichæum lib. 2. reuicit tributum esse principi seculari pendendum: *Sed quia*, inquit, *Manichæi Ioannem* (Baptistam) *aperte blasphemare censuerunt, respondentem militibus, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum, ipsum Dominum IESVM Christum audiant, hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi. Reddite*, inquit, *Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessario militi stipẽdium præbeatur.* Exemplum Christi pendentis tributum pro se & Petro Apostolo habemus apud eundem Matthæum; nam cum ibi probasset Christus, se vti Regis filium, immunem esse à soluendo tributo didrachmatis, tamen ne cuiquam offendiculo esset, pro se & Petro soluit: *Vt autem*, inquit ad Petrum, *non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem; illum sumens da eis pro me & te.* Cur autem ad tributum pendendum miraculum illud fecerit, H. lib. 2. causam reddit in illum locum S. HIERONYM. *Simpliciter*, inquit, *hoc intellectum ædificat auditorem, dum tantæ Dominus fuerit paupertatis, vt vnde tributa*

Matth. 22. 21.

Matth. 17. 24.

buta pro se & Apostolo redderet, non habuerit. Stater enim dicitur qui duo habet didrachma. Quid si quis, addit, *obijcere voluerit, & quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus, res pauperum in suos vsus conuertere nefas putauit, nobisq; idem tribuit exemplum.* De eodem tributo soluendo à subditis habemus & luculentam doctrinam B. Pavli in epistola ad Romanos, cum enim dixisset: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram,* nempe vindicantis Principis, *sed etiam propter conscientiam,* læsæ ordinationis diuinæ: *Ideo enim & tributa præstatis,* id est, vt vendicandi malum, media ac vires Reges habeant, vos illi vectigalia soluitis: *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Tributum, ad stipēdia persoluenda militibus, vt dixit Augst. Vectigal, ob nouas necessitates occurrētes impositum. Timorem iustæ vindictæ, si malus es. Honorem debitæ reuerentiæ & amoris, si bonus es. Eodem referri potest, quod rogat & monet Apostolus in epistola priore ad Thessalonicenses; *Rogamus,* inquiens, *autem vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis.* Rom. 13. 5. 1. Thess. 5. 12.

V. Officivm ante leges huius seculi Principum, imprimis complecti legem Dei, qua de re cōmonefacit nos S. Cyprianvs in tractatu de 12. Abusionibus sæculi, vel si quis alius eius est auctor: *Duodecimus,* inquit, *abusionis gradus est. Populus sine lege, qui dum Dei dicta & Legum scita contemnit, per diuersas errorum vias eundem perditionis*

tionis laqueum incurrit. De quibus viis sub persona
Isa.53.6. præuaricatoris populi humanum penus Propheta ita deplangit: Nos autem sicut oues errauimas, vnusquisq; in viam suam declinauit, de quibus viis etiam Sapientia
Prou.16. 25. loquitur per Salomonem: Multæ viæ videntur hominibus rectæ, & nouissima earum deducunt ad mortē. Quæ vtiq; multæ perditionis viæ tunc inceduntur, cum via regalis via, Lex Dei videlicet, quæ neq; ad dexteram, neq; ad sinistram declinat, per negligentiam deseritur.
Ro.10.4. Ioan.14.6. De quā scilicet, Dominus Iesus Christus, qui est finis legis ad iustitiā omni credenti denunciat: Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrē, nisi per me. Ad quā
Matth.11. 28. viam omnes homines cōmuniter inuitat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: quia non est personarum acceptio apud DEVM. Dum ergo Christus finis legis est, qui sine lege sunt, sine Christo sunt. Igitur populus sine lege, populus sine Christo est.

VI. OFFICIVM Laicorum est, non miscere se rebus sacris & Ecclesiasticis. Primo, quia nec in veteri Testamento id eis licuit. Nam in Leuitico
Leu.10.1. hæc sunt verba: *Arreptisque Nadab & Abiu filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, egressusque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* Et in Numeris: *Cum proficiscendum fuerit, deponent Leuitæ tabernaculum, cum castrametandum erigent: quisquis externorum accesserit occidetur.* Et iterum, *Aaron & filios*
Num.1. 51. Num.3. 10. *eius cōstitues super cultum Sacerdotij. Externus, qui ad-*
Num 4. 15.20. *ministrandum accesserit morietur.* Et rursum: *Tunc intrabunt filij Caath, vt portent inuoluta, & non tangent vasa Sanctuarij, ne moriantur.* Et; *Alij nulla curiosi-*

tate

tate videant, quæ sunt in Sanctuario priusquam inuoluantur, alioquin morientur. Et in Historia Regum habes Ozam à Deo occisum, quod temere manum Dei ad arcam Dei sacram, licet ad lapsum inclinatam, extendisset. Et Oziam Regem adolentem incensum more sacerdotum, cum tamen Laicus esset, diuinitus lepra percussum, templóque & regia abactum. SED plura de Regibus, aliisque Laicis principibus agemus in titulo REGIS, ne se misceant sacris, vt inde recte concludamus, minimè id populo Laico concedendum. 2 Reg. 6. 6. 2 Par. 26. 19.

CAPVT III.

De Laicorum Subditorum Proprietatibus.

INTER Laicos subditos pars ignobilior est vulgus, cuius proprietas est, quod sit inconstans, & varius cõuenienter nomini suo, nam à voluendo, vt quidam dicunt, nomen suum accepit, quod inconstanter stultéque huc illuc voluatur: *Scinditur incertum*, ait VIRGILIVS in altero Æneidos, *studia in contraria vulgus*. & SENECA in Hercule Furente: *Illum populi fauor attonitum, fluctuq; magis mobile vulgus, aura timidum voluit inani.* Et M. TVLLIVS pro domo sua: *In imperita multitudine est varietas & inconstantia, & crebra tanquam tempestatum sic sententiarum commutatio.* & pro Muræna. *Nullum fretum, nullus Euripus tot motus, tantas, tam varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio Comitiorũ* (vulgi). *Dies intermissus vnus aut nox interposita sæpe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura* C. in orat.

D.de orat. *aura rumoris.* Et DEMOSTHENES de falsa legatione; *Populus sane turba est, & res omnium instabilissima, ac imprudentissima, vt in mari fluctus flexibilis & inquietus, qui vt contingit agitatur: alius venit, alius recessit, ac nemo Reipub. curam gerit, imo ne meminit quidem.* Vnde S. HIERON. lib. 5. in Ieremiam, causam reddēs, cur populus, qui prius à Sacerdotibus & Pseudoprophetis fuerat supplantatus, iungatur

Ierem. 26. Principibus ciuitatis, & pro Hieremia loquatur, quod nequaquam reus mortis sit, sed in nomine Domini & ex ore illius prophetarit: *Cito enim,* inquit, *vulgus indoctum accepta ratione mutat sententiam. Spem enim eis dederat indulgentiæ Dominus, si bonas facerent vias suas, & audirent vocē Domini Dei*

Aug. ca. 6. *sui.* S. AVGVST. autem lib. 1. de libero arbitrio, populum grauem & constantem laudat. Agens enim de illo an populi mutabiles sint, temporibúsque subiecti. Respondet: *Mutabile plane atque tempori obnoxium hoc genus esse quis dubitet? Ergo si populus sit bene moderatus & grauis, communisq; vtilitatis diligentissimus custos, in quo vnusquisq; minoris rem priuatam, quam publicam pendat, nonne recte lex fertur, qua huic ipsi populo liceat creare sibi magistratus, per quos sua res, id est, publica administretur?*

II. PROPRIETAS, vulgi rumores esse tales,

H. ep. 2. vt non facile illis sit credēdum. Qua de re S. HIERON. monuit. Nepotianum; *Caue,* inquit, *ne hominum rumusculos aucuperis, ne offensam Dei populorum laude commutes.* Cuius causam alij aliam reddunt,

C. 5. strō. CLEMENS Alexandrinus, *quia fieri non potest vt sit vulgus Philosophū,* & allegat Cleanthis Stoici Poëtica, hoc modo scribentis.

Ne spectes famam, dum vis Sophos esse repente,

Terreæ

Terreat amentis nec te sententia vulgi.
Iudicium sapiens, & iustum non habet vllum
Vulgus, & in paucis vix hoc reperire licebit.

Aliam causam reddit S. AMBROSIVS in libris de officiis, quia vulgus nihil iudicat vtile, nisi *quod quæstuosum est*: Aliam S. AVGVSTINVS libro de bono disciplinæ, quia *insitum est naturaliter vulgo, vt de bonis semper male iudicet. Quem amor*, addit, *seruandæ integritatis tenet, ante omnia falsi ad se famam non admittat erroris.* Quartam M. TVLLIVS pro Roscio: *Sic est vulgus (ait) ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat.* Vnde in secundo de legibus: *Nos opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus.* Et in oratione pro Plancio: *Grauior & validior est decem virorum bonorum sententia, quam totius multitudinis imperitæ.* Ad eandem proprietatem pertinet FAMA, quid enim aliud est fama, nisi populi rumor? de qua TERTVLLIANVS in Apologetico: *Natura famæ*, inquit, *omnibus nota est vestrum. Est fama malum quo non aliud velocius vllum. Cur ea malum? quia velox? quia index? quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. Quid quod ea illi conditio est, vt non nisi cum mentitur perseueret, & tamdiu viuit, quam diu non probat. Si quidem vbi probauit, cessat esse, & quasi officio nunciādi functa rem tradit, exinde res tenetur, res nominatur.* Exemplum huius rei habes in seculo Tertulliani, quo fama erat Christianos vesci carnibus humanis, quia cōmunicare se dicebant corpore & sanguine Domini, sed iā extincta est, quia contrariū probatū. Fama fuit & est adhuc Ioānem VIII. Papam fuisse feminam, sed ex-

Am. 2. c. 6. Aug. ca. 8.

C. pro Com.

tincta est, saltem apud Catholicos, quia probatum aperte contrarium ab Onuphrio Panuinio, Bellarmino,& aliis. Fama fuit Moguntinum Episcopum Hattonem I I. deuoratum à muribus, sed contratium probatum est à nostro NICOLAO Serario in libro de rebus Moguntiacis, itaque fama breui cessabit.

III. PROPRIETAS, populi sententiam, mores & facta non semper contemnenda, sed potius probanda & sequenda, cum enim rudis sit & simplex, veritatem manifeste probatam facilius sequitur. Vnde dictum illud vulgatum: *Vox populi, vox DEI.* & illud Ciceronis in tertia Tusculana: *Maximus magister populus.* Vnde sola fere etiam populi turba maximo numero secuta est Christum vsque in solitudines, & miraculis eius credidit. Cum enim, vt refert S. Ioannes, ministri Iudæorum testarentur nunquam sic locutum hominem, vt loquebatur Christus. Respondent eis Pharisæi; *Nunquid & vos seducti estis? nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem maledicti sunt.* Et tum sola turba populi hic non errauit, sed errarunt principes Sacerdotum, penes quos erat cura veræ religionis. Quamuis & falsum esset, quod dictitabant. nam Nicodemus & Pharisæus, & princeps Iudæorum erat, & in Christum crediderat. Et vt nemo illorum credidisset, non continuo sequebatur non esse in illum credendum, quin sequebatur credendum esse, cum homines plebei, qui nulla in Christum ducerentur æmulatione, in illum crederent, soli Principes & Pharisæi non crederent, qui odio & inuidia impe

Ioã. 7. 46.

Ioan. 3.

impediretur. Itaque dū hoc dixerunt, seipsos suamque incredulitatem magis quàm turbam accusant, quod turba legis ignara ex solis miraculis & doctrina commota in illum crederet, ipsi vero & audita cœlesti doctrina, & miraculis corā visis & legem sciētes, in qua perspicere eū poterant, vt AVGVST. Chrysost. & Beda ibi annotarūt, nollent credere: *Qui non nouerant legem,* inquit Auguſt. *ipsi credebant in eum, qui miserat legem, & eum qui miserat legem contemnebant illi, qui docebant legem, vt impleretur, quod dixerat ipse Dominus: Ego veni, vt non videntes videant, & videntes cæci fiant. Cæci enim facti sunt Pharisæi Doctores, illuminati sunt populi nescientes legem, & in auctorem legis credentes.* Aug. tract. 33. Matth. 13. 13.

V. PROPRIETAS, non esse illis facile pandēda mysteria. Monitum enim Domini est: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte eas conculcent pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Hoc plane contingit nobis, si plebeis margaritas nostras, id est, diuinas scripturas permittamus legendas, vt nempe deprauatas & perperam intellectas in exitium nostrū conuertant. Quare Christus Dominus cum sermonem haberet ad turbas in parabolis loquebatur, id est, sermone tecto & obscuro vtebatur: sicut discipuli accedētes eum dixerunt: *Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neq; intelligūt. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & nō videbitis. Incrassatum enim est cor populi huius.* Sensus horum Matth. 7. 6. Matth. 13. 10. Isa. 6. 9.

verborum est. Cum miracula certissima eorũ quæ dico argumenta oculis suis videant,& auribus audiant, nec intelligere tamen, nec credere volunt. In pœnam ergo incredulitatis obscure illis loquitur,quia dum intelligere noluerunt, quæ perspicue illis dicebantur, illud meruere, vt ita illis loqueretur,vt etiã si vellent intelligere non possent. Sic solet Deus iustissimo iudicio iis, qui oblatum verbum suum repudiarunt,prorsus auferre, & seruare præceptum suum, vt sanctum non det canibus. Vnde S. HIERON. in Ezech. lib. 13. agens de vestimentis sacris, quibus indui debent sacerdotes: *His vestimentis*, inquit, *induimur,quando secreta Domini & arcana cognoscimus & habemus etiã Spiritum, qui scrutatur etiam alta & profunda Dei, quæ non sunt monstranda vulgo nec proferenda ad populum,qui non est sanctificatus,nec Domini sanctitudini præparatus, ne si maiora se audierint maiestatem scientiæ ferre non possint,& quasi solido suffocentur cibo, qui adhuc lacte infantiæ nutriendi sunt.*

Ezech. c. 43.3.

VI. PROPRIETAS est,procliuitas populi ad imitanda vitia suorum Præfectorum tam politicorum,quam spiritualium, tam in doctrina fidei, quam in moribus: *Secundum iudicem populi*, ait Sapiens, *sic & ministri eius: & qualis est Rector ciuitatis,tales & inhabitantes in ea.* & Poëta CLAVD.

Eccl. 10 2. Cl. de 4. Honor. Consul.

Componitur orbis
Regis ad exemplum.

Cuius causam reddit CICERO ad Sulpitium, *quia vulgus,quod exemplo fit, id etiam iure fieri arbitratur.* Hanc proprietatem indicauit GREGOR. Nazianzenus: *Neque enim vel pannus*, inquit, *tincturam ita facile contrahit, vel is qui fœtido aut suaui odori*

Cic.epist. ad Sulp. Gregor.in Apolog.1.

odori propius se adiunxit, eius particeps, vel vapor quidã morbidus & noxius pari facilitate in aërem diffunditur, ac per aërem animantibus impertitur, (quam nos vero nomine pestem dicimus) vt subditi Præfectorum vitio celerrime imbui, atque impleri solent; & quidem multo facilius quam virtute. Hoc enim est, quo vitium probitatem maxime superat, quod cum res quædam facilè imitabilis & exprompta sit improbitas, nihilq; minoris negotij, difficultatisq; sit, quam malum fieri, etiãsi se nemo ducem nobis ad vitium præbeat, rara tamen atque ardua est virtutis adeptio, quamlibet etiam multis modis ad eam inuitemur ac trahamur. Quod etiam ipsum à beatissimo Aggæo animaduersum mihi fuisse videtur, cum verissima illa imagine vteretur: Percontamini ex lege Sacerdotes: num si caro sancta in veste cibum aliquem, aut potionem, aut vas denique aliquod tetigerit, rei admotæ sanctitatem protinus adlatura est? Quod cum pernegassent, percontamini rursus, inquit, si qua res impuritati eorum propius admota fuerit, nonne impuritatem statim contrahet? tanquam videlicet eam piaculi participem fore, puritatemq; suam contagione amissuram esse haud dubiè affirmaturi sint. Quibus verbis, mea quidem sententia, hoc significat, virtutem huiusmodi esse, vt eam homines non nisi summo labore adipisci queant: quemadmodum nec humida materia ignem facile excipere solet: contra ad vitij perceptionem omnes fere mortales promptos idoneósque, non secus, vt opinor, vt stipula quædã ad scintillam & ventum ob naturæ siccitatem facile accenditur atque consumitur. Citius enim exiguum vitium vberrime cuipiam impertiri queat, quam vel copiosissima virtutis parce communicari. Nam & exiguum absynthium amarorem suum melli celerrime impertierit, mel contra ne du- Agg. 2. 12.

plo quidem maius dulcedinem suam absinthio infuderit: ac paruo quidem lapide submoto flumen totum in pronum trahitur: eiusdem autem impetus firmissimo aggere cohiberi, reprimiq; vix potest,

H.lib.1. VIII. Nec tamẽ idcirco excusatur à culpa populus, si vitia suorum præfectorum sectetur, vt

Os.5. tradit S. HIERON. in illa verba Osee: *Et ego eruditor omnium eorum. O sacerdotes*, inquit, *& Reges, qui populum meum decepistis: & tu populo, qui deceptus es, tã grauiter deliquistis, nolite arbitrari magnitudine sceleris vos à me penitus recessisse. Ego sum magister vester, imo eruditor, qui emendare cupiã, non perdere. Rex primo cœpit à DEI cultu fornicari, vitulos aureos cupiens adorare, & volens secutus est populus, parémque impietatem pari studio compleuerunt.* Vnde Christus Dominus in sermone habito ad turbas, monuit eas vt doctrinam quidem Doctorum suorum, quæ tunc adhuc erat integra, imitarentur,

Matth.23. 2. non autem vitam & mores: *Super cathedram Moysi*, ait, *sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia quæcunq; dixerint vobis seruate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere.*

VIII. PROPRIETAS, sæpe populus meretur improbitate sua, vt malos & improbos consequatur Rectores. Dicitur enim apud beatum

Iob.34. 31. IOB: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* In quæ verba sic noster GREGO-

Greg l.25. mor. c.20. RIVS: *Verumnamque Regem super se Iudæa regnare noluit, & idcirco exigentibus meritis hypocritam accepit: sicut ipsa quoque veritas in Euangelio dicit: Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Et sicut Paulus ait:*

Ioã.5.43. 2.Thes.2. *Pro eo quod charitatem veritatis non receperũt, vt salui fierent:*

fierent: ideo mittet illis DEVS operationem erroris, vt credant mendacio. In eo ergo, quod dicitur; Qui regnare facit hominẽ hypocritam propter peccata populi, potest ipsum omnium hypocritarum caput Antichristus designari. Seductor quippe ille tunc sanctitatem simulat, vt ad iniquitatem trahat. Quod ergo tunc Antichristus super impios regnat, non est ex iniustitia iudicantis, sed ex culpa patientis. Et infrà: *Certum verò est, quod ita sibi inuicem & Rectorum merita connectantur & plebium, vt sæpe ex culpa Pastorum deterior fiat vita plebium, & sæpe ex plebium merito mutetur vita Pastorum.*

PARS II.

DE LAICIS MAGISTRATIBVS.

CAPVT I.

Quod inter Laicos aliqui legitimè sint Superiores, vel Magistratus.

INTER Laicos, id est, seculares personas, legitimè existere aliquos, qui personam Superiorum, vel Magistratus gerant, demonstrari potest ex vtroque testamento. Ex veteri quidem, quia in libro Iudicum & Regum habemus à Deo excitatos seculares iudices aut Principes, qui populum à seruitute infidelium vindicarent. & in Prouerbiis ipsa Dei sapientia dicit: *Per me reges regnant.* Imò extremo capite Iudicum Spiritus sanctus causam omnium malorum, quæ acciderant illo tempore reddens, dicit: *In diebus illis non erat Rex in Israël, sed vnusquisque, quod bonum sibi videbatur,* Prou. 8. 15. Iud. 21. 24.

hoc faciebat. Ex nouo verò, tum quia Christus to-
Matth.22. 21. tius Imperij Romani Magistratum approbasse vi-
detur, dicens: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, tum
Rom.13. 1. quia S. PAVLVS generatim iubet: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim potestas nisi à Deo.* Vbi de secularibus Magistratibus imprimis locutus est, quia subiungit: *Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est.* Et: *Ideo*
Tit.3.1. 1.Pet.2. 13. *enim & tributa præstatis.* Et in epistola ad Titum ait: *Admone illos principibus & potestatibus subesse.* PAVLO consentit B. PETRVS, dicens: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

EXEMPLIS vtriusque testamenti idem confirmari potest. Nam in veteri habemus exempla Sanctorum Principum, vt Melchisedech regis Salem, Iosephi Patriarchæ, qui toti Ægypto præfuit, Moysis quoque & Iosue, & omnium fere Iudicum, Regis Dauidis, Salomonis, Ezechiæ, Iosa-
Ioã 4.46. Act.13. 12. phat, Iosiæ, Nehemię, Macchabęorum & aliorum. In NOVO verò habemus primo apud Ioannem, Regulum credidisse in Christum, nec tamen iussum renunciare principatui. 2. in Actis Apostolicis, Proconsulem conuersum à Paulo, qui non deposuit Magistratum. 3. PHILIPPVS Imperator à S. Fabiano Papa & Martyre, totaque Ecclesia admissus est, cui tamen imperatum non est, vt cede-
E.lib.6.ca. 25. ret imperio, quod colligitur ex Eusebio.

IAM verò & S. PATRES sine vlla controuersia Laicis eandem auctoritatem gubernandi alios differtè vendicant. Paucorum tantum verba adscribam. Et primum GREG. Nazianzeni ad

ciues

ciues Nazianzenos: *Subiiciamur*, ait, *tum Deo, tum alij alijs, tum iis, qui imperium in terra gerunt: Deo quidem omnibus de causis, alij autem alijs propter charitatis fœdus: principibus denique ob ordinem, publicæque disciplinæ rationem, idq; tanto etiam magis, quanto clementioribus, moderatioribusq; illis vtimur. Graue ac periculosum est indulgendi assiduitate clementiam exhaurire, ne alioquin illorum asperitatis & crudelitatis pœnæ tandem à nobis expetantur, vt qui ventis inuectis tranquillitatem sustulerimus, & luci caliginem induxerimus, melliq; absinthium miscuerimus.* Deinde S. AMBROS. libro primo in Lucam: *Non est*, inquit, (Paulus) *potestas nisi à Deo. Quæ autem à Deo ordinatæ sunt: non datæ, sed ordinatæ. Et qui resistit potestati, Dei*, inquit, *ordinationi resistit. Hic quoque licet dicat dare se diabolus potestatem (omnia regna mundi.) omnia tamen illa ad tempus permissa sibi esse non abnuit. Itaque qui permisit, ordinauit: nec potestas mala, sed is qui male vtitur potestate. Denique vis non timere potestatem? fac bonum, & habebis laudem ex illo. Non ergo potestas mala, sed ambitio. Denique vsque adeo à Deo ordinatio potestatis, vt Dei minister sit, qui bene vtitur potestate. Dei*, inquit, *minister tibi est in bonum. Non ergo muneris aliqua culpa est, sed ministri, nec DEI potest ordinatio displicere, sed administrantis actio.* Am. cap. 4. Rom. 13. 1. Matth. 4. 8.

S. HIERONYMVS in epistolę ad Titum verba: *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse. Christus Pharisæis prudenter cauteq; respondens ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Cui responsioni Paulus Apostolus congruens docet principatibus & potestatibus credentes debere esse subiectos.* ἀρχὰι *quippe, quæ leguntur in Græco, magis* Tit. 3. 1. Matth. 22. 21.

principatus, quam principes sonant.

S. AVGVSTINVS in Psalmum LXI. *Quam multi*, inquit, *fideles, quam multi & boni Magistratus sunt in ciuitatibus suis, & iudices sunt, & Duces sunt, & comites sunt, & Reges sunt. Omnes iusti & boni, non habentes in corde nisi glorioſiſſima, quæ de te dicta*
Pſalm. 86. 3. *sunt, ciuitas Dei. Et quaſi angariam faciunt in ciuitate tranſitoria, & illic à Doctoribus ciuitatis ſanctæ,*
1. Petri 2. *iubentur ſeruare fidem Præpoſitis ſuis, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malorum, laudem verò bonorum: ſiue ſerui, vt Dominis ſuis ſubditi ſint, & Chriſtiani paganis, & ſeruet fidem melior deteriori ad tempus ſeruiturus, in*
Aug. c. 21. *æternum dominaturus.* Et libro de Catechizandis
Ro. 13. 1. rudibus: *Dicit Apoſtolica doctrina, vt omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, & vt reddantur omnibus omnia, cui tributum tributum, cui ve-*
Matt. 17. 27. *ctigal vectigal, & cætera quæ ſaluo DEI noſtri cultu conſtitutionis humanæ Principibus reddimus, quãdo & ipſe Dominus, vt nobis huius ſanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis, quo erat indutus, tributum ſoluere non dedignatus eſt. Iubentur autem etiam ſerui Chriſtiani & boni fideles Dominis ſuis temporalibus æquanimiter, fideliterque ſeruire, quos iudicaturi ſunt, ſi vſque in finem iniquos inuenerint, aut cum quibus æqualiter regnaturi ſunt, ſi & illi ad verum Dominum conuerſi fuerint.*

Greg. c. 21. Et S. GREGORIVS lib. XXVI. Moralium, cum
Iob 36. 5. exponit illa verba IOB: *Deus potentes non abiicit, cum & ipſe ſit potens: In vſu*, inquit, *vitæ mortalis quædam ex ſemetipſis ſunt noxia, quædam verò ex his quæ circa ipſa verſantur. Ex ſemetipſis quædam ſunt noxia, ſicut peccata atque flagitia. Quædam verò*

non

nonnunquam nobis, quæ circa ipsa sunt, nocent, sicut temporalis potentia vel copula coniugalis. Magna enim est potentia temporalis, quæ habet apud Deum meritum suum de bona administratione regiminis, nonnunquam tamen eo ipso quo præeminet ceteris elatione cogitationis intumescit.

S. PATRVM testimoniis aperta accedit ratio, quia & in Statu INNOCENTIÆ ille secularis Magistratus fuisset. Nam tunc non secus homo, atque nunc naturaliter animal ciuile & sociale fuisset, ac proinde gubernatore opus habuisset. Ideo siquidem DEVS initio conditi mundi creauit mulierem ex viro, & nõ creauit simul multos viros, vt indicaret ordinem, & præfecturam, quam inter homines esse volebat, vt in priorem epistolã ad Corinthios CHRYSOSTOM. obseruauit. Ch.ho.34. Deinde fuissent quidem in statu innocentiæ omnes homines nati in gratia Dei, & cum maiori cognitione rerum, quam nunc, teste S. AVGVST. li.1. Aug. c.38. de baptismo paruulorum, non tamen omnes æquè fuissent perfecti, adulti enim plus sciuissent, quam non adulti, & inter adultos alij alios studio & diligentia præueniissent. Ingeniorum enim & studiorum varietas oritur ex varietate corporum, locorum & similium, quare non omnes inter se pares fuissent. Præterea inter Angelos alij minores sunt, alij maiores aliis præfecti. Certe Beelzebub apud Matthæum dicitur *Princeps dæmoniorum.* Matth.12. & in Apocalypsi dicitur: MICHAEL *& angeli eius.* Et S. DIONYS. in cœlesti Hierarchia scribit primam Hierarchiam Angelorũ præesse, & imperare secũdæ, & secundã tertię. Et B. GREG. in Euãgelia ait nomina Principatuũ & Dominationũ in angelis 25. Apoc.12. 7. D.c 9. G.ho 34.

angelis apertè significare, quod alij aliis præsunt.

A.cap.2. ARISTOTELES quoque libr.1.Politicorum docet hominem natura ciuile esse animal, magis quàm sint apes & grues, & alia quæcunque animalia, & si quis solitarius viuat, aut esse bestiam, aut DEVM, id est, aut minus, aut maius homine. Ad quid enim donum loquendi & audiendi,id est,percipiendi distinctè verba homini à Deo collatum est,si solitarius viuat?Quod autem PAVLVS primus Heremita, Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca solitariè vixerint, id suam causam habuit legitimam; ille enim & alij aliquid amplius homine habuerunt, non natura, sed gratia. Vnde nec sine miraculo alti sunt à Deo, ceteri autem Eremitæ,sæpe simul conuenerunt & certis Abbatibus vel Archimandritis subiecti erant. Quod si ergo homo natura socialem vitam requirit, natura requirit etiam Rectorem,fieri enim non potest, eam multitudinem diu consistere, quæ nullum sequitur caput vel directorem, secundum illud Salomonis: *Vbi non est gubernator, populus corruet.* Itaque minime credendum est, fuisse vnquam illud seculũ, quo homines vagati sint more bestiarum, vt cum aliis commentus est M. TVLLIVS Cicero,in primo de Inuentione.

Prouer. 11.14.

CAPVT II.

De Officio Laicorum Magistratuum.

PRIMVM OFFEICIVM est,subditis vt auctoritate, ita virtute prælucere. Hoc enim MOYSES exegit ab iis, qui secum gubernando populo pręessent: *Date,* inquit,*ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus*

Deut.

bubus vestris, vt ponam eos vobis Principes. Et S. BASILIVS in oratione de Principatu : *Necesse est,* B.orat.20.
inquit, *huiuscemodi viris mandare Magistratus, ac aliorum constituere Duces, qui ceteros omnes prudentia, constantia, ac vitæ sanctimonia longè anteeant, vt virtutes, quibus præditi sunt, communes fiant eorum omnium, qui eos imitantur. Nam ad mores eorum qui gubernacula tenent, componere se totos ij qui parent, solent : ita vt quales duces fuerint, tales etiam necesse sit esse eos omnes, qui sequuntur: & quales fuerint in Repub. Principes, tales vt plurimũ existere solent reliqui ciues. Item quemadmodum si plures pictores vnius faciei formam effingant, omnes imagines similitudinem quandam inter se habebunt, eo quod ad exemplar vnius pictæ sint: sic etiam multi mores, si ad vnius imitationem respexerint, in omnibus æque bonus vitæ character eluceſcet.* Et in verba Isaiæ : *Vestimentum habes, Princeps esto* Isa.3.
noster : Verus Princeps non per hæc externa insignia internoscitur, cuiusmodi sunt, purpura, torques seu amiculum prætenue ac molliculum, & diadema, sed per id, quia imprimis virtutem obtinet Principe dignam. Qui enim miserabili iugo voluptatum premitur, ac seruit variis ac multiplicibus concupiscentijs, seruus quum sit peccati, inidoneus est, nec accommodus obeundo principatui.

II. OFFICIVM fastum elationis in potentia cauere : nam vt recte monet S. GREGOR. XXVI. G.c.21.
Moralium, homo *nonnunquam eo ipso quo præeminet ceteris elatione cogitationis intumescit, & dum ad vsum cuncta subiacent, dum ad votum feliciter iussa complentur, dum omnes subditi, si qua bene gesta sunt, laudibus efferunt, male autem gestis nulla auctoritate contradicunt, dum plerunque laudant, etiam*

quod

quod obiurgare debuerunt, seductus ab his, quæ infra subduntur, super se animus tollitur, & dum foris immenso fauore circundatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus sui in voces se spargit alienas: talémque se credit, qualem foris audit, non qualem intus discernere debuit: subiectos despicit, eosque sibi æquales ordine non agnoscit: & quos sorte potestatis excesserit, transcendisse etiam se meritis vitæ credit: cunctis se æstimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum: & qui æqua cæteris conditione constringitur, ex æquo respicere cæteros dedignatur, sicque vsque ad eius similitudinem ducitur, de quo scriptum est. Omne sublime videt, &
Iob.41. *ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.* Et paulo
15. post: *Sic* SAVL *ab humilitatis merito in tumorem superbiæ culmine potestatis excreuit. Per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus, Domino*
1.Reg.15. *attestante, qui ait: Nonne cum esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël? Paruulum se ante potestatem viderat, sed fultus temporali potentia iam se paruulum non videbat. Cæterorum namque comparatione se præferens, magnum se apud se esse iudicabat. Miro autem modo, cum apud se paruulus, apud Dominũ magnus: cum verò apud se magnus, apud Dominum paruulus fuit. Magnos nos Dominus*
Isai.5.21. *apud nos esse prohibet per Prophetam dicens: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.*

III. OFFICIVM est, non ita humilitatem sectari, vt dissoluatur disciplina, id est, in castigandis vitiis debita seueritas. Nam vt idem san-
Greg.c.23. ctus Doctor deinceps ibidem hortatur: *Seruanda est in corde humilitas, & in opere disciplina. Atque*

inter

inter hæc solerter intuendum, ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, soluantur iura regiminis, & dum Prælatus, quisq; plus se quàm decet deijcit, subditorum vitam stringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneamus ergo exterius, quod pro aliorum vtilitate suscipimus: teneamus interius, quod de nostra æstimatione sentimus. Sed tamen decenter quibusdam erumpentibus signis tales apud nos esse ipsi nos etiam, qui nobis commissi sunt, non ignorent: vt & de auctoritate nostra, quod formident, videant, & de humilitate, quod imitentur, agnoscant. Seruata autem auctoritate regiminis ad cor nostrum sine cessatione redeamus, & consideremus assiduè, quod sumus æqualiter cum ceteris conditi, non quod ceteris temporaliter prælati: Potestas enim quanto exterius eminet, tanto premi interius debet, ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne iam sub se mens eum regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Bene Dauid regni potentiam regere nouerat, qui elationem eiusdem potentiæ semetipsum premendo vincebat, dicens: Domine non est exaltatum cor meum. Quique in eius humilitatis augmento subiungit, Neque elati sunt oculi mei. Atque addidit: neque ambulaui in magnis: & adhuc subtilissima semetipsum inquisitione discutiens ait: neque in mirabilibus super me. Omnésque etiam cogitationes suas à fundo cordis exhauriens, subiungit dicens: Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Ecce humilitatis hostiam ab intimo cordis oblatam crebrò replicat, & iterum atque iterum confitendo offerre non cessat, eámque multipliciter loquens iudicis sui oculis ostentat. Quid est hoc? Et quomodo istud sacrificiu Deo placere cognouerat, quod in conspectu eius tanta iteratione vocis immolabat? nisi quod vicina esse superbia potentibus

Psal. 130. 1.

tibus solet, & pene semper rebus affluentibus elatio sociatur, quia & sæpe humoris abundantia duritiam dat tumoris.

IV. OFFICIVM est, inter imperandum aliis affectibus suis maxime dominari. *Qui enim dominatur animo suo*, ait sapiens, *melior est expugnatore vrbium.* S. BASIL. id hexæm. eo refert, quod initio Genes. homini datur imperium in omnes bestias, id est, in omnes bestiales affectus; *Sane*, inquit, *in hoc creatus es Princeps, vt imperites istis affectibus, vt dominere bestijs, reptilibus, vt præsis simul & volatilibus. Cogitationes ne admittito aëriuagas, & plenas vanitatis. Nolim teipsum existimes magni quiddam esse momenti. Fueris alioqui volucris instar nusquam consistens, nec firmo vnquam animo huc illuc circumuagare palabundus. Tuis fere imperes cogitationibus, imperator vt sis quæ sunt omnium. Ad hanc doctrinæ formulam collatus nobis principatus per animalia mores nostros concinno ordine moderatur, & eo dirigit, vt nostri ipsorum discamus esse Domini. Absurdum enim fuerit, & res admodum insolens, si is non vni genti imperet, qui ipse domi ex alieno pendeat arbitrio: is administrandæ Reipubl. præficiatur, qui in intimis ædibus captiuus premitur iugo vilissimi scortilli, nec rem familiarem rite dispensat. In hunc rem si domesticam confusam reliquerit, nec eam scierit dirigere in ordinem, iure à subditis regeretur Euangelicus ille sermo; Medice, cura teipsum. Auspicium proinde medendi à nobis ipsis primum sumamus. Nemo quod venatu non prehenderit leonem contemptui patuit, aut multatus morte est: iræ intemperiem qui non domuit, nulli non fuit deridiculus. Hoc igitur affectu priuato quisquis non euasit superior vituperij incurrit notam.*

Prou. 16. 32.

V. OFFI

V. OFFICIVM est, Leges condere, nam in Prouerbiis Sapiens dicit: *Per me Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt.* Et ita docet S. AVGVSTINVS libro decimo nono, de Ciuitate Dei; *Hæc cœlestis*, inquit, *ciuitas, dum peregrinatur in terra lex omnibus gentibus ciues euocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem, non curans quicquid in moribus, legibus, institutisque diuersum est, quibus pax terrena vel conquiritur vel tenetur, nihil eorum rescindens, vel destruens, imo etiam seruans ac sequens.* RATIO quoque manifeste idem ostendit, nam Christiani eo quod sunt Christiani, non desinant esse homines & ciues, ac proinde membra Reip. temporalis, debent ergo regulam aliquam humanam habere, qua in quotidianis actionibus & consuetudinibus humanis dirigantur: nec sufficit ad hoc arbitrium Principis. Sæpe enim Princeps est insipiens, rudis & improbus. Leges autem, quæ non nisi à sapientibus & doctis feruntur, eodem modo semper se habent. Deinde iudicium Principis vt sit rectissimum, vix vnquam caret suspicione, inuidia, querelis, maledictis, cum illud ab amicis & propinquis, ab aliis vero per munera & terrores peruerti possit. Vnde ARISTOT. lib. 3. politicorum docuit non modo perutilem, sed necessariam quoque esse conditionem legum. QVÆRES an Magistratus politicus possit ferre leges obligantes in conscientia ad peccatum. Respondeo omnino, ita enim clare docet Apostolus in epistola ad Romanos, vbi dicit omnes homines ideo subditos esse illi debere, quia potestas eius sit à Deo. 2. Dei ordinationi resistere, qui magistratui resistit. 3. eum

Prou. 8. 15.

Aug. c. 17.

Arist. c. 1.

Rom. 13. 1.

damnationem acquirere, nempe æternam, vt Patres exponunt. 4. non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam debere esse subditum, & legibus parere. Ratio quoque astipulatur. Quomodo enim magistratus posset præuaricatores suarum legum morte multare, si culpam in conscientia præuaricando non contraxerunt? *Omnis pœna, si iusta est,* inquit S. AVGVSTINVS libro primo Retract. *pœna peccati est.* Aug.c.9.

VI. OFFICIVM est, Publica iudicia exercere, ad quid enim prodessent leges, si nulla deberent esse iudicia? Vnde Dauid Rex in Psalmis dicit: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* & Ieremias: *Regnabit Rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* & in Deuteronomio DEVS iubet: *Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iusto iudicio.* & S. Paulus in priore ad Corinthios: *Secularia iudicia si habueritis contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum: Sic non est sapiens quisquam in vobis, qui iudicare possit fratrem suum?* Psal.2.10. Ierem.23.5. Deut.16.18. 1.Cor.6.4.

VII. OFFICIVM punire legum præuaricatores iuxta sceleris grauitatem, etiam gladio. Nam Apostolus in epistola ad Romanos diserte dicit: *Si male egeris time,* scilicet magistratum: *non enim sine causa gladium portat: minister enim Dei est.* Et Christus apud Matthæum ad Petrum: *Qui,* inquit, *acceperit gladium, gladio peribit,* hoc est, à Magistratu occidetur, qui iniuste aliquem occiderit: arguit enim Dominus Petrum, non quod se aut Dominum defendere vellet, sed quod iniuriam Domino factam vlcisci vellet, cum tamen non haberet publicã ad hoc auctoritatem, vt exponit Augustinus in Matth.26.52. Aug.tract.112.

in Ioan. Exempla quoque non desunt. Nam in Genesi Iudas Patriarcha, vt Princeps familiæ adiudicauit adulteram ad ignis supplicium: *Producite*, inquiens, *eam, vt comburatur.* Et ipse Moses, Iosue, Samuel, Dauid, Helias aliique sancti viri plurimos occiderũt, vel occidi iusserunt. S. PATRES etiam idem asseuerant. S. HILARIVS in Matthæum dicit licere occidere, primo si quis iudicis fungatur officio, secundo in sui defensionem. Et S. HIERON. in Hieremiam; *Homicidas*, ait, *& sacrilegos & venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.* S. AVGVSTIN. lib. 1. de Ciuitate Dei; *Nequaquam*, inquit, *contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est, Non occides, qui personam gerentes publicæ potestatis sceleratos morte punierunt.* Ratio quoque patrocinatur, quia videmus Medicum amputare mẽbra, quæ totũ corpus inficere possent; agricolæ amputant ramos & pampinos, quę officere possunt arboribus & vitibus, potest ergo & Præses Reip. noxios ciues è medio tollere, ne alios corrumpant.

Gen. 38. 24.

Hilar. in c. 26.

Hier. in c. 22.

Aug. c. 21.

VIDE V. De Statu Iudicum, Prælatorum, Regum & Principum, & de Statu Rusticorum.

DE STATV MATRIMONII.

CAPVT I.

De nomine & definitione Matrimonij.

MATRIMONII nomen A. GELLIVS libro 18. Noctium Atticarum à matre deducit, quia mulier nubit, vt mater efficiatur. Consentit noster D. AVGVSTINVS, qui libro 19. contra Faustum Manichæum scribens: *Matrimonium,*

Gell. c. 6.

Aug. c. 26.

monium, inquit, *ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quàm vt mater fiat.* Idem alia
Gen. 2. 24. voce Latina vocatur CONIVGIVM ab effectu, quod Matrimonij beneficio duo in vnam carnem coniungantur, iuxta illud Geneseos: *Et erunt duo in carne vna.* Item CONNVBIVM & NVPTIÆ à prisco ritu; sponsæ enim apud veteres cum viro tradebantur, nubere, id est, velare capite solebant.
Gen. 24. 66. Legimus quoque in Genesi, Rebeccam, cum videret virum suum Isaac deambulantem, & obuiam venientem, caput suum velasse pallio.

Clem. non longè à fine. QVOD ad rem nomini subiectã attinet CLEMENS Alexandrinus in altero Stromatæo ita definit: *Matrimonium est prima legitima viri & mulieris coniunctio ad liberorum procreationem.* IVSTI-
Inst. de patria pot. NIANVS Imperator initio Institutionum: *Matrimonium*, ait, *est viri & mulieris coniunctio, individuam vitæ consuetudinem continens:* Idem MODES-
P. de rit. nupt. Alex. c. illud. TINVS in Pandectis, titulo 2. libro XXIII. Sic definiuit, & ALEXANDER III. in decretalibus titulo, de præsumptione. Quam definitionem, vt intelligas, obserua in Matrimonio septem reperiri. 1. mutuum consensum viri & vxoris internum. 2. externum contractum. 3. mutuam corporum traditionem. 4. vinculum ex illis contractum. 5. mutuam obligationem ad reddendum debitum ex contractu illo secutam. 6. ius quod est in vnoquoque ad alterum. 7. vsum vel consummationem Matrimonij. Ex his septem, non omnia sunt de essentia & natura Matrimonij. Non 1. & 2. quia sunt causa efficiens Matrimonij, & quia matrimonium durat vsque ad mortem, illa autem duo transeunt. Similiter nec 3. quia tra-

ditio

ditio illa etiam transit. Nec 5.6.& 7. quia sequuntur constitutum Matrimonium, vnde verum dicimus extitisse Matrimonium inter Mariam virginem & Ioseph, & tamen non fuit consummatum, vt liquet ex Matthæo. Essentia ergo Matrimonij consistit in 4. id est, vinculo ex illo contractu orto, & hoc in definitione intelligitur nomine (legitimæ viri & mulieris coniunctionis) cætera adiuncta sunt ad explicandum fidem matrimonij, qui est liberorum procreatio, mutua habitatio, & indissolubilitas. Matth.1. 18. Aug.l.2.de conf.c.1.

DIVIDITVR autem Matrimonium ab aliis in legitimum, ratum & consummatum. Legitimum vocant, quod legitimo consensu contrahitur, quale etiam est apud infideles. Ratum verò, quod est sacramentum non tamen copula carnali consummatum, quale non contrahitur ab infidelibus, vt habetur in titulo de diuortiis in decretalibus Pontificum epistolis. Consummatum est, quod est copula carnali perfectum, quod commune esse potest vtrisque, fidelibus & infidelibus. c.quanto.

CAPVT II.

De dignitate Matrimonij.

MATRIMONII dignitatem præstantiámque primo ex eo capite ostendere possumus, quod liqueat à DEO conditi mundi initio institutum. Verba enim DEI sunt secundo Geneseos: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Qua autem in re Adam eguit adiumento Euæ, nisi in procreatione & educatione liberorum? ait S. AVG. lib.9.de Genesi ad litteram. Gen.2.18. Aug. c.7.

Gen.2.23. Matth.19.6. Deinde verba ibid. ab Adam dicta: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Christus ipse apud Matthæum adscribit DEO, & addit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* NEC est, quod quis obiiciat coniunctionem bestiarum, creationem agricolarum, sutorum & sartorum, imò totius mundi creationem à DEO esse, & non ideo apparere singularem aliquam eorum præstantiam; nam ibidem S. Scriptura non obscurè indicauit, ipsam viri & mulieris coniunctionem typū esse rei mysticæ & sacræ, quem Christus apud Matth. & Apostolus ad Ephesios, vt iam iam dicemus, declarauit. DEINDE inchoante nouo testamento, non alia de causa Christus ipse nuptiis interfuit, & miraculo insigni eas cohonestauit, quam vt se auctorem coniugij declararet, vt exponit ibi Augustin. PAVLVS quoque ad Hebræos ait: *Honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus.*

Gen.2.23. Matth.19. Eph.5.6. Ioan.2.2. Heb.13.4.

II. Dignitatem Matrimonij ex eo capite ostendimus; Quod Christus & Apostoli liquido declarent Matrimonium non tantum esse naturalem & ciuilem viri & mulieris coniunctionem, sed etiam illam ipsam coniunctionem esse signum rei sacræ, & repræsentare nobis rem sanctissimam. Nam Christus apud Matthæum ex loco Geneseos concludit coniunctionem coniugum non posse vnquā solui. PAVLVS verò in epistola ad Ephesios respiciens ad eundem locum Moysis, cum repetiuisset verba Geneseos; *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, mox addidit: Sacramentum hoc* (id est, relinquere patrem, & adhærere vxori) *Magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia,* quia nimirum

Matth.19.6. Gen.2.28.

nimirum repræsentat Christi insolubilem coniunctionem cum Ecclesia. Vnde & superius intulit, non secus virum vxorem suam diligere, quàm Christus Ecclesiam. Accedit quod Ecclesia Catholica Matrimonium numerat inter verè & proprie dicta sacramenta, hoc est, quæ gratiam conferant. Et probari potest ex illo testimonio Apostoli in priore ad Timotheum ita scribentis: *Saluabitur*, nempe mulier, *per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*, vt sensus sit, Mulierem in statu generandi filios vel coniugij posse saluari, si seruarit coniugij fidem, si ab odio viri abstinuerit, si castum coniugium coluerit, & intemperantiam omnem declinarit, quæ virtutes cum ipsa matrimonij celebratione coniugibus præbentur. Adhæc idem Apostolus in priore ad Corinthios docet, Matrimonium legitimum ab infidelibus ante baptismum contractum posse dissolui, à fidelibus verò post baptismum contractum non posse, cuius causa nulla reddi potest, quam quia hoc sacramentum signum est indissolubilis coniunctionis CHRISTI cum Ecclesia, illud vero non est: at ad indissolubile vinculum cum vna tenendum certe gratia necessaria est. Quis enim credat DEVM rem tam arduam instituisse & non simul singularem gratiã ad superandam difficultatẽ Matrimonio illi impertiuisse?

Ephes. 5. 28.

1. Tim. 1. 15.

1. Cor. 7. 10. 12.

III. PATRES quoque prisci cõsentiunt Scripturis. Nam IGNATIVS epistola ad Philadelphenses, cum virgines aliquot enumerasset: *Non quod*, inquit, *vituperem reliquos diuos, quod rei vxoriæ se dederint, opto enim vt dignus sim in regno cœlorum ad horum pedes locum mihi dari, vt Abrahæ, Isaac, Iacob,*

vt Ioseph, Isaiæ & aliorum Prophetarum, qui nuptijs
Marc. c. 9. *operam dederunt.* Et S. MARCIALIS epist. ad Tolosanos: *Non prohibemus nubere legitimo connubio, cum & hoc coniugium honestum concessum sit, & constitutum à Deo ab initio mundi in multiplicationem generis humani: Intantum enim Dominus DEVS & Magister IESVS CHRISTVS legitimum & immaculatum thorum connubij approbauit ijs, qui in sanctificatione & honore castitatis nubere volunt, vt ad quasdam nuptias inuitatus eas præsentia suæ Maiestatis sanctificauerit, & miraculo magnificè stupendo lætificauerit.* TERTVLLIANVS vetustissimus ad
Tert. lib. 2. vxorem, ostendens discrimen inter coniugium fidelium & infidelium, sic scribit: *Vnde sufficiam ad felicitatem eius Matrimonij enarrandam, quod Ecclesia conciliat, & confirmat Oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater rato habet?* Et AMBRO-
Ambr. ep. 70. SIVS ad Vigilium: *Nam cum coniugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, vbi non est fidei concordia.* BASILIVS de vera Virginitate: *Ita fiunt honorabiles nuptiæ, quando rationem coniugij non præit obscœna voluptas, sed iacto secundum leges diuinas sancto fundamento matrimonium necessario sequi voluptas ipsa concubitus, vnámque carnem duos facere deprehenditur.* CLEMENS Alexandrin. tertio Stromatum: *Matrimonium quod est ex lege, nescio quomodo quis dicet se Deum nosse, dicens Dei iussum esse peccatum: Quod si lex sancta est, sanctum est matrimonium: Sacramentum ergo hoc ad Christum & Ecclesiam ducit Apostolus.*
Eph 5. 28. Hier. ep. 9. AVGVSTINVS libro de bono coniugali:
Aug. c. 24. *Bonum*

Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generãdi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti. Et libro de fide & operibus: *In ciuitate Domini in monte sancto eius, hoc est, in Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, sed etiam sacramentum cooperatur.* INNOCENTIVS I. Pontifex epistola ad Probum, ait matrimonium diuina gratia fundari dum celebratur. CYRILLVS lib. 2. in Ioannem dicit Christum sanctificasse coniugium, & gratiam nuptiis præparasse, vt aditus hominum in hac vita benediceretur. LEO I. epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum vocat Matrimonium sacramentum & mysterium. Deinde omnes Doctores in quarto sentent. distinct. 26. Matrimoniũ in 7. sacramentis Ecclesiæ annumerant. & Concil. FLORENTINVM Græcis & Latinis consentientibus instructionem Armenis dedit, in qua Matrimonium Baptismo, Eucharistiæ, cæterisque sacramentis accensetur. Idem nuper, nempe Anno M. D. LXXVI. Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus nomine suo & reliquorum Græciæ Præsulum in Censura confessionis Augustanæ fecit. Id. c. 7. Inn. ep. 9. Cyr. c. 12. Cens. c. 7.

CAPVT III.

De tribus Bonis Matrimonij.

BONA Matrimonij, quibus videlicet actio Matrimonij honesta & licita semper redditur, vbique B. AVGVSTINVS tria præcipua assignat, vt in libro de sancta Virginitate: *Habeant,* inquit, *coniugia bonum suum, non quia filios procreant sed quia honestè, quia licitè, quia pudicè, quia socialiter procreant,* Aug. c. 12.

& procreatos pariter, salubriter, instanter educant: quia thori fidem inuicem seruant, quia sacramentum connubij non violant. Et libro nono de Genesi ad litteram: *Quod bonum habent nuptiæ, & quod bonæ sunt nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale, cum altera vel altero concumbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento autem, vt coniugum non separetur, & dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri coniungantur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur prauitas.* Et lib. 2. de peccato originali contra Pelagium: *Bonum ergo sunt nuptiæ in omnibus, quæ sunt propria nuptiarum. Hæc autem sunt tria. Generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubij sacramentum. Propter generationem ordinandi scriptum est; Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse. Propter fidem pudicitiæ vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir. Propter connubij sacramentum: Quod DEVS coniunxit, homo non separet. Propter hæc omnia honorabiles nuptiæ in omnibus, & thorus immaculatus.* De his tribus bonis latius agit Augustinus libro toro de bono coniugali, & nos de singulis aliquid fusius dicemus.

Id.c.7.

Id.c.34.

1.Tim.5. 14.

1.Cor.7.4.

Matt.19.6.

Heb.13.4.

De Bono I. Prolis.

QVOD ad primum bonum, nempe PROLIS attinet: non pertinet tantum ad bonum Matrimonij procreare liberos, sed etiam educare & instituere, vt B. AVGVSTINVS iam citatus quoque notauit, tum quia hoc postulat similitudo inter Christum & Ecclesiam, cui confertur coniugium. Christus enim & Ecclesia semper filios spirituales per

per baptismum gignunt, & per Eucharistiam nutriunt, per Confirmationem roborant, per Ordinem ad certum statum destinant, &c. 2. quia idcirco coniunguntur Matrimonio Ecclesiæ filij, vt Ecclesiam augeant & conseruent. Deinde in eo distat coniugium hominum à coniugio bestiarum, quod hæ solum procreent & alant suos fœtus, non autem instituant, at hominum Christianorum est præterea instituere in fide, & religione Catholica, vt membra vera Ecclesiæ fiant.

SECVNDO pertinet etiam ad bonum Matrimonij, teste Augustino, domestica societates viri & mulieris, & operum ciuilium communicatio: Nam, vt Aristoteles docet lib. 8. Ethicorum, vir & vxor non solum iunguntur ad procreandum, vt animalia cætera, sed etiam ad cohabitandum, vt familiã regãt, & officia domestica inter se partiantur. Alia enim munera viro, alia vxori conueniunt. August. de bono coniug. c. 3. Ar. c. 12.

DICES, quid si alter coniugũ cum altero coniugium ineat vel exerceat, non procreandæ prolis causa, sed euitandæ fornicationis? Respondeo Apostolum in priore ad Corinthios respondere: *Propter fornicationem autem*, inquit, *vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat.* Et paulo post subiicit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Quæ verba expendens S. AVGVST. de bono coniugali: *Non nuptias*, ait, *secundum veniam concedit Apostolus: nam quis ambigat absurdissimè dici, non eos peccasse, quibus venia datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, & aliquando nulla causa procreandi: quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant: si tamẽ non* 1. Cor. 7. 2. Aug. c. 10.

ita

ita sit nimius, vt impediat quæ sepositæ esse debent tempora orandi, nec immutetur in eum vsum, qui est contra naturam. Concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis & ipse solus nuptialis est: ille autem, qui vltra istam necessitatem progreditur, iam non rationi, sed libidini obsequitur. Hunc tamen non exigere, sed reddere coniugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet coniugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem non faciunt planè nuptiarum. Vnde Theologi Scholæ S. Thomas, Bonauētura & alij cum Petro Lombardo distinct. 31. concludunt esse quidem peccatum veniale vti coniugio ad vitandam fornicationem sui, non autem ad vitandam fornicationem coniugis, quoniam eo ipso quod alius indiget, non tam petitur quàm redditur debitum. Eodem modo delinquitur à coniugibus, si non sola voluntate, sed etiam voluptate generandi conueniant, vt notauit idem

Aug. c. 15. AVGVSTINVS lib. 1. de nuptiis & concupiscentia: *Sed tamen aliud est*, inquit, *non concumbere nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis concumbendo appetere voluntatem, sed non præter coniugem, quod venialem habet culpam. Quia etsi non causa propagandæ prolis concumbitur, non tamen huius libidinis causa propagationi prolis obsistitur, siue voto malo, siue opere malo. Nam qui hoc faciunt, quamuis vocentur coniuges, non sunt, nec vllam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt.*

De Bono 2. nempe fide coniugum.

BONVM alterum Matrimonij ex Augustino

1. Cor. 7. 3. vocauimus FIDEM coniugum, id est, fidelitatē in seruandis mutuis promissis: de qua Apost. ibidem:

vxori

vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. Mulier enim sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem. Et infrà: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit.* Vnde prædictus Doctor de bono coniugali: *Hoc accedit, quia in eo ipso, quod sibi inuicem coniuges debitum soluunt etiamsi id aliquanto intemperantius & incontinentius expetant, fidem tamen sibi pariter debent. Cui fidei tantum iuris tribuit Apostolus, vt eam potestatem, appellarit, dicēs: Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir. Similiter autem & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Huius autem fidei violatio dicitur adulterium, cum vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu cum altero vel altera contra pactum coniugale concumbitur, atque ita frangitur fides, quæ etiam in rebus corporeis & abiectis magnum animi bonum est, & ideo eam saluti quoque corporali, qua etiam vita ista continetur, certum est debere præponi,*

1.Cor.7. 39. A.c.4.

De Bono 3. nempe sacramenti.

BONVM denique tertium ex B. Augustino vocauimus Sacramentum connubij, quod alij vocant insolubilitatem, & in eo consistit, vt alter ab altero, post initum semel coniugium nunquam separetur secundum dictum Christi: *Quod DEVS coniunxit, homo non separet*, & Apostoli dicta priore ad Corinthios: *Iis autem qui in Matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.* Et infra: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius, liberata est.* Vnde S. AVGVSTINVS de bono coniugali: *Cauere*, inquit,

Matth.19. 6. 1.Cor.7. 11. 1.Cor.7. 29. Rom.7.2. Aug.c 7.

quit, *debet charitas coniugalis, ne dum sibi quærit, vnde*
Matth. 5. & 19. *amplius honoretur, coniugi faciat, vnde damnetur. Qui enim dimittit vxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Vsque adeo fœdus illud initum nuptiale, cuiusdam sacramẽti res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat: quãdoquidem viuente viro, à quo relicta est, mœchatur, si alteri nupserit: & ille huius mali causa est, qui reliquit. Miror autem si quemadmodum licet dimittere adulteram vxorem: ita liceat à dimissa alteram ducere. Facit enim hac de re sancta Scriptura difficilem nodum, dicente Apostolo, ex præcepto Domini vi-*
1. Cor. 7. 11. *rum à muliere non discedere debere: quod si discesserit,*
Matt. 19. 9. *manere innuptam, aut viro suo reconciliari: cum recedere vtique & manere innuptam, nisi ab adultero viro non debeat, ne recedendo ab eo qui adulter non est, faciat eum mœchari: reconciliari autem viro, vel tolerando, si se ipsa continere non potest, vel correcto forsitan iuste potest. Quomodo autem viro possit esse licentia ducendæ alterius, si adulteram reliquerit, cum mulieri non sit nubendi alteri, si adulterum reliquerit, non video. Quæ si ita sunt, tantum valet illud sociale vinculum coniugum, vt cum causa procreandi colligitur, nec ipsa causa procreandi soluatur. Posset enim homo sterilem dimittere vxorem, & ducere de qua filios habeat, & tamen non licet, & nostris quidem iam temporibus, ac more Romano nec superducere, vt amplius habeat, quam vnam viuam: & vtique relicta adultera, vel relicto adultero possent plures nasci homines, si vel illa alteri nube-*
Id. c. 20. *ret, vel ille adulteram duceret.* Et libro primo de nuptiis & concupiscent. *Vsque adeo inter viuentes manent semel inita fœdera nuptiarum, vt potius inter se sint coniuges etiam separati, quam cum his, quibus adhæserunt.* Et paulo post: *Manet inter viuentes*

quoddam

quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre: sicut apostata anima velut de coniugio recedens CHRISTI, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod in lauacro regenerationis accepit: redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recessit, ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij.

EXCIPIES forte, Christum apud Matthæum ita disertè loqui; *Qui dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, & duxerit aliam, mœchari*, ergo à contrario sensu apertè effici, eum qui propter fornicationem dimisit vxorem, & aliam duxerit, non mœchari. Sed idem AVGVSTINVS lib. 1. de adulterinis coniugiis notauit esse fallacem argumentandi formam: sicut enim non sequitur: si homo est, animal est, ergo si non est homo, neque animal est. Et sicut non sequitur, *scienti bonum facere*, vt ait Iacobus Apostolus, *& non facienti, peccatum est illi*, ergo qui nescit bonum non peccat (sunt enim etiam peccata ignorantium, ait Augustinus.) Ita non sequitur, vxorem probam dimittere non licet, & aliam ducere, igitur improbam & adulteram licet dimittere, & aliam ducere.

Matt. 19. 9.

Aug. c. 8. & 9.

Iac. 4. 17.

CAPVT IV.

De Matrimonij Proprietatibus.

PROPRIETAS I. est, Matrimonium est res naturalis, vel naturæ consentanea. Liquet ex diuinis litteris, quia cum ipsa natura in principio orbis conditũ esse videtur, & Deus suæ cõditionis rationem

Gen. 11. 18.

rationem naturalem addidit, dicens: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile*
Hier. in c. 19. *sibi.* Vnde B. HIERONYMVS in Matthæum scribens, vocat *legem* Matrimonij tunc à Deo latam,
Cl. c. 10. *naturalem.* Et CLEMENS Alexandrinus cum in 2. Pædagogi non semel monuisset, finem coniugij esse vt boni sint liberi, quemadmodum agricolæ in seminibus iaciendis finis est fructuum perceptio: *Non coire,* inquit, *ad liberûm procreationem, est facere iniuriam naturæ, quam quidem oportet Magistram ascisere. Secundum naturam autem nobis vita vniuersa processerit, & si ab initio cupiditates contineamus, & hominum genus, quod ex diuina prouidentia nascitur, improbis & malitiosis machinationibus non interficiamus.* Et LACTANT. lib. 3. diuinarum institutionum impugnans Platonem, qui ex Socrate suo voluit omnes omnib. vxores esse communes, ostendit naturam reclamare isti communitati, eaque tolli non solum Matrimonium, sed etiam omnes virtutes, atque adeo ipsam concordiam & coniunctionem animorum quam nomine communitatis quæsiuerunt. Clarius S. AVGVSTINVS libro de Bono coniugali: *Ob hoc,* inquit, *ex vno Deus voluit omnes homines condere, vt in sua societate, non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. Prima itaque naturalis humana societatis copula vir & vxor est. Quos nec ipsos singulos condidit DEVS & tanquam alienigenas iunxit, sed alteram ex altero creauit, signans etiam vim coniunctionis in latere, vnde illa detracta, formata est. Lateribus enim sibi iunguntur, qui pariter ambulant, &*
Id. c. 61. *pariter quo ambulant intuentur.* Et XXII. contra Faustum; *Consulta,* ait, *aterna lex illa, qua ordinē naturalem*

conseruari iubet, perturbari vetat, non nisi propagationis causa statuit hominis concubitum fieri, & hoc non nisi socialiter ordinato connubio, quod non peruertat vinculum pacis, & ideo prostitutio fœminarum, non ad substituendam prolem, sed ad satiandam libidinẽ propositarum, diuina atque æterna lege damnatur. Nec dissentit Philosophorum Princeps, nam in primo lib. Oeconomicon ait: *Ex ijs quæ ad homines pertinent, prima est cura complectendi vxorem: nam naturalis societas maxime est inter feminam & marem: Fieri autem nequit, vt hoc absoluat femina absque mare, aut mas absque femina: Vnde necessaria est horum societatis constitutio: In cæteris quidem animantibus exstat hoc sine ratione, & eatenus quoad fert naturæ ipsarum, & procurandæ sobolis gratia tantum: At in homine, liberûm procreatio non pertinet tantum ad explendum munus naturæ, sed ad vtilitatem quoque.* Idem habet primo politicorum c. 2. Neque nos, aut Patres dicunt matrimonium esse ita naturale homini, vt ex natura hominis, sicut sursum tendere ex natura ignis, proueniat, (alioquin libero arbitrio hominum celebrari non posset, & vouere virginitatem illicitum esset) sed quia natura hominem inclinet, ad sartam tectámque seruandam atque etiam multiplicandam speciem humanam. Arist. c. 3.

II. PROPRIETAS est. Matrimonium, vt naturale est, ita etiam præceptum saltem in communi. Nam vt iuri naturali congruens est, vt sint agricolæ, pistores, & id genus artifices, nec tamen illa officia singulis imperantur hominibus, sed tantum toti Reipub. sic & coniugia, quare Respub. vt sine artificum operis, ita sine liberorum procreatione conseruari non potest. An vero ante aduentum

Christi diuinum aliquando coniugij ineundi fuerit mandatum, quod ad singulos homines pertineret, controuersum est inter eruditos. Nam verba Dei in Genesi, *Crescite & multiplicamini*, quod ad creaturas etiam rationis expertes relata sunt, non tam præcepti, quam singularis cuiusdam benedictionis vim habere videntur: aut si præcepti vim in homine habuerint aliquando, cum hominum numerus esset exiguus, propagato tamen hominum genere obligandi vim amiserunt. Post aduentum certe Christi, promulgatámque legem nouam, & propositum castitatis consilium, omne præceptum antiquatum videtur. Quo loco merito roget aliquis, an ergo secularis magistratus lege lata non possit nunc ciuibus, quibus velit imperare coniugium, & olim potuerit? Respondeo, ante aduentum Christi iustis ex causis absolute eum potuisse, vt fecit Romana Respub. cum in magna hominum inopia coniugia imperauit proletariis. Post prædicatum vero Euangelium Christi, absolute nemini potest, etiam quatenus officium naturæ est, nisi grauissimorum malorum depellendorum causa. Hoc enim tempus est, quo cum Apostolo liceat optare, vt sint omnes casti & cœlibes. At dices, si omnes sint cœlibes, breui mundum interiturum; *Vtinam*, ait B. AVGVSTINVS libro de bono coniugali, *omnes hoc vellent, dum taxat in charitate de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta: multo citius Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus seculi: Quid enim aliud hortari apparet Apostolum, vbi ait, vellem omnes esse sicut meipsum?*

Gen. 1. 9. Aug. 12. ciu. c. 22.

Matth. 19. 1. Cor. 7.

Tert. in exhort. ad castit. Hier. lib. 1. in Iouin. Aug. c. 10.

1. Cor. 7. 7.

III. PROPRIETAS, Non dubium est actionem matrimonij esse bonam & licitam, si tribus dictis

dictis Bonis ornetur. Hæc annotatur contra veteres hæreticos, Saturninum, Gnosticos, Tatianum, Encratytas, Apostolicos, qui crediderunt esse, non modo illicitam, sed etiam opus diaboli. Et Patres vnanimiter redarguerunt illum errorem ex Scripturis. Nam in Genesi Deus ipse creauit mascu- Gen. 1. 27.
lum & feminam, & feminam quidem in adiuto- Gen. 2. 22.
rium viri, *cur vero*, inquit *S. Augustinus nisi ad generationem?* Deus vtrúmque tanquam paranymphus coniunxit, inspirauit Adæ, vt apud Matthæum Matth. 19.
Christus testatur verba illa; *Hoc os ex ossibus meis,* 5.
&c. quibus probatur institutio matrimonij, qua Sacramentum est. Deinde benedictionem nuptiis
impertiit, dicens; *Crescite & multiplicamini.* In No- Gen. 1. 28.
uo vero Testamento, Christus ipse apud Mat- Matth 5.
thæum, bis non solum probauit coniugium, sed 31.
etiam reprobauit eius repudium. Adhæc elegit Matth. 19.
plæroſque Apostolos iam coniugatos, & secun- 8.
dum quosdam etiam Paulum. Interfuit ipse nuptiis Ioan. 2. 2.
& miraculo decorauit. Apostolus autem ipse non Heb. 13. 4.
modo dicit connubium esse honorabile, & vult 1. Tim. 5.
iuniores viduas nubere & matresfamilias esse, sed 14.
etiam prædixit venturos tales, qui illicitas faciant 1. Tim. 4.
& diabolicas nuptias. 3.

IV. PROPRIETAS, Nulla in Ecclesia, vel Repub. seculari potestas est iungendi aliquos matrimonio, sine coniugum ipsorum consensu: Nam diuinæ literæ finem matrimonij faciunt mutuum amorem, vt liquet ex cap. 2. Genesios, & epistola Gen. 2. 23.
Apostoli ad Ephesios & Colossenses. Deinde talis Eph. 5. 25.
coniunctio repugnat amicabili societati cõiugum; Col. 3. 19.
nam si dissentient ambo, nunquam se coniungent: deinde prolis educationi & institutioni, mutuis

item obsequiis & vinculo perpetuo, nullum enim violentum perpetuum. Præterea nec Ecclesia, nec Respublica potest illud vinculum tollere, ergo nec constituere: *Quos Deus coniunxit*, ait Christus, *homo non separet*. Demum omnes leges ciuiles & canones idem tradunt, & Synodi Tridentinæ Patres agentes de matrimonio, excommunicant omnes Principes ad coniugium cogentes. Si dicas, iuxta Aristotelem in secundo Politicorum, Remp. habere potestatem in ciues perfectam, & Principem in omnibus aliis contractibus posse consensum supplere. Respondeo, ibidem docere philosophum, potestatem illam vel dominium non esse seruile, sed cum magna libertate coniunctum: nec enim potest Resp. pro libidine necare ciues, aut aliquid aliud simile facere sine grauissima causa, in coniugio autem nullam idoneam potest habere causam. Quod ad Principem attinet, dissimilis ratio est, non enim tollitur ratio contractus, licet ipse consensum suppleat; hic autem tota ratio contractus tollitur, cum & finis tollatur. In aliis quoque contractibus ita agitur, vt reuocari possint, sed matrimonium semel contractum nunquam potest. Potest tamen Princeps compellere alium iustis de causis, vt alicui nubat, licet ipso manente inuito id constituere nequeat, vt quidam docent.

Matth. 19. 6.

Cõc Trid. sess. 24. c. 9.

V. PROPRIETAS, Consensus ergo iste in matrimoniis ab ipsis coniugibus exprimendus est, & quidem signis externis, tum quia nulli contractus ineuntur sine externis ritibus, cum quia Sacramenti natura sine sensibilibus signis constare non potest. Signa autem sunt verba ore ipsorum coniugum, vel aliorum prolata (quod fit in matrimoniis

c. procurator. de procurat.

moniis per Procuratores & aliquando per parentes præsente puella tacente consentiente, nutus quoque, literæ scriptæ vel alia huiusmodi, cum verba commode adhiberi nequeunt. Muti enim & surdi à matrimoniis per leges non arcentur. Vter autem coniugum prius verba consensus proferat, nihil interest, licet honestius sit à viro initium sumere, tum quia vir caput est mulieris, tum etiam quia fœminæ sunt verecundiores. c.vnico de desponſ. impub.in 6. De spõſal. c.cũ apud.

VI. PROPRIETAS. Verba mutui consensus præsentem contractum debent exprimere hac loquendi forma; *Accipio te in meam, vel meum*, aut simili, vt est; Habeo, teneo te in vxorem, vel in maritum. Vt si viro dicenti, accipio te in meam, respondeat fœmina, placet vel consentio. Et item si dicat mulier, volo te in virum, & vir respondeat, volo te in vxorem. Si enim futurum tantum declarent, etiam adiuncto iureiurando, non matrimonium, sed sponsalia tantum efficiunt: quanquam fieri potest, vt neque sponsalia efficiant, vt quando promissionem nullam significant, vt si quis sic loquatur: Volo contrahere tecum. Non accipiam aliam nisi te, quia volo contrahere, non est actu contrahere. Si tamen consuetudo loci habeat, per ea verba, volo tecum contrahere, vel similia, celebrari matrimonium, verum existeret matrimonium: quia cum coniuges consuetudinis patriæ non ignari iis verbis vtuntur, satis indicant se velle matrimonium inire. c. penult. desponſal.

VII. PROPRIETAS. Præter contrahentium consensum plæráque alia ad matrimonium legitimum nunc requiruntur, vt præsentia testium & Parochi, Benedictio Ecclesiæ, & Parentum Consensus. Cõc. Trid. sess. 24 c. 1. de reform. Matrim.

sensus. Clandestina enim Matrimonia semper detestata est Ecclesia, cum autem neque hortationibus, neque legibus abusum corrigere posset, sapientissime in Synodo Oecumenica Tridentina nuper decreuit, in posterum tempus pro nullis esse habenda. Quare vbicúnque vel Concilium Tridentinum, vel saltem hoc decretum eius de Clandestinis coniugiis promulgatum est, & receptum, ea vere irrita sunt, quæ post promulgationem sine præsentia duorum aut trium testium ac Parochi, vel alterius Sacerdotis, (qui Parochi vel Ordinarij licentiam habuerit) sunt contracta.

Cõc. Trid. sess. cir. Quæ vero ante huius decreti promulgationem contracta sunt, vel contrahuntur adhuc, vera & rata sunt matrimonia sicut olim fuerunt, licet honesta non sint, sicut nunquam esse potuerunt; ac proinde nec laudanda.

Adde quod eadem Synodus inhærendo vestigiis Conc. Lateranensis sub Innocentio III. acti, vt longius abesset à clancularij coniugij vitio, mandauit, vt non prius Matrimonia contrahantur, quam ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. Quod si autem probabilis interueniat suspicio, Matrimonium impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tum vel vnam tantum decreuit adhibendam denuntiationem, vel saltem Parocho ac duobus testibus præsentibus Matrimonium celebrandum, ac denuntiationem ante consummationem in Ecclesia esse faciendam, nisi forte ordinatio & illa omittenda videretur.

VIII.

VIII. PROPRIETAS est, Benedictio Ecclesiæ, qua Matrimonia quasi sanctificantur & consecrantur. Non est quidem ad rationem & essentiam Matrimonij necessaria, tamen sine noxa aliqua aut negligi, aut contemni potest. Nam & olim cœlestis Angelus nuptiarum Candidato Tobiæ consuluit, vt triduo precationi operam daret ad promerendam diuinam coniugij benedictionem, ac Patrum Senatus in Tridentino cætu sessione 24. hortatur coniuges omnes, vt antequam contrahant, saltem triduo ante Matrimonij consummationem peccata sua diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pie accedant. DVPLEX autem est Sacerdotis benedictio. Vna quæ in contractu de præsenti, vel priuatim domi, vel ante fores Ecclesiæ, quando Sacerdos dicit; *Ego vos coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Altera est, quæ datur in templo tempore Missæ cum variis precibus, quæ certe antiquissima est. Nam TERTVLLIANVS lib. 2. ad vxorem meminit oblationis, qua matrimonium in Ecclesia confirmatur, S. AMBROSIVS ad Vigilium meminit Sacerdotalis benedictionis, & item Syricius Papa epistola prima, & Innocentius I. epist. 2. & S. AVGVSTINVS in Conc. Carthaginensi IV. cap. 13. Denique & B. Isidorus libro 2. de Officiis, qui hunc & alios ritus matrimonij exponit.

Tob. 6. 16. T. c. 1. Amb. ep. 70. S. c. 4. In c. 6. Is. c. 19.

IX. PROPRIETAS est, parentum consensus in coniugiis contrahendis, delinquunt enim filij, quando sine iusta & rationabili causa parentibus insciis vel inuitis matrimonia ineũt, vnde legimus in Genesi Isaac vxorem accepisse, quam Pater ei dedit,

Gen. 24. 67.

dedit, & Rebecca vxor ipsius consilium Patris sui
Exod.34. 16. in ea te secuta est. Deinde in Exodo & Deuteronomio, præceptum de matrimonio filiorum pa-
Deut.7. 3. rentibus potius datur, quâ filiis, ne iungantur cum
Gen.28. 1. Chananæis. Et Isaac aperte iussit filio suo Iacob, vt non acciperet vxorem de filiabus Palæstinorum, sed aliquam ex filiabus Laban, quod & ille fecit.
Amb.c.vlt. S. AMBROSIVS quoque libro primo de Abraham, multa de hac re adfert, & inter alia laudat versus Euripidis, qui virginem ita loquentem introducit; *Sponsalium quidem meorum Pater meus curam subibit, hoc enim non est meum*, & in epistola ad
Id.ep.43. Syssinium, dicit eum iuste indignatum, quod se inscio filius vxorem ducere voluisset. DIXI, *sine iusta & rationabili causa.* 1. quia filius aliquando ducit vxorem inscio patre, quia credit Patrem ra-
Tob.7.10. tum id habiturum, quomodo Tobias duxit in aliena regione; nam alioquin Angelus Raphaël, qui cum eo erat, monuisset eum de expectando consensu parentum. 2. quia potest fieri vt pater iniuste arceat filium à coniugio, vt si hæreticam vel aliam indignam causa maioris dotis ei iungi velit.

SI autem loquamur de Matrimonio non iam contrahendo, sed reipsa citra voluntatem paren-
Trid. sess. 24.c.1. tum contracto, audienda est Synodi Tridentinæ in decreto de Reformatione sanctio; *IVRE*, inquit, *damnandi sunt illi, qui falso affirmant matrimonia à filijsfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.*
Gen.29.& 30. Nam Iacob Patriarcha in Genesi duxit vxorem vnam iuxta parentum suorum consilium, sed alias tres, & præsertim duas ancillas duxit, parentibus omnino inscijs, quod non fecisset, si consensum

sensum illum credidisset esse necessarium. Deinde in Iure Canonico, titulo de Regularibus CLEMENS III. ita loquitur de puella nubili; *Tunc quia habet liberum arbitrium in electione proposíti, parentum sequi non cogitur voluntatem.* Et S. AMBROSIVS libro de Virginibus, hoc præsupponit; *Cui licet,* inquit, *maritum eligere, non licet Deum præferre?* vbi docet patre inuito, sic puellam continentiam posse vouere, sicut nubere. Deinde non video, quid desit in illo coniugio, si alias legitime sit initum, nempe coram parocho & testibus. Vt enim forte non adsit tanta consilij maturitas, quanta solet esse in parentibus: non tamen deest vsus liberi arbitrij, & solam pubertatem canones in contrahentibus exigunt. DICES, quod in iure ciuili l. Nuptiæ. ff. de ritu nuptiarum, & L. 1. & 2. C. de nuptiis, nuptię inuitis parentibus contractæ pronunciantur irritæ. Respondeo, non multum referre, quid ius ciuile de ea re statuerit: nam vt LVCIVS III. Papa cap. Clerici. de iudiciis, asserit, Imperator ipse fatetur non dedignari Leges sacros canones imitari. Ita confitetur Imperator ipse Iustinianus in Authent. *Vt clerici apud Episcopos, §. penult.* c. cum virum.

CAPVT V.

De Matrimonij Impedimentis.

QVONIAM aliquando contingit, vt matrimonia etiam pleno consensu contracta impediantur, necesse est hic aliquid commonefacere de Impedimentis. Duplicia autem à Doctoribus ea adsignantur. Quædam enim non dirimunt quidem contractas nuptias, sed tamen impediunt,

ne licite contrahi possint, quia non cum substantia, sed solennitate huius sacramenti pugnant: & sunt hoc disticho comprehensa.

Ecclesiæ Vetitum, nec non tempus Feriatum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Per *Ecclesiæ vetitum* intelligitur prohibitio, ne matrimonia clam fiant, cum debeant in facie Ecclesiæ & corã testibus celebrari: licet iam per Conc. Tridentinum, vt diximus, sit Impedimẽtum etiam dirimens contractum; *Per tempus Feriatum* intelliguntur certa tempora sacra, vt Aduentus, & Quadragesimæ, quibus Ecclesia nuptias celebrari prohibuit. Alia vero Impedimenta non solum impediunt nuptias contrahendas, verumetiam contractas prorsus reddunt nullas, quia pugnant cum substantia sacramenti, & his versibus memoriæ causa continentur.

Error. conditio. votum. cognatio. crimen.
Cultus. disparitas. vis. ordo. ligamen. honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

Quæ impedimenta partim legum diuinarum, partim humanarum auctoritate habemus. Sunt enim quidam à natura & Dei institutione declarati in Scripturis Sanctis ad coniugium inidonei. Et DEVS O. M. qui Principibus & Magistratibus vtriusque Reip. Christianæ dedit potestatem gubernandi populos in omni pace & tranquillitate, is etiam potestatem concessit, vt per matrimonia eius propagatio, & salus non impediretur. Sicut enim ipse res naturales per causas perficit naturales, sic contractus humanos humanarum legum auctoritate dirigit. De singulis impedimentis breuiter aliquid dicemus.

De Errore,& Conditione.

PRIMVM ergo ERROR impedire solet matrimonia,vt contracta non valeant,quia ignorantia tollit consensum voluntatis. Potest autem ille Error admitti,vel in persona ipsa, vel in qualitate, vel in conditione personæ. Si admissus sit in persona, vt si quis contraxit cum Lia, putans esse Rachelem, nullum est matrimonium: nisi post animaduersum errorem in matrimonium consentiatur,vti Iacob Patriarcha fecit cum Lia. Si vero admissus sit tantum in qualitate, vt si quis contrahat cum paupere, quam putauit esse diuitem: aut cum corrupta,quam putauit esse virginem,verum & legitimum est matrimonium, nisi vel qualitas illa in pactum deducta fuerit, vel certe etiam in personam redundarit: vt si quæ femina putans se nubere primogenito Regis, nubat alteri,qui falso hoc nomen sibi arrogauit. Grat.39.q. 2. c. quod autem. Gen.29. 24.

SI vero error contigerit in conditione personæ, vt si quis cum serua,quam putat esse liberam, nullus est contractus: nisi forte & vir seruus sit, aut si liber existens comperto errore suo ratum habeat matrimonium, vel carnaliter eam cognoscat. Nec tamen ante rescindendum esse matrimonium,hoc errore contractum, quam is,qui de seruitutis nota delatus est, secundum leges fuerit conuictus. Ratio autem dissimilitudinis horum trium errorum inde sumitur, quod error personæ & seruitutis ad essentiam matrimonij pertineant,quia vel totam tollunt materiam, vt personam contrahentem,vel partem,quia serui non habent plenam corporis sui potestatem. Error vero qualitatis vel fortunæ pertinet tantum ad accidentales c. proposuit.de cõdit.seru. c. nullum. c.iudicantem. 30.q.

tales

tales eius circumstantias secundario in matrimonio consideratas. Hvc etiam pertinet carentia vsus liberi arbitrij. Neque enim pueri, furioli, amentes contrahere possunt, cum deliberatum consensum habere nequeant.

De Voto & Ordine.

cap. si qui vero. dist. 32.

QVOD ad Ordinem sacrum attinet, non eadem ratio Ordinum minorum est, & maiorum: nam qui minoribus tantum est initiatus, à matrimonio contrahendo non prohibetur; &

C. Trid. s. 23. cap. 11. 13.

si contraxerit, verum & legitimum est. Qui vero maioribus, (qui proprie sacri sunt) est initiatus, neque contrahere potest sine graui peccato, neque si cõtraxerit, verũ est & ratum matrimonium.

C. Nic. 1. cap. 3. C. Elibert. can. 33.

Quod impedimentum non est recens à Conciliis & à Summis Pontificibus in Ecclesiam inductum, sed inde ab Apostolorum temporibus obseruatum. Vnde autem sacer ordo habeat, vt dirimat Matrimonium contractum, solet disputari inter Doctores. Quidam enim volunt illud oriri ex voto solemni castitatis, ipsis Ordinibus non diuino, sed Ecclesiastico iure annexo, sed probabilius alij sentiunt id oriri ex antiquissima Ecclesiæ

C. Trid. s. 24. can. 9.

Constitutione, quæ Ordinibus sacris initiatos ob sanctitatem voluerit ad cõtrahendum esse idoneos. Nam alioquin apud Græcos, cum votum annexum non habeant, vt Latini, Ordo sacer non impediret matrimonium contrahendum. Licet enim illis ab aliquot iam annis permissum sit vti vxoribus, quas ante susceptos ordines duxissent, numquam tamen post susceptos ordines nuptias nouas, (vti faciunt cum Iouiniano & Vicleplio nostri temporis sectarij) inire ausi fuerunt.

Vnde

Vnde sequitur, Latinos, si post ordines matrimonium ineant, grauius peccare quam Græcos, quia hi solo præcepto Ecclesiastico, illi etiam voto castitatis ad vitam cælibem, ipso facto, quo ordines suscipiũt, licet verbis nihil promittãt, astringũtur.

VOTVM quoque inter impedimenta matrinij numeratur. Etiamsi siquidem nõ eadem sit omnium votorum ratio: alia enim dicuntur simplicia, quia sunt nudæ promissiones Deo factæ: alia vero dicuntur solemnia, quæ etiam fiunt Ecclesiæ, & auctoritate eius approbantur in ordine à sede Apostolica approbato, vel per sacri ordinis susceptionem. Qui ergo emiserit simplex votum castitatis, non potest ille quidem sine lethali crimine contrahere matrimonium, si tamen contraxerit, validum & verum est matrimonium: sed & debitum coniugij reddere potest sine noxa vxori, licet ipse non posset petere, quia voto ad seruandam perpetuam vitæ castitatem se astrinxit. QVI vero solemne votum emiserit, in approbata Religione, non solum. à matrimonio contrahendo arcetur, verum si contrahat, nullum est, & irritum. Ratio diseriminis huius licet facile assignari non possit, illa tamen videtur simplicior & communior, vota & promissiones Deo factas, metiendas videri ex humanarum promissionum & contractuum natura. Deus enim vti nobiscum humano more agit, ita secum humano more vult agi. Sicut ergo apud homines, qui tantum promisit alicui magnam pecuniæ vim, nondum se destituit dominio illius peccuniæ: qui vero eam tradidit pecuniam, vendicare sibi eam amplius non potest, vel alij donare: sic qui apud Deum nudam tantum fecit promissionem

c. viduas. 27. q. 1. c. cõsuluit. c. insinuauit. tit. qui cler.

missionem castitatis, nondum perfecte abdicauit corpus suum, & ideo si contrahat, verum matrimonium est. Qui vero professione facta dedicauit se Deo, approbante & acceptante Ecclesia, non potest amplius corpus suum per matrimonium tradere alteri, & ideo si faciat, irrita est traditio & nullum matrimonium. Quanquam tutius est affirmare à SEDE Apostolica & solemnitatem omnem voti, ac impedimentum hoc voti solemnis, vt matrimonium reddat irritum, esse profectum: vt late explicat Bellarminus libro primo, de matrimonio cap. 21.

De Impedimento Criminis.

INTER Crimina, quæ matrimonium contractum dirimant, censetur ADVLTERIVM, si quis cum ea coniugium ineat, quam per adulterium polluit, idque tribus casibus tantum. 1. est si adulter procurarit mortem coniugis suæ, vel mariti adulteræ, vt eam in vxorem ducere posset: vel contra si adultera procurarit mortem viri sui, vel vxoris adulteri; si tamen mors vera sequatur. Ita decretum est in cap. *Super hoc*, de eo qui duxit in matrimon. quam polluit per adult. 2. Casus est, si adulteri sibi inuicem dederint fidem de matrimonio inter se contrahendo post morrem vxoris adulteri, vel mariti adulteræ, vt habetur can. *relatum* 31.q.1.3. est, si de facto adulteri inter se contraxerint, viuentibus prioribus coniugibus, vt habetur *c. finali.* de eo qui duxit in matrimonio. Duo isti autem casus intelliguntur, si vterque adulter sit conscius vitæ coniugis alterius.

can. denique 31.q.1. EXTRA hos casus non dirimi matrimonium inter adulteros contractũ docet AVGVSTINVS libro

libro de bono coniugali cap. 14. & lib. 1. de nuptiis & concuſpicentiis cap. 10.

II. Inter crimina eiuſmodi cenſetur etiam HOMICIDIVM, quod dirimit quoque matrimonium, quando in morte alterius coniugum procuranda conueniunt tam vir, quam femina, qui inter ſe coniugium inire cupiunt, vt habetur *c. laudabilem.* de conuerſione infidelium. Si vero alter tantum homicidiū procuret, altero inſcio, & adulterium nō præceſſit, non dirimitur matrimonium.

De Cultus Diſparitate.

CVLTVS quoque diſparitas, vel Religionis diſſimilitudo non parum impedit, vt legitimæ nuptiæ celebrari non poſſint. Itaque homo Chriſtianus delinquit, ſi cum Ethnico, Iudæo, vel hæretico matrimonium contrahat; *Quæ enim conuentio Chriſti ad Belial,* inquit Apoſtolus; *Quæ communicatio poteſt eſſe lucis ad tenebras?* Quomodo poſſunt fidam coniugij ſocietatem colere, qui diſſentiunt in religione? Quomodo in vera pietate poteſt inſtitui proles, vbi tam diſpares ſunt præceptores? Quare & DEVS in veteri Teſtamento lege cauit, ne Iudæi exteris connubio iungerentur. Paulus quoque poteſtatem quidem facit nubendi, ſed *tantum in Domino,* hoc eſt, fideli & Chriſtiano, vti Patres expoſuerunt, & S. HIERON. lib. 1. in Iouinianum, illud quoque Apoſtoli; *Nolite iugum ducere cum infidelibus,* interpretetur de coniugio cum infidelibus non ineundo.

c. ſi qui. 28. q. 1.
2. Cor. 6. 15.
Exod. 34. 16. Deut. 7. 3. 1. Cor. 7. 39. Ambroſ. Theodo. Theop. Tertull. ad vxorē li. 2. Hier. 1. in Iouin.

VERVM & S. Patres in Conciliis grauiſſime de hac re cauerūt; *Non copulari debet,* inquit Conc. Calchedonenſe, *nuptura cū hæretico, Iudæo vel Pagano, niſi promittat per perſonā orthodoxæ copulā ad fidem*

ſe

C.Ag.can. 67. C. Toler. 3.can.14. se velle transferre. Et Conc. Agathense; *Non oportet*, inquit, *cum hominibus hæreticis miscere connubia, vel filios aut filias illis dare. sed potius accipere, si tamen profiteantur se Christianos esse futuros & Catholicos.* Et S.

Ambr.c.9. Ambrosius lib.1.de Abraham; *Caue*, inquit, *Christiane gentilem, aut Iudæam, atque alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua, vxorem*

Aug. c.21. *accersas tibi.* S. Avgvstinvs, cuius mater Monica nupsit gentili, etiamsi libr. 1. ad Pollentium manserit dubius, tamen in libro de fide & operibus, c.19. tandem concludit, *Omnino*, ait, *conandum est, ne fiant tales coniunctiones: quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?* Itaque putauit saltem tutius esse abstinere à talibus cõiugiis.

Magnvm tamen discrimen à Doctoribus assignatur inter hæc coniugia. Nam quæ sunt cum

cap. si quis Iud.28.q.1. Gentilibus & Iudeis à fide Christiana prorsus alienis contracta, omnino Ecclesiastico, & secundum multos auctores etiam diuino iure & præcepto nulla sunt. Quæ vero sunt contracta cum hæreticis, perperam quidem contracta sunt, vera tamen sunt & rata. Cuius discriminis illam causam reddunt Theologi, quod hæreticus, cum characterem baptismi acceperit, capax possit esse Sacramenti, & quod pœnis vel aliis etiam modis cogi ab Ecclesia possit, vt fidem Catholicam Christi profiteatur: quorum neutrum conuenit infidelibus.

De Impedimento Cognationis.

Sequitvr Impedimentum Cognationis, quo Matrimonia nulla reddũtur. Eaque triplex est, Naturalis, Spiritualis & Legalis. Prima ex pro-

Arist.8. Eth. pagatione sanguinis, altera ex sacramentis, tertia ex adoptione oritur. Quod ad primam, quæ con-

sanguini

ſanguinitatis dicitur, attinet, ea ſic definiri ſolet, vt ſit politicum quoddam vinculū perſonarum ab eodē ſtipite propinquo, vel familia deſcendentiū, ex carnali propagatione vel generatione contractum. Cum autem hæc Conſanguinitas in naturali communicatione fundata ſit, iuxta triplicem Conſanguineorum habitudinem triplex conſanguinitatis genus aſſignari ſolet. Primum ſecūdum habitudinem principij ad principatū, vt Patris ad filium. nos aſcendentium lineā nominare conſueuimus: alterum principiati ad principium, vt eſt filij ad Patrem. Linea tranſcendentium dicta. Tertium denique ſecundum habitudinē illorum, qui ſunt ex aliquo principio, quale inter fratres, & eorum filios, reliquoſque inde procedentes exiſtit, quod lineam tranſuerſalem appellamus. Hunc triplicem ordinem lineas Iureconſulti appellarunt, ſicut diſtantiam earum vocarunt gradus.

NE autem quis hallucinetur in gradibus dignoſcendis, documentum illud tenendum eſt, vt in linea aſcendentium & deſcendentium tot numerentur gradus, quot perſonæ, vna tamen excepta: ſtipes enim non efficit gradum per ſe, cum ſit graduum omnium terminus. In tranſuerſali vero linea ſecundum leges ciuiles quidem eadem eſt ratio, hoc eſt, vt tot ſint gradus, quot perſonæ vna ſublata: at ſecundum ius Eccleſiaſticum longe eſt diſſimilis: nam collaterales tum eo gradu diſtant inter ſe quo à communi principio, modo diſtent æqualiter: nam ſi inæqualiter diſtent, tot gradibus à ſe mutuo diſtant, quot remotior abeſt à communi principio vel ſtipite.

QVI autē gradus conſanguinitatis obſint nu-

ptiis contrahendis non facile est definire, cum nihil ea de re in Euangelicis & Apostolicis scriptis præceptum sit. Hæretici nonnulli putant illos tantum gradus obesse, qui in Leuitico assignantur, quorum sententiam C. Tridentinum anathemate multauit. At Ecclesia Catholica olim quidē prohibuit contrahi matrimonia vsque ad septimum gradum: nunc tamen omnia quæ extra quartum consanguinitatis gradum contracta sunt, legitima esse censet: cætera autem iudicat legitima non esse, eo quod omnia intra quartum contracta, vel naturæ ipsi repugnent, vel fini secundario matrimonij, vt reprimatur concupiscentia, vel Reipub. paci & charitati Christianæ, quæ maxime conseruatur & amplificatur graduum distantia & dissimilitudine. Nam nemo non iudicat naturam abhorrere à coniugiis personarum, quæ sunt in linea ascendentium & descendentium, vt Patris & filiæ, matris ac filij: nepotis & auiæ, aui & neptis, ac proinde eiusmodi naturali prorsus iure vetita censentur. Similiter natura satis abhorret à coniugiis, quæ sunt in linea transuersa. Inter illos enim si facile coniugium admittatur, cum fere in eadem domo vel sæpe vel semper viuant, fiet vt in varias turpitudines labantur.

Lege Bellar. li. 1. de matrim. à c. 24. contra hæret. Leu. 18.

QVANQVAM & aliqua coniugia in hac linea, accedēte dispensatione Ecclesiæ, vt quæ non pugnant cum reuerentia naturali, legitima esse possint. Possent autem esse omnia etiam ea, quæ sunt primi gradus, si mundus ad eandem paucitatem hominum, quæ fuit tempore filiorum Adæ, reuocaretur.

c. parentolæ. ca. primo gradu. 35. q. 5.

De

De Impedimento Affinitatis.

AFFINITAS ex Consanguinitate nascitur, quæ etiã impedit legitimum nuptiarum cõtractum. Est autem affinitas, coniunctio quædam vel propinquitas personarum, ex carnali copula ipsorum coniugum orta: qua verbi causa maritus coniungitur affinitate consanguineis vxoris,& contra vxor consanguineis viri, eo quod vir & vxor vna caro per ipsum coniugium effecti sint, ac proinde principium & stipes affinitatis. Hæc affinitas olim latissime patuit, vt prima nimirum esset, verbi causa inter me & fratris mei coniugem. 2. post mortuum fratrem inter me & secundum maritum vxoris fratris mei. 3. mortua fratria mea inter me, & secundam vxorem mariti gloris meę. Nunc tamen ad tollenda conscientiarum pericula, prima affinitas tantum retinetur. cap. porro. 35.q.5.

NEQVE hæc affinitas ex solo matrimonio contracto nascitur, sed ex matrimonio consummato, hoc est, ex carnali concubitu, imo ex quouis coitu etiam illicito & fornicario, modo perfectus atque integer fuerit, vt ex eo naturalis generatio sequi potuerit: vti cõstat ex canonibus. Nam & illicito concubitu vir & fœmina vna caro efficiuntur, iuxta illud Apostoli: *An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*, &c. Synodus tamen Tridentina sanxit, ne hæc affinitas secundum gradum excederet. c. si homo. 35.q.2. 1. Cor. 6. 16.

IN hoc autem affinitatis impedimento, eadem est ratio linearum & graduum, quæ est in consanguinitate, ac proinde vsque ad quartam generationem impedit matrimonia contrahenda & dirimit contracta. Quanquam longe decentius in quibusdam

busdam affinitatis gradibus, quam in consanguinitatis dispensari posse videatur: vt in primo gradu lineæ ascendentium & descendentium, licet hactenus in eo dispensatum non sit, eo quod nõ tam naturali iure, quam Ecclesiastico prohibitus videatur. Deinde in primo gradu affinitatis lineæ transuersæ, multa dispensata esse à Pontificibus matrimonia certum est, & exẽpla pleraque in veteri lege huiusmodi nuptiarum leguntur.

e. spõsam. de spõsal. Sed quæret merito hoc loco aliquis, an etiam ex matrimonio rato, non consummato, & ex spõsalibus de futuro oriatur impedimentum affinitatis? Respondeo, ex vtroque tantum oriri impedimentũ, vt iura loquuntur, Iustitiæ publicæ honestatis. Quia enim ex his sequitur familiarior viri & feminæ conuersatio, publica honestas exigit, vt consanguineorum coniugia vtrinque adiri non debeant. Et licet impedimentum publicæ honestatis olim sit etiam ortum ex sponsalibus illegitimis, nunc tamen Patres C. Tridentini decreuerunt deinceps illud nullum esse.

T. sess. 24. c. 4.

De Cognatione Spirituali & Legali.

Cognatio Spiritualis, vt dixi oritur ex Sacramentis, & in Ecclesia est antiquissima & receptissima. Oritur autem duntaxat ex duobus Sacramentis, Baptismo sc. & Confirmatione, quibus homo spiritualiter quasi regeneratur, & ideo inter eum, qui spiritualiter generat & generatur, quædam coniunctio intercedit, hoc est, inter baptizantem vel confirmantem, inter leuantem de sacro fonte, vel Confirmato assistentem, & ipsum baptizatum vel confirmatum. Hæc cognatio ad multas olim extendebatur personas; verum

c. veniens. de cogn. Spir.

quia

quia experientia docuerat, sæpe in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, S. Synodus, Tridentina statuit, vt vnus tantum, siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus & vna baptizatum de baptismo suscipiant: inter quos ad baptizatum ipsum, & illius patrem ac matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Similiter, vt in confirmatione quoque eadem cognatio, confirmantem & cõfirmatum, illiusque patrem & matrem ac tenentem non egrediatur.

LEGALIS vero cognatio ciuili constitutione, non secus quam spiritualis lege Ecclesiastica matrimonio accessit. Oritur autem ex legitima adoptione alicuius externæ personæ in filium, quæ potest esse tripertita. Prima est ascendentium, aut descendentium, scilicet adoptantis & adoptati & filiorum eius, quæ nec dissolutione adoptionis, nunc emancipatione tollitur. Altera est, quasi trãsuersa inter adoptatum, & filios naturales adoptãtis, durante adoptione, & filio naturali existente in potestate patris, & non alias. Postrema est, quædam Legalis affinitas inter vxorem adoptati & adoptantem, & inter adoptatum, & adoptantis vxorem, quæ durat perpetuo vti prima. At quælibet quidem harum cognationum & impedit & dirimit matrimonium. Ex qua doctrina consequitur, primo inter adoptantem & adoptiui matrem cognationem legalem non contrahi. Et qui adoptat feminam in suam filiam, non posse neque cum illa, neque cum alia ab illa descendente intra quartum gradum matrimonium inire. Deinde sequitur eum etiam non posse contrahere cum

cap. ita diligere. 3. q. 3.

cap. 1. de cogn. l. qui seru. adop. ff. de adop. l. adoptiuus. ff. de ritu nupt.

vxore filij adoptiui eo mortuo, nec filium adoptiuum cum vxore adoptantis eo mortuo, quia cognatio tertij generis inter eos intercedit.

De Impedimento Impotentiæ.

IMPOTENTIA denique reddēdi debitum carnis, siue ægritudine, siue maleficio dæmonis contracta, impedit Matrimonium contrahendum & dirimit contractum, modo illa perpetua sit & nuptias anteceſſerit. Qui enim non poteſt actum matrimonialem perficere, quomodo poteſt ſe ad coniugium aſtringere? Neque ad hoc genus pertinet impotentia generandi, nam alioquin ſequeretur ſterilium & ſenum coniugum matrimonia reſcindi poſſe. Perpetua autem illa dicitur Impotentia, quæ aut ſine miraculo, aut ſine peccato, aut ſine graui corporis læſione, vel vitæ periculo tolli non poteſt. Talem autem eſſe impotentiam iudicat Eccleſia, cum coniugati per triennium ſimul habitarint, & bona fide actui matrimoniali operam dantes, perficere ſe non potuiſſe iuramento teſtantur: aut cum matronarum, vel Medicorum inſpectio, aut teſtimonium interceſſit. Anteceſſiſſe autem dicitur nuptias impotentia, cum nunquam coniuges potuerunt debitum reddere.

SOLET tamen à nonnullis in quæſtionem vocari, ſintne legitimæ nuptiæ eorum, qui cognita impotentia eiuſmodi vel contrahunt, vel confirmant. Verum illi ſententiæ quam olim ſententiarum Magiſter cum multis veteribus tenuit, non facile obuiam iri poſſe, equidem cenſuerim: nuptias ſcilicet illas firmas & legitimas eſſe. Ita enim Cæleſtinus Papa in titulo de frigidis & maleficiatis, &

c. laudabilem. ca. cō ſultationi.

tis,& Lucius III. apertissime declaratunt: *Quanquam enim* inquit LVCIVS, *difficile creditu sit, vt cum impotente quis contrahat: si tamen contraxerit, Romana Ecclesia vult, vt tanquam sororem habeat, quam vt vxorem habere non potest.* Quare & iidem Pontifices legibus suis cauerunt, ne matrimonia inter impotentes contracta prius dissoluerentur, quam alter coniugum se affirmasset procreandæ prolis causa contraxisse.

CVM qua doctrina consentit illa S. Augustini sententia libro de bono coniugali: *Bonum,* inquit, *Matrimonij non mihi videtur propter solam procreationem filiorum, sed propter etiam naturalem in diuerso sexu societatem: alioquin iam non esset coniugium in senibus: præsertim si vel amisissent filias, vel minime genuissent.* Et rursus: *Si ergo seruetur fides, & obsequium inuicem debitorum officium, etiam langueſcentibus & pœne cadauerinis vtriusque membris, manet tamen coniugatorum tanto sincerior, quanto securior castitas.* Verum & aperta ratio adstipulatur. Nam verum & ratum matrimonium inter Beatiss. Virginem & Ioseph fuisse, asserit & probat ex Euangelij verbis idem S. Augustinus, qui tamen non contraxerunt, nisi cum conditione, castitatis deinceps seruandæ. Aug. ca. 3.

CAPVT VI.

De Matrimonij incommodis.

MATERIA de incõmodis matrimonij, valde affinis materiæ de Impedimentis, itaque hãc illi iure subiiciemus. Possunt autẽ pro incommodis seruire nobis duo loci Scripturæ. Primus Locus sumatur ex Matthæo, vbi cum Christus Matth. 19.

Dominus dixisset vxorem semel ductam, non nisi ob fornicationem vel adulterium posse dimitti, ipsum autem licet innoxium, dimissa adhuc viuente, non posse ducere aliam, sed nec dimissam posse sine scelere adulterij ab alio duci, discipuli dixerunt: *Si ita est causa hominis cum vxore non expedit nubere*, id est, vxorem ducere. Vox enim græca γαμῆσαι vtrumque significat. Quorum sententiam Christus non solum probat, sed etiã maxime probat, vultque eos eo perfectionis adducere, vt quod verbis dixerant, moribus ac rebus præstent, quod & postea fecerunt. Reponit enim illis, tanquam agonotheta præmium manu tenens, & in stadio currentes clara voce cohortatur, *Qui potest capere capiat*, hoc est, vt seipsum castraret propter regnum cœlorum, & vxorem nõ ducat. HIERON. lib. 1. in Iouinianum. *Proponit*, inquit, *agonothetes præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamat: Qui sitit veniat ad me & bibat: qui potest capere capiat.* Et paulo post: *Si talis est*, inquiunt Apostoli, *causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quorum Dominus sententiam probans. Recte quidem sentitis, ait, quod non expediat homini ad regna cœlorum tendenti accipere vxorem: sed difficilis res est, & non omnes capiunt verbum istud: verum quibus datum est. Alios Eunuchos natura facit, alios vis hominũ: mihi illi Eunuchi placent quos castrauit non necessitas, sed voluntas: libenter illos in meos sinus recipio, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest, inquit, capere capiat. Grãdis fidei est, grandisq; virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, & iuxta eundem Apostolum sanctum esse corpore & spiritu.*

Ioã 7.37.

1. Cor. 7.

ALTER

ALTER sumitur ex Apostoli Pauli priore epistola ad Corinthios, qui multis argumentis videtur Corinthios à ducēda vxore absterrere. Primo enim dicit generatim: *Bonum est homini mulierem non tangere.* 2. *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum*, id est, vxoris expertem. 3. *Bonum est illis*, (non nuptis & viduis,) *si sic permaneant, sicut & ego.* 4. *De Virginibus autem Domini præceptum non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter iustam tum necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse, id est, sine vxore, solutus esse ab vxore, noli quærere vxorem.* 5. *Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Et; *Beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium.* id est, sine vxore, priore mortua. DEINDE in eodem capite Apostolus aliquot incommodis allatis deterret Corinthios à matrimonio, vt notarunt S. AVGVSTINVS & Chrysostomus in libris de Virginitate editis. PRIMVM incommodum est: quia per coniugiū vterque coniux in summam seruitutem redigitur: *Mulier*, inquit, *sui corporis potestatem non habet, sed vir; Similiter autem & vir corporis sui potestatem non habet, sed mulier.* Quam seruitutem exponens Chrysostomus ait: *Paulus etiam proprij corporis iure adempto omnem eius principatum dat vxori, cuius imperio subiectum virum magis esse vult, quam puerū emptum pecunia. Seruo enim si quando comparata pecunia pretium, quāti emptus est Domino persoluere potuerit, plerunq; enim libertatē omnino liberare licet: at vir quamuis omnium difficillimam nactus sit vxorē, seruitutem tamen perferre necesse habet, quippe qui nullam potest* 1. Cor. 7. 1. Ch. loco cit.

inire viam, qua solutus eiusmodi dominatu liberetur. Et infra alludens ad verba Apostoli, Alligatus es vxori, noli quærere solutionem: *Quemadmodum,* ait, *serui fugitiui singuli separatim vincti à suis Dominis, rursumque tenui quadam catena inter se constricti vniuersi, quod compedibus catenæ vtrinque affixis, alius alium sequi cogitur, liberam non habent abeundi facultatem, sic coniugum animæ, cum propriam sui curam sustinent: tum altera etiam premuntur necessitate à communibus coniugij vinculis imposita, quæ eo grauius vrget omnibus vinculis, & hoc ipso ab vtroq; libertatem aufert, quod alteri ne semel quidem principatum defert, sed vtriq; distribuit.* Hæc Chrysost. Vnde S.

B.cap.1. Basilivs in Constitutionum monasticarum initio recte dicit, *qui à mundi vinculis liber esse gliscit, coniugium velut compedes profugere.*

Altervm incommodum est, quod coniuges magis obnoxij sint tentationi Satanæ, quam

1.Cor.7.5. cœlibes: *Iterum*, inquit Apostolus, *reuertimini in idipsum*, nempe ad officia coniugalia, *ne tentet vos Satanas per incontinentiam vestram.* Nam etsi antidoti loco indulserit incõtinentibus coniugium, ad coercẽdam quadantenus libidinem animo inhærentem, non ignorauit tamen id omnibus non sufficere. Est enim voluptatum appetitio insatia-

A.cap. vlt. C. cap. 33. bilis, vt notauit Aristoteles in tertio de Moribus, vsúque & exercitio magis augescit. Ioan. Cassianvs collatione 21. comparat flammæ ad tempus inclusæ, quæ obiecta materiæ facile foras erumpit: *In lege*, inquiens, *qua coniugiorum iura seruantur, quamuis cohibita luxuriæ euagatio vni tantum, fœminæ tamen mancipatur, tamen nequaquam carnalis cõcupiscentiæ aculei non vigere, & difficile*

cile est, vt ignis, cui etiam studiose pabula suggeruntur ita præfixis terminis includatur, vt nõ etiam extrauagatus amburat quicquid attigerit. Certe S. CHRYSOST. in libro 3. contra monasticæ vituperatores scripto, posita quæstione, sitne apud cõiuges pronior lapsus ad incontinentiam, quam apud cœlibes, his verbis respondet: *Pudicitiam is qui vxorem habet, facile seruare posse videtur, quippe solatio non minimo suffultus, cæterum in reliquis nulla comparatio est: verum sic quoq; longe plures videas lapsos ex coniugatorum, quam monachorum ordine. Neq; enim tam multi ex monasteriis ad matrimonia accedunt, quam ex iugali thoro se ad scorta recipiunt.*

TERTIVM incommodum est, quia coniuges etiam voluptates carnales, quas quærunt, raro inueniunt: *Si acceperis*, ait Apostolus, *vxorem, non peccasti: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* In quæ verba HIERON. ad Iouinian. *Nos*, inquit, *ignari rerum putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiam. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delitias, quid ergo erit reliquum, propter quod nubant? cum & in spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit. Ego autem vobis parco. Sic*, ait, *obtendo carnis tribulationem, quasi non maiora sint, propter quæ nubere debeatis. Igitur hoc dico fratres: Tempus breue est. Reliquum est, vt qui habent vxores, sic sint tanquam non habentes. Nequaquam iam de Virginibus disputo, quos nulla ambiguitas est esse felices. Ad maritos venio. Tempus breue est. Dominus prope est. Etiamsi nongentis viueremus annis, vt antiqui homines, tamen breue putãdum esset, quod habet aliquando finẽ, & esse cessaret: nunc vero cum breuis sit non*

1.Cor.7. 28. H.lib.1. 1.Cor.7. 29.

tam

tam lætitia, quam tribulatio nuptiarum, quid acipimus vxores, quas cogemur cito amittere, &c.

QVARTVM incommodum, quia coniugati raro possunt orationi, ieiuniis, aliisque piis exercitationibus vacare, tum quia citra mutuum consensum non possunt. *Nolite fraudare inuicem*, ait
1.Cor.7. 5. B. PAVLVS, *nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum.*
1.Cor.7. 34. tum quia otium non datur seruiendi Deo: *Mulier innupta & virgo*, ait, *cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro. Volo vos*, inquit, *sine solicitudine esse. Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori & diuisus est.* Has solicitudines coniugum graphice depingit S. BASILIVS de vera virginitate. Agens enim de vxore: *Nam*, inquit, *quæ mortali connubio coniuncta est ad suam ipsius curam viri quoque altera adiecta geminam in vna anima ex coniuncto sibi corpore solicitudinem necessario sustinet. Vbi vero filios post cubiculi solemnia & secreta commercia parturire atque in lucem edere cœperit, per vnumquemque nascentem animo scinditur, & præsentibus tristibus nascituri cura semper adiicitur. Ac si virum bonum nacta fuerit, perpetuo ne moriatur metu viduitatis incommoda cruciatusque iam sustinet. Sin vero contra duro & immiti fuerit coniuncta, tota quidem vita illi cruciatus est, & cum pudicitiæ ratione neutrum queat eligere, id est, nec viri mortem, propter viduitatis angustias, nec vitam ob molestiam conuictus, ancipiti atq; ineuitabili malo acerrimisq; doloribus semper atteritur. Inde vbi filios edidit, aut ad bonam frugem illi euaserunt, & maiores ex illorum absentia iugiter dolores*

tolerat,

tolerat, quam parturiens tulerat, aut malos euasisse considerat, & maius ex ea procreatione liberorum, quam si permansisset sterilis opprobriũ sustinet. Sæpe antequam prædicta experiatur incommoda, vna & spõsa & vidua efficitur, ac sine liberis in viduitatem delapsa, nec vxor iam, nec virgo, nec mater est. Sic profecto omnibus, quæ putantur læta simul amissis; breuissimo voluptatis sensu irrecuperabilem Virginitatis perdidit florem, coniugij; tantum solummodo experta est, quantum illi satis esset ad cognoscenda viduitatis incommoda. Quod si relicta vidua pupillos enutriat filios, eius quem ex viri morte perceperat mœroris iuge illos monumentum cernit, & semper in lachrymis, semper in gemitu, semper in solicitudine educandorum lugens, nullum præsente malo solatium inuenit. Manet enim immota maledictionis aduersus illam prolata sententia, quæ per omnes nuptias veluti epithalamium itacanit: In doloribus paries filios, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Hęc S. BASILIVS. Plura de incõmodis habet GREG. Nazianzenus in carmine, & HIERON. lib. contra Heluidium in fine, & fusius HIERON. ex Ethnicis scriptoribus lib. 1. aduersus Iouinianum. Ex quibus aliqua notabo. Gen. 3.16.

Ex aureolo libello Theophrasti probat primo, „ non esse vxorem ducendam sapienti, eo quod ra- „ ro simul pulchra, bene morata, honestis paren- „ tibus, sana ac diues reperiatur. Deinde quod im- „ pediantur studia philosophiæ. Cicero rogatus ab „ Hirtio, vt post repudium Terentiæ, sororem eius „ duceret, dixit non posse se vxori & philosophiæ „ pariter operam dare: illa interim nupsit inimico „ eius Sallustio. Adhæc, quia matronarum vsi- „ bus nimis multa sunt necessaria, pretiosæ vestes, „

aurum

» aurum, gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia,
» lecticæ, & eſſeda deaurata. Præterea per noctes
» totas garrulæ conqueſtiones. Illa ornatior proce-
» dit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego
» in conuentu feminarum miſella deſpicior. Adde,
» quoniam nulla eſt vxoris electio, ſed, qualiſcun-
» que obuenerit, habenda, ſi iracunda, ſi fatua, ſi
» deformis, ſi ſuperba, ſi fœtida, quodcunque vitij
» eſt, poſt nuptias diſcimus. Attendenda ſemper
» eius eſt facies, & pulchritudo laudanda: ne ſi al-
» teram aſpexeris, ſe exiſtimet diſplicere. Vocanda
» domina, celebrandus natalis eius, iurandum per
» ſalutem illius. Si totam domum regẽdam ei com-
» miſeris, ſeruiendum eſt. Si aliquid tuo arbitrio re-
» ſeruaueris, fidem ſibi habere non putabit. Inſu-
» per, ſi propter diſpenſationem domus, & languo-
» ris ſolatia, & fugam ſolitudinis ducuntur vxores;
» multo melius ſeruus fidelis diſpenſat, obediens
» auctoritati Domini, & diſpenſationi eius obtem-
» perans, quam vxor: quæ in eo ſe exiſtimat Do-
» minam, ſi aduerſum viri faciat voluntatem, id eſt
» quod placet, non quod iubetur. Aſſidere autem
» ægrotanti magis poſſunt amici, & vernulæ bene-
» ficiis obligati. Quod ſi ipſa languerit, coægro-
» tandum eſt, & nunquam ab eius lectulo recedẽ-
» dum: aut ſi bona fuerit, & ſuauis vxor, quæ ta-
» men rara auis eſt, cum parturiente gemimus, cum
» periclitante torquemur. Porro liberorum cauſa
» vxorem ducere, vt vel nomen noſtrum non in-
» tereat, vel habeamus ſenectutis præſidia, & certis
» vtamur hæredibus, ſtolidiſſimum eſt. Quid enim
» ad nos pertinet recedentes è mũdo, ſi nomine no-
» ſtro alius nominetur, cum & filius non ſtatim pa-

tris

tris vocabulum referat, & innumerabiles sint, qui »
eodē appellentur nomine? Hæredes autem melio- »
res, & certiores amici sunt & propinqui, quos iu- »
dicio deligas, quā quos velis nolis, habere cogaris: »
licet certior hæreditas sit, dum aduiuis, bene abuti »
substātia tua, quam tuo labore quæsita, in incertos »
vsus relinquere: *Hæc & huiusce modi disserens Theophrastus,* inquit HIERON. *quem non suffundat Christianorum, quorum cōuersatio est in cœlis? Hæredem nimirum desiderabit hominem cohæres Christi, & optabit liberos nepotumq; serie delectabitur, quos forsitan sit occupaturus Antichristus, cum legamus Moysen & Samuelem filijs suis alios prætulisse, quos videbāt Domino displicere.* Exod.29. 1.Reg.8.
Postquam deinde multa dixit, improbas »
maximorū virorū vxores, subiicit. Epicurus volu- »
ptatis assertor, raro dicit, sapienti ineunda cōiugia, »
quia multa incommoda admixta sunt nuptiis, & »
quomodo diuitiæ & honores, & corporum sani- »
tates & cetera, quæ indifferentia nominamus, nec »
bona mala sunt, sed velut in meditullio posita, vsu »
& euētu vel bona vel mala fiūt, ita & vxores sitas »
in bonorum malorúmque confinio. Graue autem »
esse viro sapienti venire in dubium, vtrum bonam »
an malam ducturus sit. Scripserunt Aristoteles & »
Plutarchus, & noster Seneca de Matrimonio li- »
bros, ex quibus & superiora nonnulla sunt, & ista »
quæ subiicimus. Amor formæ rationis obliuio est, »
& insaniæ proximus, fœdū minimeq; conueniens »
animo sospiti vitiū: turbat cōsilia, altos & genero- »
sos spiritus frāgit: à magnis cogitationibus ad hu- »
millimas detrahit: nā cum fruēdi cupiditate insa- »
tiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus, lacry- »
mis, conquestionibus perdit, odium sui facit, & »

ipse

» ipse sibi nouissimè odio est. Tota amoris infecta-
» tio apud Platonem exposita est, & omnia eius
» incommoda Lysias explicat: quod non iudicio,
» sed furore ducatur, & maximè vxorum pulchri-
» tudini grauissimus custos accubet. HVCVSQVE
» Hieronymus.

VIDE De Statu Innocentiæ. Laicorum. Naturæ Rusticorum.

DE MEDICORVM STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Medici & Medicinæ intelligatur, & quot sint eius genera.

MEDICI nomine, qui Græcè Ἰατρὸς dicitur, intelligimus eum, qui præter naturam affectos ad naturalem statũ arte & industria sua nouit reducere, aut si id fieri nõ queat, saltem dignoscere potest, qui ægri sanabiles sint, qui deplorati. Si originem nominis spectes, à Medius deduci videtur teste ISIDORO, quod Medicus ægrotum conetur ad medium quoddam valetudinis temperamentum reuocare.

Isid. lib. 3. orig.

IN quo genere autem artium, vel scientiarum numeranda sit Medicina, non conuenit inter Scriptores. TERTVLL. & ISIDOR. Peluſiota appellant, *sororem Philosophiæ*, forte quia inter naturalem Philosophiam & Medicinã non exigua est affinitas, quod illa naturam cõtempletur (vnde & Physica vel Physiologia dicitur) hæc autem è naturæ legibus medendi præceptiones eruat: illa circa magnum mundum, hæc circa μικρόκοσμον hominem

Tertul. li. de anim. Isid. lib. 1. ep. 437.

minem, scilicet, versetur, ac deniq; quod vbi Physice desinit, medicina incipere dicatur, vt Aristoteles initio libri de sensu & sensili, scribit. CLEMENS Alexandrinus existimat Aristotelem & ante eum Democritum Medicinam *sororem Philosophiæ*, id est, sapientiæ appellauisse, quod vt hæc animo, ita illa corpori medeatur. MEDICI veteres, vt AVICENNA & GALENVS, medicinam in theoricam & practicam scientiam partiuntur. Rectius HVGO Victorinus in libris Didascalicon, cum S. Thoma in Boethium de Trinitate, & alij recentiores ad practicen reuocant. Certe doctrina Aphorismorum HIPPOCRATIS Medicorum principis tota ad praxim spectat. Et æquum est, quamlibet artem, scientiámque ab eo appellationem rationémque capere, quo veluti ad scopum omnia sua dirigit, constat verò scopum istum præstitutum medicinæ, sanitatem si amissa sit restituere: si verò amissa nõ sit cõseruare, qui finis ad praxin pertinet.

Cl. in pœdag. A. initio metap. G. in fin. Medic. H lib. 2. c. 21. B. q. 5. ar. 1.

QVOD ad SPECIES *Medicinæ* attinet, ARCHITAS, teste Laërtio libro 3. de vitis Philosophorum dicebat: *eas quinque esse, Aliam dici Pharmaceutricen, quæ morbis medicata potione subueniat: Aliam Chirurgicam, quæ sectione & vstione curet. Tertiam, quæ sola victus ratione & ordine arceat ægritudinem, appellarique diæticen. Quartam, quæ ex celeri diseretrone morborum succurrat ægris, vocarique* Νοσωκομικὴν. *Quintam, adiutricem dici, quod strenuo auxilio, doloribus continuo liberet.* CELSVS breuius in procœmio libri primi; *In tres*, inquit, *partes medicina deducta est, vi vna victu, altera medicamentis, tertia manu medetur: primam diæticen, secundam pharmaceutricen, tertiam Chirurgicam Græci nominauerunt.*

Vnde M. TVLLIVS ad Atticum dixit: *Diæta curari incipio, chirurgiæ tædet.* Chirurgia autem licet nomen generale sit ad omnem artem, quæ habet actionem manuum cum cognitione coniunctam, proprie tamen dicitur de ea parte medicinæ, quæ sectione, vel vstione, vel alia quauis ratione, quæ manu administretur, morbos curat. S. HIERON. libro primo aduersus Pelagianos, & in epistola ad Paulinum ait: *Medicinam diuidi in δόγμα, μέθοδον & ἐμπειρίαν*: qua diuisione tres Medicorum sectas denotauit, Rationalem, Methodicam & Empiricam. *Methodici* sunt, qui methodum, id est, rationem artis compendiariam sequuntur, & neque longam, nec difficilem putant medicinam, secus atque censuit HIPPOCRATES: *Rationales* verò vel Dogmatici, qui naturam corporis cui mederi volunt, sedulo indagant, aëris etiam, locorum, regionúmque, vitæ studiorum, ciborum, potuum, consuetudinum, vt causis morborum congrua adhibeant remedia. Experientiam fatentur quidem necessariam, negant tamen per eam omnia inueniri. EMPIRICI denique sunt, qui solam experientiam arti satis esse affirmant. Nos hoc loco de STATV Medicorum, non spiritalium, sed corporalium agemus ita generatim, vt Chirurgos, Pharmacopæos, Anatomicos, & Tonsores, (quia & hi minuunt sanguinem & alia faciunt ad sanitatem pertinentia) comprehendamus.

Hier. ep. 103.

CAPVT II.

De Præstantia Medicinæ.

PRo Medicinæ encomio & præstantia & laude Medici non possumus clarius & luculentius expetere

expetere testimonium, quam in Ecclesiastico dedit Spiritus sanctus: *Honora*, ait, *Medicum propter necessitatem: etenim illum creauit altissimus: A Deo est enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem: Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu Magnatorum collaudabitur: Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa: Nonne à ligno indulcata est aqua amara?* In qua sententia, illud (propter necessitatem) non cum sequentibus, vt quidam faciunt, sed cum voce antegressa (honora iungendum est) vt Græca postulant. Subiicit deinde Sapiens: *Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus scientiam altissimus honorari in mirabilibus suis: In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis, & non consummabuntur opera eius: Pax enim Dei super faciem terræ.* Eccl. 38. 1.

Sensus est; DEI dono factum esse, vt homines incipiant cognoscere herbarum vires, sicut Salomoni donauit eam sapientiam, vt disputarit super lignis à cedro, quæ est in libano, vsque ad hysopum, quæ egreditur de pariete: & aliis hominibus dedit, vt per variam experientiam ad rerum medicarum peritiam peruenirent, idque vt sic honoraretur DEVS in mirabilibus suis operationibus, quæ inueniuntur in creaturis. Subiungit autem de vnguentario, vel pharmacopola mistiones ex variis conficiente; quia duobus modis pharmaca adhibentur, aut simplicia sine omni mistione, quod ad Medicos solos pertinet, aut ex variis speciebus commista, quod Medici per pharmacopolas faciunt. Vult ergo Sapiens hic insinuare tantum esse DEI in nos fauorem, vt nunquam deesse patiatur 3. Reg. 4.

quæ ad cutandos homines sint necessaria, sempérque in terra reperiri, vnde pax, id est, salus & prosperitas eis contingat.

GENTILES quoque Medicinam tanti fecerunt, vt Deos suos eius non dubitarint primos inuentores & auctores facere. Nam in Græcia vbi exculta & propugnata est Medicina, maximè in Apollinem hoc inuentum relatum est. Noster certè OVIDIVS sic canit in persona eius:

Ouid. lib. 1. metamorph.

Inuentum medicina meum est, opifexq; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Illam postea adhuc rudem filius eius ÆSCVLAPIVS; qui ob multa noua priori adiecta meruit in Deorum numerum referri, in eáque sic excelluit, vt mortuum Hippolytum & Androgeum Minois filium ab Athenienſibus per inuidiam interfectum ad vitam reuocasse feratur. Sic enim scribit PROPERTIVS,

Et DEVS extinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patrijs Androgeona ſuis.

Iliad. 8.

ÆSCVLAPIO verò duo filij fuisse perhibentur, ambo Medici, Podalirion & Machaon Homerico carmine laudati, iisque vulneribus tantum ferro & medicamẽtis mederi soliti. Deinde HIPPOCRATES omnium quotquot ante eum fuerunt facile Princeps, quia tum medicinam primus in artem redegit, tum multis adiumentis, ornamentisque cumulauit, diuinos meruit honores. Liquet enim eum ab Athenienſibus Eleusiniis sacris secundum ab Hercule monstrorum domitore initiatum fuisse. Has laudes SORANVS Ephesius in præfatione suæ Isagoges breuiter ita expressit: *Medicinam*, inquit, *Apollo quidem inuenit,*

Æscula

Æsculapius amplificauit, Hippocrates perfecit, Hippocratem secutus est Diocles Caristius, Praxagoras, Chrysippus, Erasistratus, & cæteri.

MEDICINA denique inde quoque dignitatem aliquam arcessere potest, quod à nobilissimis personis tum in veteri testamento à Prophetis, tum in nouo à Christo & Apostolis quodammodo vsurpata sit. A Prophetis quidem, nam vt est in historia Regum, & in vaticinio Isaiæ: *Iussit Isaias*, inquit textus, *vt tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus Ezechiæ, vt sanaretur*, in quæ verba B. HIERONYMVS: *Alij vulnus illud non vlcus, sed* (vt sonat verbum Hebræum, à LXX. omissum) *apostema suspicantur, quando tumens corpus cocto & putrescente pure completur: Et iuxta artem Medicorum, omnis sanies siccioribus ficis, atque contusis in cutis superficiem prouocatur, per hoc non spernendam esse medicinam, quæ vsu constet & experimento, quia & hanc fecerit DEVS.* Accedit, quod apud Tobiam legimus RAPHAELEM angelum (Hebraice vocatur medicina DEI) demonstrasse medicinam, qua extricaretur omne genus dæmoniorum, qui septem Saræ viros iam occiderant. IN NOUO testamento quem alium se Christus Dominus exhibuit, quam Medicum corporis & animæ, id est, perfectum? *Circuibat IESVS*, inquit B. Matthæus, *totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo: Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos & paralyticos, & curauit eos.* Quid autem

4. Reg. 20. 1. Isa. 38. 23.

Tob. 6 8.

Matth. 4. 23.

Luc.10.30. apud LVCAM intelligitur per Samaritanum alligantem vulnera eius, qui descendens ab Hierusalem in Iericho, inciderat in latrones, oleúmque & vinum in vulnera eius infuderat, nisi verus Medicus Christus Dominus? vt veteres Patres exponunt. APOSTOLI quoque institutore Christo,
Marc. 6. 13. ait S. MARCVS *vngebant oleo multos ægros, & sanabant.* & S. IACOBVS scribit: *Infirmatur quis in*
Iac. 5. 14. *vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum.* In quo Apostoli, si non exhibuerunt se Medicos corporales, saltem spiritales, atque etiam corporalium imitatores, atque ita vt sæpe vtrámque ægritudinem corporalem & spiritualem tollerent, vt multa exempla docuerunt.

CAPVT III.

De necessitate & vtilitate Medicinæ.

NECESSITATEM, ac proinde & summam vtilitatem eius non modo docuit Sapiens, cum supra monuit, vt MEDICVM in honore &
Eccl. 38. 1. veneratione haberemus propter necessitatem, no-
Eccl. 38. 1. 12. biscum eum retineremus, quia *opera eius nobis sint necessaria: Est enim tempus*, inquit, *quando in manum eius incurras*, verumetiam suo consilio & exemplo angelus Raphaël ostendit, beneficio medicinæ
Tob. 6. 8. Tobiam maxima dæmonum tyrannide & seruitute tandem ereptum. Dicta quoque Christi in
Matth. 9. 12. Euangelio luculenta sunt: *Non est opus valentibus*
Luc. 5. 33. *medicus, sed male habentibus*; Et, *Non egent, qui sani sunt medico sed qui male habent*, quæ dicta æque valent in morbis corporalibus, ac spiritalibus, licet

huc

huc præcipuè à Christo referantur. VERVM ex S. PATRIBVS omnium acuratissimè hanc necessitatem cum suo fructu depinxit S. BASILIVS in regulis fusius disputatis posita quæstione, *num fas sit ex veræ pietatis proposito vti Medicina? Vt*, inquit, *cuiuslibet artis suffragium in hoc nobis à Deo est indultum, vt nostræ occurramus infirmitati: ceu sunt, agricultura, quod quæ sua sponte è terra gignuntur, ad subleuandas victus necessitates satis non erant: texendi ars, quod indumentis necessario vita hominum indigebat, cum ad honestatem tenendam, tum ad cœli incommoda depellenda, similitérque ædificandi disciplina, quod sine ea haud facile stare vita hominum potuisset: item eadem quoque in Medicina ratio est: Cum enim corpus nostrum morbidum noxijs varijs expositum, partim extrinsecus aduenientibus, partim intrinsecus agnatis morborum generibus obnoxium sit, eáque modo largiore cibi copia, modo subductione nimia affligatur, medicinæ nobis ars à totius vitæ nostræ moderatore DEO concessa est: Vt enim si in paradiso deliciarum essemus, nihil labore opus esset, neque solertia: sic si vacuam penitus morbis vitam ageremus, ad similitudinem temporis illius, quando ab initio statim creati nondum de DEI gratia decideramus, sine dubio nihil opus esset, cur valetudinis tuendæ causa præsidium vllum à medicina peteremus.* Et paulo post: *Vbi autem iussi sumus, vt in terram, de qua sumpti sumus, denuo reuerteremur: Datum nobis medicinæ remedium est, quo aduersum ægros vteremur: Neque enim fortuito ortæ de terra herbæ sunt ad singula morborum genera accommodatæ, sed nimirum eæ supremæ opificis voluntate editæ sunt, eo consilio, vt ijs nos ad vtilitatem nostram vti possemus: Quocirca quidem ea, quæ in radicibus* Bas. quæst. 55.

floribusve, aut foliis, aut fructibus, aut succis naturalis vis ineſt, aut quodcunque etiam ex metallis, marive aliquid ad corporis noſtri vſum appoſitum habere inuenta ſit, omnia rerum inuentioni ſimilia iudicari debent, quibus in cibo, potioneque vti conſueuimus: At in quibus exquirendis curioſa quadam, & anxia nimis ſolertia eſt opus, quæque magnas nobis conciliant moleſtias, ea à Chriſtianis omnibus funditus repudianda ſunt. Et ſub finem: *Mihi vero etiam ad colendam continentiam haud mediocre momentum ars hæc, de qua loquimur, videtur afferre: Siquidem animaduerto ab ea & delicias amputari, & crapulam damnari, epularum præterea varietatem, & exquiſita nimis condimentorum prauè excogitatam ſolertiam tanquam inutilem improbari: in ſumma denique indigentiam ab ea ſanitatis matrem appellari: Proinde ſi aliquando præceptis medicinæ vtimur, ſiue repudiamus ob aliquam cauſam: propoſitum tamen illud teneri conſtantiſſimè debet, vt DEVS imprimis propitius habeatur, & animæ vtilitati conſulatur, & præcepto Apoſtoli ſatisfiat illi: Siue manducatis, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia ad gloriam DEI*
1. Cor. 10. 31. *facite.* Hucúſque S. BASILIVS. Quo ſenſu vero S. BERNARDVS Abbas noluerit fratres ſuos ægros vti medicinis, diximus in PANARIO.

Panar. v. Impar. in morbis.

CAPVT IV.

In morbis non eſſe figendam ſpem omnem in Medicinis & Medicorum arte, ſed maximè in DEO.

Eccl. 38. 9. ID docet nos Sapiens eodem loco, vbi commendat nobis Medicinam & Medicos: *Fili,* inquit, *in tua infirmitate ne decipias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te: Auerte à delicto, & dirige manus, & ab*

& ab omni delicto munda cor tuum. Da suauitatem & memoriam similaginis, & impingua oblationem. quibus verbis significat precibus iungenda etiam sacrificia sacerdotum, ita tamen vt non negligatur opera Medici, mox enim addit: *Et da locum Medico, etenim illum Dominus creauit: & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria. Est enim tempus, quando in illorum manus incurras: ipsi verò Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum & sanitatem propter conuersationem illorum.* Quod vel de Medicis ipsis intelligi potest, qui non ita debent fidere arti suæ, quin Deum etiam deprecentur pro felici curationis successu, vel de sacerdotibus, vt Græca magis postulant, quorum conuersatio, vel officium imprimis postulat pro aliis DEVM orare. Vnde S. IACOBVS monuit induci presbyteros in domum ægrorum, orandi causa, si grauius decubuerint. ASA *Rex Israel*, vt est in 2. Paralipomenon. *anno trigesimo nono regni sui agrotauit dolore pedum vehementissimo, & quia nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est, dormiuit cum Patribus suis, & mortuus est.* Iac. 5. 14. 2. P. 16. 12.

QVAMOBREM autem in Medicorum arte & industria fiduciam nostram collocare non debeamus, idem S. BASILIVS multas quæstione citata enumerat causas: *Danda*, inquit, *nobis studiosè opera est, vt huiusmodi arte, si quando res postulet, ita vtamur, vt nullo modo omnem ei aut prosperæ aut aduersæ valetudinis causam assignemus, sed vt ad gloriam Dei, & formulam quandam, qua nos in animorum curatione nostrorum vti oporteat, ita salutaria ab ea corpori nostro subsidia petamus. Ac si quando remedia nos medicinæ defecerint, neutiquam leuandi mali spem om-* Basil. q. 55.

nem in hac arte collocatam habeamus, sed illud intelligamus, aut non patietur nos tentari Deus supra id quod possumus. Aut quod sicut olim, dum internos versaretur Dominus, modo lutum faciens illud alicui alliniebat, illitóque vt se in Siloam ablueret præcipiebat: modo ad sanandum, voluntate solus contentus erat, dicens. Volo, mundare. Quosdam etiam præterea, vt in acerbitatibus certarent, dimisit: nimirum, qui periclitatione illa spectatiores ipsos vellet efficere. Ita nunc pari ratione agere nobiscum velit, tum ex occulta ratione quadam oculis minime aperta, salutari nobis imponenda medicina, quotiescumque ita facere ex animarum nostrarum vtilitate esse ipse iudicuerit: tum etiam id agendo interdum, vt ad depellendos nobis morbos eos, quibus laboremus, crassioribus remediis quibusdam vtamur, idq; ea re nimirum, quod curationis longinquitate memoriam eius, quod acceperimus, beneficij altius in animis nostris impressam velit, vel ea re vt formulam nobis tradat, quam in curandis animi nostri vitiis imitemur. Vt enim in corporibus necessario & demi illa debent, quæ superuacanea sunt, & quæ absunt, apponi: sic idem quoque in animis nostris seruandum est, vt quæ aliena sunt, scilicet, amandemus, & quæ idonea adsciscamus. Siquidem fecit DEVS hominem rectum, & ad bona opera creauit, vt in illis ambularemus. Et quemadmodum in iisdem corporibus, secari, vri & potiones amarissimas sumere incolumitatis ipsorum causa non recusamus: sic in animis quoque secantia, cum obiurgamur, verba, amaraq; pro ipsorum salute increpationem medicinæ accipiendæ sunt: quod quidem iis qui emendati non erant Propheta obiectat, cum dicit: Nunquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi? quare igitur non est restituta sanitas filiæ populi mei? Quin illud etiam, quod

Ioan. 9. 7.

Matt. 8. 3.

Ier. 8. 22.

quis

quis inueteratis morbis, non nisi ex longinquo tempore, variisque & iis dolorem facientibus medicamentis sanitatem expectat, indicio est vitia similiter, quæ in animis nostris inueteraverint, assidua oratione, & diuturna patientia & acerrima animi contentione, quæ ad sanitatem adipiscendam ratio sufficere nobis ostenderit, à nobis curari oportere. Et paulo post: *Vt Ezechias* 4. Reg. 20.
massam ficorum illam, neutiquam præcipuam sanitatis 7.
causam fuisse arbitratus est, neque salutem corporis sui quam recuperauerat illi acceptam tulit, sed ad Dei gloriam, etiam quod ficos creasset gratiarum actionem adiecit: sic nos quoque, quandocumque ab eo qui benignè sapientérque vitam nostram moderatur DEVS, vapulamus, primum illud petamus, vt caussam nobis indicet, cur ita plectamur, cum illud postulemus, vt ab ijs quibus premimur acerbitatib. liberemur, vt animi ab ipso in tolerando fortitudinem comprecemur, vt vna cum tentatione exitum etiam præbeat, & sustinere possimus. Restituæ verò nobis sanitatis munus, siue per vinum 1. Cor. 10.
oleo permistum, veluti ille curatus, qui in latrones inci- 13.
derat, fuit, siue per ficos, vt legimus de Ezechia, gratiarum actione prosequi debemus. Neque omnino referre Luc. 10. 33.
quidquam existimemus, siue non cernentibus nobis, siue 4. Reg. 20.
cernentibus corporea rei alicuius opera curationem nobis 7.
DEVS adhibeat, quando hæ sepenumero faciunt, vt Dei in nos beneficium clarius agnoscamus. Atque etiam sit plerúmque, vt cum idcirco in aduersam valetudinem inciderimus, vt hoc pacto admoniti vitia nostra emendemus loco pœnæ cuiusdam, huiusmodi curationis acerbitatem cogamur perferre. Porrò haud mediocre periculum est, ne à recto animus aberrans vanas quasdam opiniones cõcipiat, quasi morbus omnis petitis à medicina remediis curandus sit. Neque enim semper morbi omnes à natura,

aut

aut vitiosa victus ratione, aliisve quibusdam in corpore nostro sitis causis, ad quæ vtilem interdum Medicorum artem videmus, ortum ducunt, quandoquidem morbi sæpe veluti quædam peccatorum flagella sunt, quib. nihil aliud agitur, nisi vt vitam nostram in melius commutemus. Quem enim Dominus diligit, castigat: & ideo multi in vobis infirmi, & imbecilles, & dormiũt multi. Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum mundo damnemur. Quamobrem qui eiusmodi sunt omissis Medicorum auxiliis inuectas sibi acerbitates ferre silentio debent, quandocúmque se peccasse animaduerterint, atque illum imitari, qui dixit: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei: nec non vitæ suæ praua studia emendare, & dignos pœnitentiæ fructus edere, & verborum Domini illorum meminisse. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Quin est, quando diabolo hoc ita deposcente permittitur à Domino, cum aliquem tanquam fortissimum aduersarium, quæ est eius benignitas, ipse eum illo in certamen committat, ac magnificam illius iactantiam summa seruorum suorum tolerantia retundat, (quod quidem in IOB factum fuit) aut mollioribus etiam inferendo doloribus, laboribúsque exempla proferuntur eorum, qui vsque ad mortẽ continenter tolerare cruciatus possunt, veluti LAZARVS: de quo, cum tot vndique vlceribus vrgeretur, nusquam tamen scriptum est, eum quidquam ab diuite illo vnquam petiuisse, significationémve vllam fecisse, quod iniquo animo eum in quo erat rerum suarum statum ferret. Quæ quidem causa fuit, quamobrem postea quietem in sinu Abrahæ inuenerit, veluti qui mala receperit in vita sua. Quanquam aliam præterea in sanctis viris morborum causam euenire solitam reperimus, velut

Prou. 3. 11. 1. Cor. 11. 30. Mich. 7. 9. Ioan. 5. 14. Luc. 16. 20. Luc. 16. 22. 2. Cor. 12. 8.

lut in Apostolo. Ne enim hominis natura egressus posset putari, aut naturaliter aliquid præ cæteris eximium habere quispiam ipsum existimaret, quemadmodum Lycaones, qui ad eum cum coronis & lauris accesserunt, Act. 14. 11. *quo facilius intelligi possit, hominis illum natura præditum esse, in assidua vsque erat ægrotatione. Quocirca quid est, quod huiusmodi hominibus emolumenti afferre possit medicina? aut quod non iis potius contra ab ea periculum procreari? qui quidem relicta recta ratione curam suam in corporis curationem tantum contulerint: Qui verò ex vitiosa quam tenebant in victu ratione morbum sibi contraxerunt, hi corporis curatione vti debent, perinde vti exemplo & adumbratione quadam, quam in curando animo sequantur.* Hactenus præclarè sane BASILIVS.

CAPVT V.

De Officio Medicorum.

PRIMVM officium Medicorum est, ante morbum adhibere aliquando medicinam, non curatiuam, sed præseruatiuam, qua impediatur morbus impendens: quomodo tempore contagioso accipimus ab iis quædam præseruatiua contra pestem. Hoc munus Medici insinuauit Ecclesiasticus, cum suasit; *Ante languorem adhibe Medicinam.* Eccl. 18. 18. Quod autem de spiritali languore potissimum monuerit, liquet ex verbis mox sequentibus: *Et ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem,* id est, ante extremum iudicij diem explora teipsum, & si quid pœna dignum in te offendas, vt facile offendes, punias & diiudices, sic enim fiet vt Deum nobis propitium reddamus,

nam

1. Cor. 11. 30. M. serm. 50. nam vt habet PAVLVS: *Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Ob hoc officium Medicorum, vt refert Maximus in quodam sermone, Demadas maiorem gratiam deberi Medicis dixit, qui morbum ingruentem arcerent, quam qui iam præsentem pellerent.

II. Officium est, notitiam herbarum aliarúmque rerum ad medicinam pertinentium habere exquisitam. Hoc S. AMBROSIVS vt alia multa suggessit in lib. 3. hexæmeron; *Ea medicina antiquior, quæ herbis*, inquit, *curare consueuit & succis, nec vlla firmior sanitas, quam quæ salubribus reformatur alimentis. Vnde secundum naturam docemur, quia sola nobis esca medicina est. Herbis certè vlcera aperta clauduntur, herbis curantur interna: ideóque Medicorum est opus, herbarum potestates noscere. Hinc enim medendi vsus inoleuit.* Vnde SENECA ad Lucilium: *Medicina*, ait, *quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim. Deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum tunc illam minus negotij habuisse, firmis adhuc solidisque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatémque corrupto.*

Amb. c. 13. Sen. ep. 95.

III. Officium, notitiæ coniungere experientiam, à qua MEDICI dici solent expertissimi, vel experientissimi. Nam finxit antiquitas Æsculapium principem Medicorum barbatum, quod in Medico multarum rerum vsus & experientia requireretur. Idcirco autem DIONYSIVS senior, teste VALERIO, Æsculapio in templo eam detraxit, quod dictitaret barbam auream minimè ei conuenire. Quocirca §. AMBROS. in præfatione 37. Psalmi: *Vnde Medicina nisi de vulnere*, inquit, *sumpsit*

Val. lib. 1. c. 1. Amb. initio.

sumpsit exordium? Dum prima ætas generis humani docet alios quod sibi profuit, & quemadmodũ vulnus suum sanauerit, aliis ostendit, vsus artem fecit, & ægritudo magisterium. Ipsa enim est prima & valida secta medicinæ, quam experientia, nõ coniectura formauit, ideóque ab experientia ἐμπειρικοὶ primo Medici sunt vocati, & ex ea secta cæteræ deriuatæ sunt, atque ab ea vsum quendam suæ sumpsere virtutis. Et M. TVLLIVS in 1. de Officiis: *Nec Medici*, ait, *nec Imperatores, nec Oratores quamuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine vsu & exercitatione consequi possunt.* Et PLINIVS senior lib. XXIII. *Medicinæ præcipue efficacissimus magister vsus.* Plin. c. 1.

IV. Officium est in præbenda medicina, tempori, regioni, ætati & personæ se accommodare: *Enimuero Medicus*, ait GREG. Nazianzenus in primo Apologetico: *regiones, & tempora & ætates, & anni partes cæteráque huius generis explorabit, medicamenta etiam ægrotanti propinabit, victúsque rationem præscribet, noxiáque obseruabit, ne præsidijs artis ægroti cupiditates obsistant. Nouit enim bonus Medicus*, ait S. AMBROS. epist. ad Horontianum, *quæ esca cui apta sit infirmitati, & cui tempori ad profectum valetudinis. Interdum opportunitas escæ sanitatem reddit. Quod si importunè aliquis accipiat, aut non conuenienter, implicatur periculo.* Ait Poëta, Naz. Ambr. ep. 23. lib. 5.

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent. Ouid. de rem. Amoris.

S. AVGVST. epist. ad Marcellinum in hanc rem tale narrat exemplum: *Magnus ille nostrorum temporum Medicus Vindicianus consultus à quodam, dolori eius iussit adhiberi, quod in tempore congruere videbatur, adhibitum: sanitas consecuta est. Deinde post annos* Aug. ep. 5.

aliquot

aliquot eadem rursus corporis causa commota, hoc idem ille putauit adhibendum, adhibitum vertit in peius. Miratus recurrit ad Medicum, indicat factum. At ille, vt erat acerrimus, ita respondit: Ideo male acceptus es, quia non ego iussi: vt omnes qui audissent, parúmque hominem nossent, non eum arti medicinali fidere, sed nescio qua illicita potentia putarent. Vnde cum esset à quibus poterat stupentib. interrogatus, aperuit, quod non intellexerant, videl. illi ætati iam non hoc se fuisse iussurum. Tantum igitur valet ratione atque artibus non mutatis, quid secundum eas sit pro temporum varietate mutandum. Non itaque verum est, quod dicitur. Semel rectè factum nullatenus esse mutādum. Mutata quippe temporis causa, quod rectè ante factum fuerat ita mutari vera ratio plerúmque flagitat, vt cum ipsi dicant rectè non fieri si mutetur, contra veritas clamet, rectè non fieri, nisi mutetur, quia vtrúmque tunc erit rectum, si erit pro temporum varietate diuisum. SENECÆ quoque ad Heluiam matrem, recepta illa sententia est: *In morbis nihil esse magis periculosum, nec pernicioſum, quam immaturam medicinam.* ÆLIANVS in varia historia commemorat Aristotelem ægrum, cum Medicus ei præceptum quoddam iniungeret, rogasse vt in curando personæ rationē haberet: *Ne*, inquiens, *me cures, vel vt bubulcum, vel vt fossorem, sed prius causam edissere, sic enim facili persuasione me morigerum reddideris.*

Senec. de Consolat.

Æl. lib. 9.

V. Officium est, non ante ægro antidotum salutare exhibere, quam corpus eius noxiis humoribus purgauerit. Hoc assignat S. BASIL. in oratione de Virtute & Vitio; *VIDI* ego, inquit, *Medicos non prius præbentes salutaria medicamenta, quam ante vomitionibus eam materiem, quæ morbū gignebat, vacuam*

Basil. orat. 7.

vacuam fecissent, quam sibiipsis ex praua victus ratione homines intemperantes aggregarant: Verum & vas si quadam re liquida, male olente vnctum fuerit, nec post elutum, recipit vnguenti influxionem: Proinde necessarium est, vt ea, quæ prius insunt, effundantur, vt post possint ea recipi, quæ inducenda atque inferenda sunt.

VI. Officium est; cito & tempestiue occurrere morbo, iuxta illud Poëtæ;

Principijs obsta, sero medicina paratur,
Quum mala per longas inualuere moras. Ouid. de Rem. Amor.

Nisi ratio postulet moram aliquam. Nam, vt scribit S. Ambros. in Psal. 36. *Medicus non statim adhibet medicamenta languori. Si dolor feruet, fomenta adhibet, vt mitescat dolor. Si febris exæstuat, remedij tempus expectat. Ipsum potum sitientibus negare consueuit. Non dicit: Nolite febrire, cum feruor feruet ægroti, sed dicit, expecta, desinat febris, digeratur commotio.* Et ad Constantium; *Medendi periti cum vident notas ægritudines, vt ipsi appellant, medicinam quidem non adhibent, sed tamen medicinæ tempus expectant: nec deserunt inualidum, sed lenioribus verbis, aut quibus possunt, palpant delinimentis, ne aut intermissa ægritudo desperatione animi graueſcat, aut crudior medicinam respuat, eo quod ad maturitatem peruenire nequeat, si indigesta insolens rerum huiusmodi Medicus adhibeat manus: Siquidem & pomum cum immaturum exagitatur, cito deperit.* A. ep. 44. lib. 7.

VII. Officium est, non parcere ægro, etiamsi aliquando molestè ferat oblatā medicinam. Considera *Medicum*, inquit idem Pater in 118. Psal. *vtilia apponentem medicamenta vulneribus, ea tamen quæ mordeant vlceris virus, aut certe ferro putrefacta resecantem: cum in eo ipso bonus sit medicus, quia vtilitatem* Ambr. ser. 9.

operatur ægroti, & facit, quod prodesse nouerit: tamen quia æger dolorem aut non vult, aut non potest sustinere propter infirmitatem affectus sui, rogat vt eum Medicus quadam bonitate & suauitate sua curet, & non asperitatem adhibeat medicamentorum, non ferro incidat vulnerum fibras: aut si aliter non potest, vt cum moderatione faciat, & quadam subtilitate mitiget vim doloris.

Naz. Apol. 1. Et NAZIANZENVS; *Ignem*, inquit, *etiam interdum & ferrum, asperioráque medicamenta Medicus nonnullis adhibebit, quæ tametsi perquam molesta esse videantur, nihil tamen eorum perinde arduum atque difficile est, atque mores & affectum medicari.* HIERON. quoque ad Amandum sic loquitur; *Putridæ carnes ferro indigent & cauterio:* nec est medicinæ culpa, *sed vulneris: cum clementi crudelitate non parcit Medicus, vt parcat, sæuit vt misereatur.* Et lib. 7. in Ezechielem; *In hoc quoque* (ait DEVS) *ostendam clementiam meam instar Medici, qui putridis non parcit carnibus, vt sana membra seruentur: non parcit, vt parcat: crudelis est, vt misereatur, nec considerat patientis dolorem, sed vulneris sanitatem, considerans illud Euangelicum, magis volens vnum perire membrum, quam totum corpus interfici.* Et S. AVGVST. in Psal. 33. *Medicus crudelis est, qui exaudit hominem, & parcit vulneri & putredini. Matres quomodo fricant in balneis ad salutem filios? nónne paruuli clamant inter manus earum? Illæ ergo crudeles sunt, vt non parcant, non exaudiant lacrymas? nónne plenæ sunt pietate? & tamen clamant pueri, & non eis parcitur. Sic & DEVS noster plenus est charitate: sed ideo videtur non exaudire, vt sanet & parcat in sempiternum.*

Hier. ep. 147.

H. in c. 24.

VIII. Officium est, ad radicem morbi penetrare, eámque excindere. Hoc noster AMBROSIVS

in

in Psal.61. scribens pulcherrimè ad vtrunque Medicum, spiritualem & corporalem accommodat. *Quia*, inquit, *per inobedientiam culpa irrepserat, dum mandata diuina temerantur, obedientiam vtique præ cæteris debuit reformare, vt seminarium erroris excluderet. Fibra enim inde manauerat, & ideo sicut bonus Medicus radices prius vlceris debuit amputare, vt medicamentorum salubre remedium, vulneris ora sentirent. Frustra n. cicatricem curaueris, si serpant interiora contagia: imò acerbatur vulnus, si foris clauditur, cum interius virus exæstuat. Nam quid proderat donasse peccatum, si peccandi maneret affectus? Hoc erat non sanare cicatricem, sed claudere.* Sic ante eum S. CYPRIAN. Lib. 2. ep. vel potius Clerus Roman. ad ipsum; *Vbi poterit*, inquit, *indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse Medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed si dicere verum volumus, occidere.* & S. GREGOR. lib. 7. Greg. c. 26. Moralium, in eundem sensum: *Vulnera*, ait, *clausa plus cruciant, quia cum putredo quæ intrinsecus feruet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur.*

IX. Officium est sanitatem semel restitutam consiliis & antidotis conseruare. DVO n. sunt officia medicinæ, inquit B. PROSPER in sententiis ex August. collectis: *Vnum, quo sanatur infirmitas, aliud quo custoditur sanitas: ita duo sunt dona gratiæ: vnum, quod aufert cupiditatem, aliud, quod facit animi perseuerare virtutem.* Et S. GREGORIVS in 1. Psalm. Pœnitentialem; *Boni*, inquit, *Medici officium est, non solum salutem restituere, sed etiam restitutam custodiæ sedulitate seruare.* Prosp. s. 131.

CAPVT VI.

De proprietatibus quibuſdam Medicorum.

PROPRIETAS prima Medicorum ſit, non omnes ægros ſanare, etiamſi peritiſſimi, ſicut nec omnes Rhetores perſuadent, etiamſi ſint eloquentiſſimi, vt tradit ARIST. lib. 1. Topicor. Quare Didymus, auctore Antonio Meliſſa, rectè perfectum illum Medicum dicebat, non quidem qui omnino curaret, ſed qui nihil eorum, quæ ad vtilitatem & curam pertinerent, omitteret. HIERON. ſcribens in verba Iſaiæ iuxta LXX. *Mortui vitam non videbunt, neque medici ſuſcitabunt. Senſus*, inquit, *perſpicuus eſt, condemnari fabulas poëtarum, qui ab Æſculapio iactant Virbium ſuſcitatum. Non ſolum autem hoc de mortuis, ſed de omni infirmitate dicendum eſt, quod abſque Dei miſericordia nihil medendi ars valeat.* *Sed quomodo, niſi Dominus ædificauerit domum, inuanum laborauerunt qui ædificant eam. Sic niſi Dominus languorem curauerit, inuanum laborant medici, qui cupiunt ſanare languentes. Niſi Dominus cuſtodierit ſanitatem, inuanũ cuſtodiunt, qui etiam præcepta cuſtodiendæ ſalutis proprijs edunt libris: ſempérque dicendum eſt, non ſolum in corporis, ſed etiam in animæ ſanitate: Benedic anima mea Domino, qui ſanat omnes languores tuos.*

M.p.1. ſer. 56.

Iſa. 26.

Pſal. 126. 1.

Pſal. 102 3.

Idem ex Ethnicis canit OVIDIVS ad Ruffinum.

Ouid. 1. de Ponto.

Non eſt in medico ſemper releuetur vt æger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Adferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodoſam neſcit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.
Eura quoque interdum nulla medicabilis arte,

Aut

Aut si sit, longa est attenuanda mora.

II. PROPRIETAS, quod medicina eorum ad tempus sit amara, exitus autem iucundus. Ita HIERON. *Omnis*, inquit, *medicina habet ad tempus amaritudinem, sed postea fructus doloris sanitate ministratur.* Omnino simile illi, quod Apostolus scribit de castigatione Domini, quæ medicinæ loco à Domino in hac vita suppeditatur; *Omnis autem disciplina*, ait, *in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Hier. l. 2. Ierem. Heb. 12. 11.

III. PROPRIETAS est, quod aliquando contraria contrariis curet in eo secutus Principem Medicorum Christum, vt obseruauit GREGORIVS Magnus lib. 24. moralium; *Mos*, inquit, *medicinæ est, vt aliquando similia similibus, aliquando contraria contrarijs curet. Nam sæpe calida frigidis, frigida frigidis: Sæpe autem frigida calidis, calida frigidis sanare consueuit. Veniens ergo ad nos desuper Medicus noster tantisque nos inueniens languoribus pressos, quiddam nobis simile, & quiddam contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores iustus, concordauit nobis veritate naturæ, sed discrepauit à nobis rigore iustitiæ.* Greg. c. 1. Apud SENECAM libro de Clementia exstat dictum LIVIÆ mulieris: *Fac quod medici solent, qui vbi vsitata remedia non procedunt, tentant contraria.* Sen. lib. 1. c. 9.

IV. Est, nullam artem medicina esse inconstantiorem, nullam tamen fructuosiorem. Hanc assignat senior PLINIVS lib. 29. *Nulla*, inquiens, *ars inconstantior medicina, nulla sæpius mutatur, cum sit fructuosior nulla.* Et rursus; *In hac artium sola euenit, vt vnicuique medicum se professo statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio maius.* Plin. c. 1.

V. Quod præcepta medicinæ parum congruant cum diuinis præceptis: quia medici verbi causa comedere eos iubent, quod Deus vel Ecclesia vellet ieiunare. Eam tradit S. AMBROSIVS. *Contraria*, ait, *diuinæ conditioni præcepta medicinæ sunt, quæ à ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt: ita qui se medicinis dederit, seipsum sibi abnegat.* Hæc tamen regula non est, quia videmus ieiunij præscriptionem maxime esse apud Medicos pro recuperanda sanitate commendatam. Idcirco enim superius S. BASILIVS in quæstionibus fusius disputatis dixit, *non mediocre momentum ad continentiam colendam artem medicinæ afferre, quod ab ea delitiæ amputentur, & crapula damnetur, & ieiunia commendentur.*

Ambr. in Psalm. 20. Grat. de Conf. d. 5. c. contraria.

Basil. q. 55.

VI. PROPRIETAS sit, quod Medici, quamuis peritissimi, si & ipsi in morbum inciderint, raro possint sibi Medicinam facere, ita vt prouerbij loco dictum illud, *MEDICE cura teipsum*, iactetur, & Christus apud B. LVCAM ita vsurpauit; *Vtique* inquit, *dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum*, id est, prouerbium, vt exponit EVTYMIVS. Ratio est, quia passio ægritudinis obscurat eorum intelligentiam.

Luc. 4. 23.

CAPVT VII.

De Monitis quibusdam à Medico seruandis ne facile delinquat.

PRIMVM Monitum, ne prius ægro præscribere aliquid incipiat antequam scientiam morbi & antidotum, praximque necessariam exploratam habeat.

2. Vt

2. Vt diligenter ſtudeat; ægrum cum opus eſt viſitet, medicinam quam fecit certo putet ei profuturam: nam ſi dubitat, an noxia futura ſit, eoque porrigit tantum vt experimentum capiat, aut ne videatur indoctus, lethaliter delinquit.

3. Ne quæſtus cauſa curationem morbi in longum tempus protrahat.

4. Ne ad corporis ſalutem curandã, vllum conſilium det, quod vergat in animæ damnationem.

5. Ne ſuperſtitiones immiſceat naturali Medicinæ.

6. Vt ægris ſuadeat confeſſionem Sacramentalem. PIVS certe V. Pontifex Max. ſalubriter iuſſit, vt quoties Medicus tertio inuiſit ægrum, faciat æger Confeſſionem. Conſt. ſupra grege.

7. Ne prægnanti mulieri præbeat medicinam qua abortum faciat, idque ne propter ſanitatem quidem eius, ſi credit vel dubitet fœtum eſſe animatum: cum autẽ putet probabiliter non eſſe animatum, poteſt matri pharmacum dari ne pereat.

8. Ne ſine cauſa legitima cuiquam concedat facultatem diebus vetitis, vt in Quadrageſima, veſcendi carnibus, aut violandi ieiunium ab Eccleſia indictum.

9. Vt ægros quos credit morituros, moneat, vt animæ, reique familiari tempeſtiue conſulant.

10. Ne ſtipendium exigat iniuſtum, nec ſuperflua pharmaca ad ditandos pharmacopolas præſcribat.

11. Vt pauperibus ægris gratis medeatur, quos probabiliter nouit morituros, niſi eis medeatur, & non eſt alius, qui id faciat.

12. Vt ne aliis medicis detrahat, nec quod

recte ab illis semel ægro præscriptum est leuiter immutet. Lege de his S.Antoninum 3.p.tit.7.cap. 1. & 2. Nauarrum cap.25. Manualis, num. 60. & Syluestrum V. Medicina.

DE MILITIÆ STATV.

CAPVT I.

De Vocabulo Militiæ & Belli.

MILITIÆ vocabulum, vt constat, à Milite sumptum est: quidem à mollitie, autore FESTO, per contrarium dicta, eo quod nihil molle, sed asperum quid gerat. Alij militem à duritia, quam pro Repub. sustinet, putant appellatum, vel à multitudine, vel etiam à malo, quod eius industria arceatur: aut denique à mille, quasi millesimus quisque, quod trium millium plius legio fiebat, & singulæ tribus Tatiensium, Ramnensium, Lucerum mille milites mittebant. SERVIVS tria militum facit genera. PRIMVM est Euocatorum, qui non milites, sed pro milite erant. Vnde Consul solebat dicere: Qui vult Rempub. saluam, me sequatur: nam diuersi ad diuersa loca propter cogendos exercitus mittebantur. 2. Est Tumultuariorum, qui necessitate aliqua electi ad vnum tantum bellum militant, quando vicinum periculum Vrbis singulos iurare non patitur. 3. Sacramento religatorum, qui post electionem in Rempub. iurabant se non recessuros à præcepto Consulis, nisi post completa stipendia, quod militare sacramentum dicebatur. Hi vero

vero plenam militiam habebãt, erantque quinque & viginti annis obligati. De his generibus vide BVDÆVM in Pandectis.

BELLVM autem FESTVS à belluis deducit, quod belluarum sit mutuo se laniatu conficere. PRISCIANVS per antiphrasin & S. HIERON. ad Fabiolam de 42. mansionibus *volunt dictum*, quod minime bonum sit, sed plenum acerbitate, sicut *Lucas* à Poetis dicitur, quod minime luceat, & *Parcæ*, quod minime parcant. CASSIODORVS libro primo variarum existimat à BELO, qui primus gladium ferreum produxit, nominatum bellum. Nos vtroque nomine intelligimus professione, Milites & Bellatores, qui statum militiæ susceperunt, siue profanum & externum, siue Sacrum gerant. S. GREGORIVS Nazianzenus non semel vocat Bellum sacrum, quod inter Episcopos & Sacerdotes pro rebus sacris & diuinis gerebatur, alludens ad Phocense bellum Ethnicorum, quod pro fano Delphico direpto & spoliato gerebatur. Rectius sacrum vocatum est à GVILHELMO TYRIO, quod multis annis à Christianis gestum pro recuperatione terræ sanctæ, quam & recuperarunt.

Hie. epist. 127. manss. 33.

Cass. c. 30.

Gr. orat. ad 150. Episc.

Tyr. in lib. de bello sacro.

CAPVT II.

Militarem statum esse honestum & licitum.

EX nostris Apostatis olim IVLIANVS Imperator fuit, vt insinuat S. GREGOR. Theologus oratione prima in eundem, qui arbitratus fuit Christianis omnino vetitum esse bellum. Et hac ætate cum Anabaptistis quidam Semicatholicus

Greg. sub fin.

fuit ERASMVS Roterodamus, qui in annotationibus ad cap. 3. & 22. Lucæ, & fuse chiliade quarta adagiorum centuria prima id persuadere sibi conatus est, reclamantibus prorsus diuinarum literarum, Sanctorúmque Patrum testimoniis.

DIVINIS literis quidem, nam constat DEVM Opt. Ma. qui nihil mali, teste S. AVGVSTINO in 22. contra Faustum imperare potest, bella imperauisse. In Numeris enim dicitur; *Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens: Hostes vos sentiant Madianitæ & percutite eos, quia & ipsi egerunt hostiliter contra vos.* Et in primo Regum Samuel: *Hæc dicit Dominus exercituum, Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade & percute Amalec, & demolire vniuersa eius,* &c. 2. legimus DEVM etiam iuuisse præliantes. Nam in Exodo dicitur; *Cum leuasset Moyses manu vincebat Israel.* Et in Deuteronomio: *Nolite metuere neque timeatis eos. Dominus Deus qui est ductor vester, pro nobis ipse pugnabit.* Et: *Quomodo persequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia. Nonne ideo quia DEVS suus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?* Et in Psalmis; *Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti, vt arcum æreum, brachia mea.* DEINDE in nouo Testamento, cum milites rogarent Ioan. Baptistam, dicentes, *Quid faciemus & nos*, nempe, vt faciamus fructus dignos pœnitentiæ, respondit; *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Non *respondit* eis, inquit, libro 22. contra Faustum S. AVGVSTINVS; *Arma abijcite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminem, sed quia sciebat,*

Aug. c. 75.
Num. 25. 17.
1. Reg. 15. 2.
Exod. 17. 11.
Deut. 1. 21.
Deut. 32. 30.
Psalm. 17. 35.
Luc. 3. 14.
Aug. c. 74.

bat, eos cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis, neminem concutiatis, &c.

POSTREMO laudantur in nouo Testamento, qui in statu militiæ vixerunt. Nam Christus apud Matthæum, laudauit fidem Centurionis, *non illi militiæ desertionem imperauit*, ait ibidem S. AVGVSTIN. Et in Actis; *Vir autem erat*, inquit B. Lucas, *Cornelius Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum.* Qui & ibi *dicitur vocasse ad se militem metuentem DEVM ex his qui illi parebant, &c.* Et Apostolus ad Hebræos. *Sancti per fidem fortes facti sunt in bello, castra verteunt exterorum.* Matth. 8. 10. Act. 10. 1. Heb. 11. 33.

II. PATRES sancti idem docuere. Nam Tertullianus in Apologetico, & ad Scapulam, ait: *Germanicam sitim Christianorum militum precationibus ad Deum factis impetrato imbri discussam.* Si autem illicita fuisset militia Christianis, eorum orationes non fuissent exauditæ. Et in Scorpiaco contra Gnosticos affert exempla veteris Testamenti, quibus bellū indicitur à Deo idololatris. Et eadem citat B. CYPRIANVS libro de exhortatione Martyrij, addens, quod si hæc ante aduentum Christi seruata sunt circa idola, multo magis seruanda post. LACTANTIVS quoque libro 6. institution. *Bella*, inquit, quidem reprehenduntur, sed quæ *contra iustitiam nata sunt.* GREGOR. Nazianzenus in oratione de Pace; *Quanquam Salomonis illud laudem, qui vt aliis omnibus rebus, ita etiam bello ac paci tempus suum velut lata lege decernit: hoc vnum tamen adiyciam, quod licet vtriusque temporis habenda sit ratio, quandoquidem iuxta illius* Tertull. in Apol. 5. Ad Scap. 5. 4. T. in Gn. c. 2. Cyp. c. 5. Lact. c. 19. Gr. orat. 3.

illius legem atque auctoritatem præclare interdum bellum suscipiatur, quamdiu tamen licet, propensiores ad pacem esse debemus. Hoc enim sublimius & diuinius. Et in apologetico I. in genere; *Melius*, inquit, *& optabilius est egregium bellum pace impia, & à Deo distrahente, ob eámque causam clementem hominem ad pugnam armat spiritus, vt belli gerendi facultate instructum.* Id facit Ioelis 3. cap. vbi versio nostra habet; *Infirmus dicat, quia fortis ego sum.* LXX. habent; *Qui clemens est, ad prælium & pugnam se comparet, ac strenuum & bellicosum se præbeat.* S. IO. CHRYSOSTOM. agens de Cornelio Centurione in Actis, milites hortatur, vt in timore & pietate illum imitentur, ac de iusto lucro eleemosynas faciant. Et in hom. contra Iudæos, gentiles, & hæreticos de altero Centurione agens; *Militiam*, inquis, *prætexis, & dicis, non possum esse pius. Centurio nonne miles erat, de quo IESVS ait, neque in Israel tantam fidem inueni, nihilque nocuit illi militia sua?* S. AMBROSIVS vero præterquam quod libro primo Officiorum à virtute bellica commendet Iesum Naue, Gedeonem, Ionatham & Machabæos, cap. 41. his verbis concludit; *Habes fortitudinem bellicam, in qua non mediocris honesti ac decori forma est, quod mortem seruituti præferat ac turpitudini.* Et in sermone 7. *non militare delictum est, sed propter prædam militare.* S. Ioannes, inquit idem libro 2. in Lucam *stipendia constituta militiæ, ne dum sumptus quæritur, præda grassetur.* B. THEODORETVS libro 5. Eccl. hist. ex S. Damasi epistola laudat Imperatorem Theodosium, quod tyrannos sibi adsentantes euerterit. S. AVGVSTINVS ad Marcellinum; *Si Christiana*, inquit, *disciplina omnia bella*

Chr. hom. 21 in Acta.
Tom. 3.
Matth. 8. 10.
Amb. c. 41.
A. c. 2.
Th. c. 23.
Aug. ep. 5.

bella culparet, hoc militibus potius consilium salutis pœnitentibus in Euangelio diceretur, vt abiycerent arma, seque militiæ omnino subtraherent. Dictum autem eis Lucæ 3. Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere præcepit, militare vtique non prohibuit. Vide plura epist. 50. ad Bonifacium, & lib. 20. contra Faust. c. 74. S. GREGORIVS Gennadium Imperatorem vehementer hortatur ad compescendos bello hæreticos; *Eminentia, ait, vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum ceruices iugo rectitudinis premat.* Greg. lib. 1. ep. 72.

III. Idem honestum & licitum, imo aliquando & necessarium cognouerunt sola natura & ratione Philosophi. Nam Philosophorum princeps Aristoteles in 7. politicorum, bellum numerat inter agibilia vitæ humanæ vtilia & necessaria; *Diuisa est, inquit, vita tota in negotium & otium, bellumque & pacem.* Et post; *Bellum, inquit, gratia pacis, negotium autem gratia otij, necessaria & vtilia gratia honestorum.* Et ibidem; *Patet igitur, quod bellicæ rei studia bona sunt existimanda, sed non vt finis supremus, sed gratia illius.* A. c. 14. Id. c. 2.

NEC mirum philosophum ita sensisse, cum lege naturæ competat hominibus vim vi repellere, vt tuti & incolumes esse queant: aliquando autem ad id commode præstandum præsidio pleni belli opus est.

IV. DEVS Opt. Max. aliquando tum in veteri, tum in nouo Testamento diuinitus miraculis approbauit prælia, nam in Iosue ad solum clangorem tubarum corruerunt muri Hiericho. Et in quarto Regum ad strepitum exercitus, qui nullus Ios. 6. 20. 4. Reg. 7.

erat,

erat, Assyrij fugerunt. Item quando quinque equi-
2. Mach. 10. tes de cœlo apparuerunt pro Machabæis pugnan-
4. Reg. 19. tes. Et cum angelus vna nocte percussit 185. mil-
lia Assyriorum. Et cum Constantinus Imperator
signo crucis viso in cœlo, audiuit & angelos astan-
E.c. 9. tes dicere; *In hoc vince*, teste Eusebio lib. 9. Et deni-
que cum Theodosius visis Ioanne & Philippo
Th. l. 5. c. 24. Apostolis, victoriam adeptus est cõtra Eugenium,
teste Theodoreto, &c.

V. Ecclesia militares quosdam Ordines approbauit, confirmauit, & etiam in numerum Religionum approbatarum suscepit. Militarium autem Ordinum nomine intelligo, qui tribus Religionis votis astricti formulam viuendi auctoritate Ecclesiæ approbatam professi, cum hostibus fidei & religionis Christianæ bella siue naualia siue terrestria committunt. In hosce ordines tria solent genera hominum cooptari. Alij enim sunt viri nobiles, qui tanquam quidam sacri milites instar Machabæorum pro fide ac lege Christi cum Turcis & Saracenis fortiter dimicant. Alij vero sunt clerici, qui ad diuina ministeria recepti in ipsorum Ordinum Collegiis commorantur, in choro cantant diuinas laudes, Missarum sacrificia faciunt, Deum pro militibus precantur, & solent Ecclesiis præfici Ordini militari subiectis, aliquando etiam tanquam capellani cum ipsis sacris equitibus in militia versantur, ad eorum confessiones excipiendas, & rem diuinam faciendam, Euchariam imperiendam. Alij denique admittuntur ad domestica munera & ministeria, qui tum clericis, tum militibus inseruiunt. Hi ordines vocantur militares, quoniam ad militandum sunt instituti. Religiosi,

gioſi, quod milites tribus votis religionis ſunt aſtricti. Sacri, quia regulam ab Eccleſia approbatam profitentur, & deuincti ad dimicandum pro fide Chriſtiana. Vti ſunt Hoſpitalarij S. Ioannis Hieroſolymitani. Milites S. Iacobi in Hiſpania, Calatranæ & Alcantaræ. Hoſpitalarij nunc dicuntur Melitēſes. Sunt & alij multi militares Ordines, de quibus vide Ioannem noſtrum Azor inſtitutionum moralium libro decimo tertio, à cap. 13. & S. BERNARDVM, qui milites Templi laudat, quod animo & corpore certent pro fide. Bernar. ad milites tēpli.

VI. Pontifices Romani, etiam Conciliis conuocatis, ſæpe probarunt bella contra Turcas & Saracenos ſuſcepta, imo & excitarunt ad illa, vt Vrbanus II. ante annos 500. in Conc. Claromontano, & ſucceſſor eius Paſchalis II. & alij. Similiter Concilia Generalia, Lateranenſe ſub Innocentio III. Lugdunenſe, Viennenſe, &c. ac etiam D. BERNARDVS ad id bellum hortatus eſt, vt ipſe indicat initio lib. 2. de Cōſideratione ad Eugeniū.

DICES cum IVLIANO & Eraſmo huic doctrinæ repugnare præcepta Euangelica Chriſti: nam initio Euangelij ſui mox clamat Chriſtus; *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in vnam maxillam, præbe illi & alteram.* Et; *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Et Apoſtolus ad Romanos; *Nulli malum pro malo reddentes.* Et; *Non vos defendētes, chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Poſſem reſpondere cum GREGOR. Nazianzeno oratione 1. verbis illis contineri conſilium, non præceptum, ſed malo cum S. AVGV- Matth. 5. 39. Matth. 26. 53. Rom. 12. 17. Deut. 32. 35. Gr. in Iulian. Aug. ep. 5. & 22. l. c. 76.

STINO

STINO ad Marcellinum & contra Faustum dicere præcepto illi geminam subiectam sententiam. Altera est, vt simus etiam animo parati ad tolerandas patienter iniurias: sic vt illud; *Si quis te percusserit*, &c. non significet alteram esse re ipsa præbendam, sed patienter esse ferendam, tum inflictam, tum animum quoque esse pacatum ad ferendam alteram, si quis secundo percuteret.

Sic enim satisfieri isti præcepto probat Augustinus exemplo Christi & Pauli. Nam Christus Ioannis 18. percussus in facie non violauit id præceptum, sed singulare documentum patientiæ dedit, *tametsi*, inquit ille, *non præbuit percutienti alteram partem, sed potius prohibuit, ne qui fecerat, iniuriam augeret, dicens: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis? Sed impleuit* tamen abunde id præceptum, quia, vt ait idem Augustinus, *paratus venerat non solum in faciem percuti, sed etiam pro his, pro quibus ista patiebatur crucifixus occidi. pro quibus ait, in cruce pendens Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciant.* Nec dubium Apostolum Paulum per similem præparationem animi idem seruasse præceptum, etiamsi Principem Sacerdotum, qui se percuti iusserat, increparit.

Ioan. 18. 25.

Act. 23. 3.

ALTERA sententia est, patienter iniurias tolerandas, ita vt non velimus eas priuata vlcisci auctoritate: bella autem iusta non priuata, sed publica auctoritate geruntur. Et hoc modo intelligitur, *Qui acceperit gladium*, nempe priuata auctoritate, *gladio peribit*. Publica autem auctoritate geruntur, tum ob bonum commune, tum etiam illorum, qui debellantur; *Agenda*, ait S. AVGVSTINVS dicto loco, *sunt multa cum inuitis benigna asperitate plectendis.*

Matth. 26. 53.

Aug. ep. 5.

plectendis. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur. Quoniam nihil infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.

NEC mirum Saluatorem nostrum rationem illam iniuisse in noua lege sua mitissima, vt omne bellum, omnémq; contentionem dissuaderet, sed vbique laudaret commendarétque pacem, mansuetudinem & patientiam, quia omnes conabatur verbo & exemplo ad vitæ perfectionem adducere. Similiter eius fidi discipuli S. Paulus, S. Petrus. idcirco potius nos ad patiendum, quam ad defendendum hortantur. Si autem aliter Christiana religio sarta tectáque teneri non possit, non vetuit, vt licite aliquando iniuria illata propelleretur iustis de causis, vt prolixe explicat S. AVGVSTINVS loco cit. contra Faustum à cap. 76.

CAPVT III.

Quæ conditiones honestam & licitam militiam reddat.

MILITIAM autem honestam & licitam reddunt tres fere cõditiones secundum Patres & scholæ Doctores. Prima est, auctoritas indicentis. 2. causa iusta. 3. intentio recta.

PRIMA igitur AVCTORITAS indicentis Bellum, est DEVS, Imperator, Rex, Respublica libera, vel alia Respubl. perfecta, hoc est, quæ in Iurisdictione sua per se finit lites, vt sunt quidam Ducatus in Italia, & Respubl. Veneta. Non autem Principatus in Germania, siquidẽ ita recognoscũt Imperium, vt habeant recursum ad vnum cõmune tribunal Imperiale. Ita S. AVGVST. contra Castro lib. 2. de iusta hær. pun. c. 14. Aug. l. 22. c. 75.

Faustum tradit: *Interest*, inquit, *quibus causis, quibusq; authoribus homines gerenda bella suscipiant: ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli authoritas atq; consilium, penes principem sit, exequēdi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci, salutiq; communi. Bellum autem quod gerendum DEO auctore suscipitur, rectè suscipi dubitari fas non est, vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad subiugandam mortalium superbiam, quādo ne illud quidem humana cupiditate geritur, non solum incorruptibili DEO, sed nec sanctis eius obesse aliquid potest: quibus potius ad exercendam patientiam, & ad humiliandam animam ferendamq; paternam disciplinam etiam prodesse inuenitur. Neque enim habet quisquam in eos vllam potestatē, nisi cui fuit data desuper.* Rom. 13. 2. *Nō enim est potestas, nisi à Deo, siue iubēte, siue sinente.*

II. CONDITIO est, vt detur causa iusta, ob quam bello iusto vindicari debeat facta iniuria. Bellum enim cum multa incommoda hominibus afferat, non est ab vllo Magistratu suscipiendum, nisi sit necessarium ad iniuriæ compensationem: Aug. epist. 207. *Pacem habere*, dicit S. AVGVST. ad Bonifacium, *debet voluntas, bellum necessitas, vt liberet DEVS necessitate, & conseruet in pace.* Itaque causa belli non minor debet esse, quam damna à bello afferri solita iuxta illud Deuteronomij, *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Possumus autem in specie ex ipsa Sacra Scriptura aliquot genera iniuriarum colligere, ob quas licuerit inferre bellum. Deut. 25. 2.

1. Iniuria sit, quando negatur, quod iure debitum est, sicut Amorrhæi filiis Israël, in Numeris, negarunt transitum. de quo S. AVGVST. *Notandum*, inquit, *est, quemadmodum iusta bella geramur. Inno* Num. 21. 23. Aug. q. 43. in Num.

Innoxius enim transitus negabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat. Vnde & CÆSAR apud Lucanum ait:

Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat.

Romani ciues enim tuto vrbis aditu tunc eum prohibebant.

2. Sit, quando propriè res ab hoste iniquè detinentur, sicut filius Saulis Isboseth, Dauidis detinuit regnum, vt est in 2. Regum. 2.Reg.

3. Quando hostis iniquè Rempub. inuasit. Sic enim filij Israhel sæpe bella gesserunt cõtra Philistæos, & Machabæi in Antiochum & Demetrium.

4. Quando alij hostibus suppetias tulerunt. Sic enim Dauid pugnauit contra Siriam Damasci, eo quod tulerit opem Adarezer regi Soba, vt est in 2. Regum. 2.Reg 8.

5. Quando publica cõtumelia facta est Principi, sicut facta est à rege Hammonitarum nunciis Dauidis, quibus barbam & vestes præscidit. vt est in eodem 2.Reg. 2.Reg. 10.

6. Quando rebellionis auctores fuerint. Dauid enim pugnauit contra Soba, quia populum solicitauit, vt ab ipso ad se deficeret. Inde enim probamus etiam iustum esse contra rebelles hæreticos pertinaces bellum mouere, vt S. GREGORIVS suasit GENNADIO Imperatori. 2.Reg. 20. G. li. 1. ep. 72.

7. Quando sunt qui improbos tueantur, quo minus iustas dent pœnas. Sic 11. tribus Israel iustè pugnarunt contra tribum Benjamin, quia tradere noluerunt auctores cædis vxoris Leuitæ. Vnde S. AVGVSTIN. q. 10. in Iosue definit esse iustum bellum *aduersus vrbem, quæ vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum est.* Iud. 20.

8. Quando violatum est fœdus. Sic Ioram iuuante Iosaphat iusto rege Iuda pugnauit contra Regem Moab, quia nolebat reddere tributũ agnorum & arietum, quod antiquo fœdere pendere debebat, vt est in 4. Regum.

4. Reg 3.

QVOD si principi autem constet se iustam habere causam belli indicendi, non debet statim indicere, sed prius ab aduersaria parte petere condignam satisfactionem, & eam si offeratur acceptare. Quod si eam non acceperit, tum poterit bellum indicere. *Si quando enim*, inquit DEVS in Deuteronomio, *accesseris ad oppugnãdam ciuitatem, offeres ei primum pacem: si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra tẽ bellum, oppugnabis eam.*

Deut. 20. 10.

III. CONDITIO est recta intentio, vt scilicet bellum suscipiatur studio boni communis & pacis, & non ob alios sinistros fines, quos loco citato enumerat S. AVGVSTINVS: *Quid enim*, inquit, *culpatur in bello, an quia moriuntur, quandóque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur, quod plerúnque ita culpantur, vt etiam iure puniantur.*

A. l. 22. ca. 74.

Quod autem belli intentio sit pax, idẽ tradit AVGVSTIN. alibi: *Non*, inquit, *pax quæritur, vt bellum excitetur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, vt eos quos expugnas ad pacis vtilitatem bellando perducas.* Et li. 19. de ciuitate Dei: *Sicut*, ait, *nemo est, qui gaudere nolit, ita*

A. ep. 207.

Id. c. 12.

nemo

nemo est, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella volunt, nihil aliud, quam vincere volunt: ad gloriosam ergo pacẽ bellando cupium peruenire. Pacis igitur intentione geruntur & bella: ab his etiam, qui virtutem bellicam student exercere imperando atque pugnando. Vnde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis enim homo belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando. Nec aliter sensit Aristote- Ac. 15.
les, nam in 7. Politicorum: *Finis*, ait, *est enim, vt sæpe iam diximus, belli pax, negotij otium.*

CAPVT IV.

De proprietatibus boni Militis.

PRIMA Proprietas est, Militi non incumbere obligationem examinandi & cognoscendi iustitiam belli, sicut ipsi Principi, eiusque consiliariis. Si enim miles sit subditus Principis, atque etiam stipendiarius, etiamsi speculatiuè dubitet, non practicè, bellum sit iustum à Domino suo in dictum, non tenetur statim ab armis discedere. Ita n. scribit S. AVGVSTIN. contra Faustum: *Vir iu-* A. l. 22. ca.
stus, si forte sub rege etiam homine sacrilego militet, re- 75.
ctè potest illo iubente bellare ciuicæ pacis ordinem seruans: cui quod iubetur, vel non esse contra DEI præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est, ita vt fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendit ordo seruiendi. Si autem miles non sit alias Principi subiectus, non potest licitè nomen suum militiæ dare, si dubitat de iustitia belli; quandoquidem nulla necessitas ei incumbit in ea re obtemperandi.

II. PROPRIETAS, Miles circa annum XVII.

Gell. c.18. Veg.c.4. primum asscribebatur militiæ, teste GELLIO lib. 10. & VEGETIO libro primo de re militari. *Et quidem*, inquit hic, *si antiqua consuetudo seruanda est, incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat. Non enim tantum celerius, sed etiam perfectius imbibuntur, quæ discuntur à pueris.* Quod autem ætate illa aliquis militare renuerit, id factum est, partim odio militiæ, cuius exemplum habemus apud VALERIVM Maxim. de Seueritate, C. Vettiem qui sibi digitos amputauit, ne militaret; partim autem odio idololatriæ: quanto enim cum periculo impietatis Christiani militarint in castris gentilium, docet TERTVL. lib. de corona militis. Vnde legimus in Martyrologio Romano Marcellinum iuuenem ad mortem iussu Licinij tyranni cæsum, quod nollet militare.

Val.lib.1. c.3.

M. 2. Ian.

III. PROPRIETAS, Miles, simul vt in militiam cooptatus est, tradat se exercitationi corporis ad omne genus armorum, *vnde & exercitus nomen accepit*, inquit VEGETIVS. *Neque enim longitudo ætatis*, inquit idem, *aut annorũ numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitationis meditatio. Syluam cædere, portare onera, transilire fossas, natare in mari, siue fluminibus, gradu pleno ambulare, vel currere etiam armatos cum sarcinis suis, frequentissimè conuenit, vt quotidiani laboris vsus in pace, difficilis non videatur in bello, cum antiqua sit, prudensq; sententia, omnes artes in meditatione consistere.* Immò PLVTARCHVS in libro de liberis educandis vult illud exercitium à pueris inchoari: *Militaribus*, ait, *certaminibus pueros exercere conueniet, vt in iaciendis hastis, tractandis arcubus, venationibusq; magnopere contendant. Victores enim eorum, quos bello deuicerint bona*

Veg.lib.1. c.23.

bona sibiipsis præmia esse proponunt. Bellum educatam in vmbra corporis habitudinem repudiat. Macilentus autem miles, bellicis assuetus certaminibus pugiles & structas prælio propulsat acies.

IV. PROPRIETAS, Militis est in omnibus etiam asperrimis sequi ductum & nutum sui Imperatoris & Ducis: *Miles*, inquit S. AMBROSIVS in Psalmum 118. *qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluptaria captat compendia, ne recedat à signis, sed itinerarium ab Imperatore accipit, & custodit illud, præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectáque via conficit iter, vt inueniat commeantium parata sibi subsidia. Si alio ambulauerit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non inuenit, quia Imperator iubet ijs hæc præparari omnia quæ sequuntur, nec dextera nec sinistra à præscripto declinant itinere: meritóque non deficit, qui Imperatorem sequitur suum. Moderatè enim ambulat, quia Imperator non quod sibi vtile, sed quod omnibus possibile considerat: ideò & statiuas ordinat, triduo ambulat exercitus, quarto requiescit die. Eliguntur ciuitates, in quibus triduum, quatriduum, & plures interponantur dies. Si aquis abundant, commercijs frequentantur, & ita sine labore conficitur iter, donec ad eam vrbem perueniatur, quæ quasi regalis eligitur, in qua fessis exercitibus requies ministretur.* Amb. ser. 5.

Hæc ille. Et in primum Psalmum Dauidicum breuius: *Cum oculi Domini*, ait, *semper super fideles terræ sint, tanquam sub conspectu Imperatoris locati, & velut in ministerio quodam positi, stare debemus. Miles in procinctu stat, non sedet. Miles in armis non se reflectit, sed excitat atque erigit.* Et CLEMENS Alexandrin.

xandrin. in 7. Stromatum : *Militi ordo*, inquit, *non est deserendus in bello, quem dedit Imperator.*

V. PROPRIETAS est, Ne se negotiis seculatibus misceat, vt mercaturæ, & aliis lucrosis officiis. Hanc notauit Apostolus cum in epistola al-
2. Tim. 2. tera ad Timotheum Episcopum comparat militi:
3. *Labora sicut bonus*, inquit, *miles Christi Iesu. Nemo militans implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat cui se probauit.* In quæ verba B. THEODORETVS: *fer forti animo*, inquit, *labores militiæ, milites enim non negotiationum, sed militaris tantum disciplinæ curam gerunt, vt placeant suis Ducibus, à quibus delecti sunt:* Et commentarius AMBROSIO adscriptus: *Manifestum est quod dicit, quia nemo potest duobus Dominis seruire: negotia enim secularia auaritiæ seruiant necesse est, & nisi mentiti fuerint, transfigi se non possunt. Non enim conuenit vnum duplicem pro-*
A. cap. 39. *fessionem habere.* Vnde verus Ambrosius libro primo de Officiis, in milite requirit virtutem, *qua pecuniam negligat, auaritiam fugiet tanquam labem quãdam, quæ virtutem effœminet. Nihil enim*, inquit, *tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. Frequenter pulsis hostibus inclinata in fugam aduersariorum acie, dum exuuiis cæsorum capitur præliator, inter ipsos, quos strauit miserandus occubuit, & triumphis suis delectatæ legiones dum spoliis occupantur, hostem in se reuocarunt, qui fugerat.* Et paulo ante capite 37. *Si is qui Imperator militat à susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus, quanto magis qui fidei exercet militiam, ab omni vsu negotiationis abstinere debet?* Cer-
L. eos qui. L. milites. te lege IVSTINIANI Imperatoris, quæ est libro 12. Codicis, titulo, 35. *omnes negotiatores militia ar-*

tia arcentur. Et lege LEONIS titulo sequēti, *agrorum etiam cultui & custodiæ animalium milites.* Eadem de causa olim ad Matrimonium ineundum miles admissus non est, vt ad 14. Annalium TACITI tradit IVSTVS LIPSIVS.

VI. PROPRIETAS, vt præstet non tam fortitudine corporis, quam animi: *Non in viribus corporis*, ait AMBROSIVS, *& lacertis tantummodo fortitudinis gloria est, sed magis in virtute animi. Neque in inferenda, sed in depellenda iniuria lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Vnde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamēta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidisset Hebræum ab Ægyptio iniuriam accipientem, defendit, ita vt Ægyptium sterneret, atq; in arena absconderet. Salomon quoque ait: Eripe eum, qui ducitur ad mortem.* Et infra: *In duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primo, vt externa corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis, quam expetenda ducat. Secundo, vt ea quæ summa sunt, omnesq; res in quibus honestas, & illud πρέπον cernitur præclara animi intentione vsque ad effectum persequatur. Quid enim tam præclarum, quam vt ita animum tuum informes, vt neque diuitias, neque voluptates, neque honores in maximis constituas, neque in his studium omne conteras? Quod cum ita affectus animo fueris, necesse est vt illud honestum ac decorum præponendum putes, illique mentem ita intendas tuam, vt quicquid acciderit, quo frangi animi solent, aut patrimonij amissio, aut honoris imminutio, aut obtrectatio infidelium, quasi superior, non sentias. Deinde, vt te salutis ipsius pericula pro iustitia susceptа non moueant. Hæc vera fortitudo est.* Subiicit deinde idem AMBROSIVS inter

Am. lib. 1. off. ca. 36.

Exod. 2. 11.

Prou. 24. 11.

cætera exemplum fortissimi militis Eleazari: *Virtutem Ducis Machabæi de vno eius*, inquit, *milite*
1.Macha. 6.46. *considerate. Namq; Eleazarus cum super eminentem ceteris Elephantem lorica vestitum regia aduerteret, arbitratus quod in eo esset Rex, cursu concito in medium legionis se proripuit, & abiecto clypeo vtraque manu interficiebat bestiam, atque intrauit sub eam, & subiecto gladio interemit eam. Itaq; cadens bestia oppressit Eleazarum, atque ita mortuus est. Quanta igitur virtus animi? primo vt mortem non timeret, deinde vt circumfusus legionibus inimicorum in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferocior abiecto clypeo, vtraque manu vulnerata molem bestiæ subiret ac sustineret, post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu, cuius ruina inclusus magis quam oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamuis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes, inermem occupatum incursare non ausi post casum ruentis bestiæ sic trepidauerunt, vt impares se omnes vnius virtuti arbitrarentur. Denique rex Antiochus, qui cum centum viginti millibus hominum armatus, & cum triginta duobus elephantis, ita vt ad ortum solis per singulas bestias velut montes quidam armorum coruſco tanquam lampadibus ardentibus refulgeret, vnius territus fortitudine pacem rogaret. Itaque Eleazarus hæredem virtutis suæ parem reliquit.*

VII. PROPRIETAS, vt fidem semel non
Iosue 9. 8. solum suo duci, sed etiam hosti datam arctissimè seruet. Exemplũ habemus maximi militis IOSVE, qui cum Gabaonitis spopondisset se eos non deleturũ, & paulo post cognouisset se ab eis deceptum, fidem tamen datam infringere noluit: IESVS, inquit

inquit AMBROSIVS tertio de officiis, *pacem quam dederat, reuocandam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione, ne dum alienam perfidiam arguit, sua solueret. Ex quo discimus,* inquit HIERON. in Ezechielem, *etiam inter hostes seruandam fidem, & non considerandum cui, sed per quẽ iuraueris. Multo enim fidelior inuentus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, & deceptus est, te qui per occasionem diuinæ maiestati hosti tuo, imò iam amico es molitus insidias.* Inter Ethnicos autem pro fide etiam hostibus cum iactura fortunarum vitæque seruata eminet M. Attilius REGVLVS, de quo in primo libro de ciuitate sic scribit AVGVSTINVS: *M. Attilius Regulus Imperator populi Romani captiuus apud Carthaginenses fuit. Qui cum sibi mallent à Romanis suos reddi, quam eorum tenere captiuos, ad hoc impetrandum etiam istum præcipuè Regulum Legatis suis Romam miserunt, prius iuratione constrictum, si quod volebant minimè peregissent, rediturum esse Carthaginem. Perrexit ille, atque in Senatu contraria persuasit, quoniam non arbitrabatur vtile esse Rom. Reipub. mutare captiuos. Nec post hanc persuasionem à suis ad hostes redire compulsus est, sed quia iurauerat, id sponte repleuit. At illi eum horrendis cruciatibus necauerunt, inclusum quippe angusto ligno, vbi stare cogeretur, clauisq; acutissimis vndique confixo, vt se in nullam eius partem sine pœnis atrocissimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt. Merito certè laudant virtutem tam magna infelicitate maiorem.* Amb. c. 20. Hiero. l. 5. c. 17. Aug. c. 16. Cic. 1. off.

VIII. PROPRIETAS, vt fidem Catholicam Romanam sectetur, fiduciamq; omnem belli collocet in Deo: *sine fide enim impossibile est,* inquit Apostolus in epist. ad Hebræos, *placere Deo.* & in Heb. 11. 6.

eadem

Eb.33. eadem ait de quibuſdam bellatoribus, *per fidem deuicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum.* IESVS NAVE, inquit S. AMBROS. li. 1. A. cap. 30. 9. de off. *cum aduerſus Gabaonitas ſurgeret prælium, &* Ioſ. 10. 13. *vereretur, ne nox impediret victoriam, magnitudine mētis, & fidei clamauit; Stet Sol, & ſtetit, dum victoria conſummaretur.* Et lib. 1. de fide ad Gratianum Auguſtum: PETIS *à me fidei libellum ſancte Imperator profecturus ad prælium. Noſti enim fide magis Imperatoris, quam virtute militum quæri ſolere victoriam. Nam* Gen. 14. *& Abraham trecentos decem & octo duxit ad bellum, & ex innumeris trophæa hoſtibus reportauit, ſignóque Dominicæ crucis & nominis, quinq; Regū, victriciumq; turmarum ſubacto robore, & vltus eſt proximum, &* Ioſ. 6. 20. *filium meruit & triumphū. IESVS quoq; filius Naue hoſtes, quos totius exercitus manu valida ſuperare non poterat, ſeptem tubarum ſacerdotalium ſono vicit, vbi ducem militiæ cæleſtis agnouit. Ergo & tu vincere paras, qui Chriſtum adoras: vincere paras, qui fidem vindicas, cuius à me libellum petiſti.* FIDVCIAM autem omnem merito miles bonus collocare debet Prou. 3. 5. Eccl. 11. 22. in DEO. Ita enim conſulit rex Salomon: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Et Eccleſiaſt. Ier. 17. 7. *Confide in Deo, & mane in loco tuo.* & Ieremias: *Be-* Pſal. 117. 8. *nedictus vir qui confidit in Domino.* Et Rex DAVID: *Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine.* S. BASILIVS in oratione quadam: *Beatus qui omni ſpe rerum huius mundi orbauit ſeipſum, ac* B. de virt. & vitio. A. cap. 35. *in ſolo Deo omnem ſpem fixit: ſicut enim execrandus eſt ille homo, qui ſpem ſuam poſitam habet in homine,*

ita

ita omni laude dignus est, qui totus ex Deo pendet. DAVID, inquit AMBROS. primo de officiis: *nunquam nisi consulto Domino bellum adorsus est: ideo in omnibus victor præliis vsque ad summam senectam manu prõptus, bello aduersum Titanas suscepto, ferocibus bellator miscebatur agminibus, gloriæ cupidus, incuriosus salutis.*

IX. PROPRIETAS, vt persistat in fide sui Ducis & in prælio vsque ad mortem; & mortem sibi glorioſam reputet, si eo forte concidat: *Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Vnde Cæsar lib. 8. Comment. de bello Gallico ad cœlos vsque effert perseuerantiam militarem. Refert CLEMENS Alexandrin. ex Heraclito Marte cæsos, non ab hominibus, sed à Diis quoque honore magno affectos. PLATONEM autem in quinto de Republica scriptum reliquisse, qui in bellis post res præclare gestas occubuissent in aurei generis homines relatos. Idem ab aliis Græcis scriptum dicit, nempe Lacedæmoniis. Matth. 10. 12.

X. PROPRIETAS, vt nemini damnum inferat nocenti tempore belli. Nam Ioannes apud Lucam militibus his verbis respondit: *Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Cum enim monet, *ne concutiant aliquem*, prohibet iniuriam, quæ aperta vi infertur, vt cum rusticos cædunt, nisi pareant. Cum dicit, *ne calumniam faciant*, prohibet iniuriam fraude illatam, vt non mendaciter vocant aliquem proditorem, eóve nomine spoliant, ducunt ad Ducem, vel necant. Cum vero iubet esse *contentos stipendiis*, prohibet iniuriam illatam bonis eorundem, vt cũ ea furantur & rapiunt, vel extorquent à Luc. 3.

quibus

quibus non debent. VBI nota tria esse genera hominum, quibus miles incommodare non potest. Primum est eorum, qui non pertinent ad hostes, vt sunt ciues vel rustici amici apud quos hospitatur, vel quorum loca transit. Nec iustam causam habent spoliandi illos, si prætexant stipendia sibi non solui, quia rusticus non debet pœnam luere peccati Ducis vel Imperatoris non soluentis stipendia suis militibus. ALTERVM est, qui in IVRE can. cap. *Innouamus*, excipiuntur, vt Presbyteri, Monachi, conuersi, Peregrini, Mercatores, Rustici euntes vel redeuntes, vel in agricultura existentes, & animalia quibus arant & semina portãt ad agrum. Nomine autem Mercatorum videntur intelligi solum ij, qui transeunt, vel ad nundinas veniunt, non autem qui in ciuitate hostium habitant. TERTIVM est eorum, qui inidonei sunt ad bellum, vt sunt pueri, senes, mulieres: tales enim etsi capi & spoliari possint, quia sunt pars ciuitatis, necari tamen non possunt, nisi fortuito id fiat, vt cũ miles in medium hostium emittat bombardã: Deus enim iubebat tẽpore belli parci pueris, & mulieribus. Et AMBROSIVS grauiter, teste THEODORETO, arguit Theodos. Imperatorẽ, quod cum punire vellet Thessalonicenses obuios quosque necari iusserit. Quod si aliquando & paruuli necati sunt in veteri testamento, id DEI iussu, qui est omnium creaturarum Dominus, factum est. Plura vide in Politicis IVSTI LIPSII libro 5. de virtutibus tam militum, quàm Ducum & Imperatorum.

De treuga & pace. Et C. Lateran.

Deu. 20.

T. lib. 5. c. 17. & 18.

VIDE De Statu Nobilitatis, Regum & Principum.

DE

DE MONACHORVM STATV.

CAPVT I.

Quid intelligatur nomine Monachi.

MONACHI nomine cũ IOAN. CASSIANO collatione octaua intelligimus hominem religiosum, qui ad seruiendum Deo à mundo, consuetudineque mundana parentum, amicorum, aliorumque carorum se separauit; qui si in consortio aliorum eiusdem professionis viuat, dicitur cœnobita: si solus in montibus vel syluis, vt olim, extra hominum conspectum, dicitur Eremita vel Anachoreta. In hæc enim duo genera monachorum veteres Patres monachos distinxerunt, vt monuimus in titulo de Eremitis. S. HIERONYMVS vtrosque eodem nomine appellauit. Eremitas quidem in epistola ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ scriptam: *Interpretare*, inquit, *vocabulum monachi, hoc est, nomen tuum. quid facis in turba, qui solus es?* Cœnobitas verò ad Eustochium de custodia Virginitatis: *Tria*, ait, *sunt in Ægypto genera monachorum. Primum cœnobitæ, quos illi Sanses gentili lingua vocant, nos, in communi viuentes possumus appellare. Secundum Anachoritæ, qui soli habitant per deserta, & ab eo, quod procul ab hominibus recesserint, nuncupantur.* S. AVGVSTINVS verò scribens in verba Psalmi. 132. *Ecce quam bonum, & quam iucundum est fratres habitare in vnũ*, attribuit cœnobitis. *Ista verba Psalterij*, inquit, *iste dulcis sonus, ista suauis melodia,*

Cass. ca. 5.

H. ep. 1.

Id. ep. 22.

melodia, tam in cantico, quàm in intellectu etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt. Et paulo post: Ex voce huius Psalmi appellati sunt & monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis. Sed tamen dicere consueuerunt, quid sibi vult nomen Monachorum? Quanto melius dicimus nos: quid vult sibi nomen Circellionum? Et infra: Quare nos non appellemus monachos, cum dicit Psalmus: Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Móνος enim vnus dicitur: & non vnus quomodocunque: nam & in turba est vnus, sed vna cum multis dici potest, μόνος non potest, id est solus. μόνος enim vnus solus est. Qui ergo sic viuunt, vt vnum hominem faciant, vt sit illis verè, quomodo scriptum est, Vna anima & vnum cor, Act 4.32. multa corpora, sed non multæ animæ: multa corpora, sed non multa corda, rectè dicitur μόνος, id est, vnus solus. Merito illis displicet nomen monachorum, quia illi nollunt habitare in vnum cum fratribus, sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt.

A Monachi nomine monasterium, hoc est, locus in quo monachi simul degunt, & Cœnobium dicitur, defluxit. Vnde idem AVGVSTINVS ita scribit in Psal. 99. In illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri sancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus DEI inde viuunt. cum lectione illis res est, laborant manibus suis, inde se transigunt, non auarè aliquid petunt. Omnes se diligunt, A.cap.6. omnes inuicem se sustinent. Et libro 8. Confessionum: Inde, (ab eremitis) sermo eius deuolutus est ad monasteriorum greges, & mores suaueolentiæ tuæ, & vbera deserta eremi, quorum nos nihil sciebamus. Et erat Monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra

vrbis

vrbis mœnia sub Ambrosio nutritore, & non nouera-mus. & POSSIDIVS in vita eius: *Factus presby-ter monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum DEI seruis viuere cœpit secundum modum & regu-lam sub sanctis Apostolis constitutam: maximè vt nemo quicquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia.* Ita & alij sancti Patres nomen monasterij vsurparunt, quanquam apud CASSIANVM collatione XVIII. Piamon aliquod di-scrimen posuit inter cœnobium & monasterium: *Licet, inquit, à nonnullis soleant indifferenter monaste-ria pro cœnobijs appellari, tamen hoc interest, quod mo-nasterium est nomen diuersorij, nihil amplius quàm lo-cum, id est, habitaculum significans monachorum. Cœno-bium verò etiam professionis ipsius qualitatem, disciplinámque designat. Et monasterium potest etiam vnius mo-nachi habitatio nominari: cœnobium autem appellari non potest, nisi vbi plurimorum cohabitantium degit vna communio.* Verum nunc pro eodem sumuntur. Possid. c. 5. Cass. c. 9. & 10.

CAPVT II.

De dignitate Status Monastices.

PRÆSTANTIAM & nobilitatem huius status Monastices sumere possumus primo ex origine eius, quia inchoatus est ab Apostolis, & primis Christianis, quibus omnia erant communia, vt iam iam dixit POSSIDIVS in vita Augustini, & dixerunt ceteri Patres, vt EVSEB. fusè lib. 2. hist. Eccleſiasticæ, c. 16. Breuius HIERONYMVS in Catalogo in PHILONE. PHILO, inquit, *Iudæus, natione Alexandrinus, quia librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in* Act. 4. 32. Hier. tom. 1.

nostrorum laude versatus est, non solum eos ibi, sed in multis quoque prouincijs esse memorans, & habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, vt nihil cuiuspiam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & Psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ, quales & Lucas

Act. 4. 32. *refert primum Hierosolymæ fuisse credentes.* Idem ha-

Aug ser. 2. bet S. AVGVSTINVS de vita communi Cleri-

Cass. c. 5. corum. & Ioan. CASSIANVS collatione 8. *Cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis in Hierosolymis exstitit omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus Apostolorum ita describitur: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, &c. Talis erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobijs inuenire difficile est.* Similia

Chrys. ho. 11. habet S. CHRYSOSTOMVS, nam libro 3. contra vituperatores vitæ monasticæ non longè à fine, dicit ab Apostolis facta, quæ nunc à monachis fiunt, & in Acta ait monachos sic viuere, vt

Id. hom. 17. olim initio Ecclesiæ viuebant fideles omnes Hierosolymis, & ad populum Antiochen. agens de statu monastico: *Tanti est*, inquit, *Philosophia à Christo introducta.* Quod autem illa viuendi ratio non imposita fuerit omnibus Christianis simpliciter, sed iis tantum qui perfectius viuere volebant, patet ex

Act. 5. 1. quinto capite Actorum, vbi cum Ananias decipere voluisset Apostolos fraudans de pretio agri, audiuit à S. PETRO: *Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Quod autem voto ad

eam

eam perfectionem obligarint se Apostoli, docet AVGVSTINVS 17. de ciuitate DEI: *Hoc votum, inquit, potentissimi vouerant*, & consequenter Ananias, vt probauimus titulo de Vouentium statu. Aug. c. 4.

II. Inde quoque excellentia status Monastici intelligitur, quod eius essentia consistat in tribus virtutibus maximis, Paupertate videl. voluntaria, Castitate angelica & Obedientia prompta, vt indicauit B. AVGVST. lib. 1. de moribus Ecclesiæ: vbi in monasteriis viuentes reiectis mundi illecebris *in vitam castissimam, sanctissimámque congregari. 2. à nullo quidquam possideri proprium. 3. Patres nulla superbia consulere iis, quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.* Et omnes hoc tempore Theologi sentiunt hæc tria requiri ad perfectum religiosum. Illud quoque, vt voto simplici vel solemni confirment se ista seruaturos. Vota autem de illis fecisse Apostolos iam diximus. De dignitate autem trium illarum virtutum suis titulis, atque etiam de Voto egimus, tum in hoc volumine, tum in VIRIDARIO atque Panario, titulo de *Inobedientia*, & *Proprietate Religiosorum*, & *Votorum violatione*. Aug. c. 31.

III. S. Patres docent assumptione Status monastici, haud secus atque baptismo omnia peccata remitti, quod idem probant Scholæ Theolog. S. ATHANASIVS siquidem in vita B. Antonij refert eum ab angelis secundum visum audisse omnia peccata remissa, quando monasticen suscepit. S. HIERONYMVS de obitu Blesillæ dicit eam secundo quasi proposito baptismo se lauisse, cum semper monasterium cogitaret. Et B. BERNARDVS libro de præcepto & dispensatione ait, mo- Hier. ep. 25.

nasticæ disciplinæ instituta hanc meruisse prærogatiuam, vt secundum baptisma nuncupentur. Et sermone quodam in Cantica, laborem monasticum dicit esse genus martyrij. S. Anselmvs libro extremo similitudinum, exemplo Osberti monachi docet professione monastica omnia peccata remitti. S. Thomas quoque Aquinas in 2. parte summæ Theologicæ dicit in Vitis S. Patrum legi, religionem intrantes eandem gratiam consequi, quam baptismo elutos: cuius exemplum habes in vita Symeonis Abbatis in Surio.

B.serm.30.

Tho.22.q. vlt.art.3.

Sur.1.Iulij.

IV. Iidem S.Patres magnificè semper de eo locuti sunt & senserunt, Greg. Nazianz.in primo Apologetico: *Nihil mihi fortunatius eo homine*, inquit, *videbatur, qui clausis compressisque corporis sensibus, atque extra carnem mundúmque positus, in seque collectus, nec nisi summa necessitate impellente quicquam rerum humanarum attingens, atque & secum ipse & cum Deo colloquens, superiorem rebus in aspectum cadentibus vitam agit, diuináque species & imagines puras semper, nec vllis terrenis & errabundis formis permixtas in seipso circumfert, ac Dei rerúmque diuinarum purum omninò speculum est, indéque efficitur, lucique lucem, obscuriori videlicet clariorem adiungit, ac iam futuri æui bono fruitur, & cum angelis versatur, & licet adhuc in terris agens, terram deserit, atque à spiritu in cœlo collocatur.* Et oratione in laudem Basilij, vocat monachos selectiorem partem Ecclesiæ: *Ergo*, inquit, *aduersus eum* (Basilium) *concitatur Ecclesiæ pars selectior & sapientior: si modo sapiētiores ij habendi sunt, quam reliquum mortalium vulgus, qui seipsos à mundi congregatione segregarunt, ac vitam suam Deo consecrarunt. Nazaræos nostrates dico.* Et infra: *Eximia res est*

Virgini

Virginitas & cœlibatus, atque in angelorum naturæq; singularis ordine censeri. Vereor enim dicere Christi, qui cum propter nos procreatos procreandus esset, ex Virgine procreatur, virginitatem lege præscribens, vt hinc abducentem ac mundum contrahentem, vel potius mundum ad mundum transmittentem, præsentem nimirum ad futurum. Quis igitur vel virginitatem maiori honore prosecutus est, vel carnem legibus frenauit, idque non suo tantum exemplo, sed etiam studijs quibus incubuit? Cuius sunt virginum cœnobia, cuius præcepta illa litteris consignata, quibus omnes sensus coërcebat, &c. Deinde in laudem S. Athanasij: *Hinc,* inquit, *ille solum vertit, ac de exilio quàm præclarissimè statuit: Nam ad sacra illa & diuina Ægypti monasteria se confert, in quibus homines à mundi consortio distracti, ac solitudinem amplectentes Deo viuunt magis quam cæteri omnes, qui in corpore versantur. Quorum alij vitam prorsus solitariam, sui ipsorum tantum & Dei colloquio fruentes, atque hanc duntaxat partem pro mundo habentes, quam in solitudine cognoscunt. Alij autem charitatis legem in communicatione ac societate colunt, solitarij sunt ac promiscui & ceteris quidem hominibus, negotijsq; mortui quacunque in ciuili atque in medio posita vita voluuntur, versántque simul, & versantur, ac mutua comparatione virtutem acuunt & extimulant.*

S. Ambrosius ad Vercellensem Ecclesiam, agens de monachorum instituto: *Hæc, nempe, angelorum militia est, semper esse in Dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atque exorare Dominum student, lectionibus vel operibus continuis mentem occupant, separati à cœtu mulierum sibi inuicem tutam præbent custodiam. Qualis hæc vita, in qua nihil sit quod timeas & quod imiteris plurimum adest: ieiunij labor compensatur* Amb. ep. 82.

mentis placiditate, leuatur vsu, sustentatur otio, aut fallitur negotio, non oneratur mundi solicitudine, non occupatur alienis molestijs, non vrgetur vrbanis discursibus. S. EPHRÆM de perfectione Monachi: *Vita monachorum,* ait, *angelis similis, eorúmque institutum diuino ministerio plenum est. Continet enim vitam, quæ in præsenti Deo inseruit: & ante hanc fœnori dat, vt pro vsura vitam æternam accipiat. Mutuo dat terrena & recipit cœlestia. Soli monachi super terram diuini certaminis conditionem atque constitutionem norunt.* S. HIERON. ep. 17. ad Marcellam: *Certe flos quidam & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta,*
Aug. c. 31. *Monachorum & Virginum chorus est.* S. AVGVST. De moribus Ecclesiæ Catholicæ: *Si hoc excedit nostram tolerantiam* (imitari eremitas) ait, *quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque desertis huius mundi illecebris in communem vitam castissimam, sanctissimámque congregati, simul ætatem agunt viuentes orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & intentissimam in Deum gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quicquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & Deo mens impediri non possit.* Et infra: *Hæc est etiam vita fœminarum Deo solicitè, castéque seruientium, quæ habitaculis separatæ ac remotæ à viris quam longissime decet, pia tantum illis charitate iunguntur & imitatione virtutis, &c. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo, & versor ne iudicare videar per seipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem co-*

thurnum

thurnum etiam laudatoris addendum putauero. Hæc Manichæi reprehendite, si potestis. Nolite cæcis hominibus & discernere inualidis ostentare nostra zizania.

CAPVT III.

De virtutibus monastici Status.

QVONIAM verò omnis dignitas & excellentia monastici Status ab eximiis virtutibus sumitur, quæ in eo eminere solent, necesse est, vt de virtutibus Monachorum propriis hic disseramus. Prima autem virtus sit HVMILITAS, de qua CASSIANVS multa monachis præcepit, in institutionum duodecimo, & tandem concludit: *Euidenter itaque monstratur non posse quenquam perfectionis finem ac puritatis attingere, nisi per humilitatem veram, quam primitus fratribus reddens, Deo quoque in penetralibus cordis exhibeat, credens sine protectione eius, atque auxilio per singula sibi momenta delato perfectionem quam cupit, & ad quam magnopere currit, se penitus obtinere non posse.* Cass. c. 13. Et postea: *Nullo modo poterit in anima nostra virtutis structura consurgere, nisi prius iacta fuerint veræ humilitatis in nostro corde fundamenta, quæ firmissimè collocata perfectionis & charitatis culmen valeant sustinere, ita scil. vt quemadmodum diximus primum fratribus nostris humilitatem veram intimo cordis exhibeamus affectu, in nullo scil. acquiescentes eos contristare vel lædere.* Et S. AMBROS. loquens de clericis & monachis: *Dominus*, ait, *percontantibus discipulis, quis eorum in regno cœlorum maior esset futurus, statuto eorum omnibus puerulo: Quicunque humiliauerit se sicut puer iste, hic maior erit in regno cœlorum. Vnde intelligimus, quod humilitate peruenitur ad regnũ,* Max. ser. 10.

simplicitate peruenitur ad cœlum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicúnq; vult fratrem præuenire regnando, prius præueniat
Rom. 12. 10. *obsequendo, sicut ait Apostolus, Honore inuicem præuenientes. Vincat eum officij, vt possit vincere sanctitate.* Et
Matth. 18. 6. iterum: *Quid ait Euangelica lectio: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & mergatur in profundum maris. Pusillos hic non ætate pueros, sed malitia paruulos dicit, sicut Apostolus ait: Malitia paruuli*
1. Cor. 14. 29. *estote, vt sensibus perfecti sitis. Qui sunt isti, nisi clerici idonei & monachi religiosi, vel laici?* S. BENEDICTVS 12. humilitatis monasticæ gradus recenset, quo-
S. Tho. 22. q. 161. a. 6. rum apologiam suscipit S. Thomas. S. BERNARD. contra 12. gradus superbiæ monasticæ. De quibus in VIRIDARIO nostro, cap. 5.

II. Virtus sit PAVPERTAS voluntaria, qua quis voluntariè se omnibus spoliat facultatibus, & nihil proprium retinet; qua in virtute omnes institutores Ordinum religiosorum Regulam suam fundarunt. Regulæ enim S. AVGVSTINI hoc est initium: *Primum propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis anima vna & cor vnum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Plura vide in PANARIO tit. *Proprietas Religiosorum.* Et infra *de Paupertatis statu.*

III. Virtus est CASTITAS angelica, monachis communis cum sanctimonialibus. Vnde B. AMBROS. lib. 1. de Virginib. *Nemo miretur si angelis comparentur, quæ angelorũ Domino copulãtur.* Cyrillus Hierosolymitan. catechesi 12. *Non ignoremus castitatis gloriam, angelica enim est corona, & supra hominem*

hac

hæc perfectio. GREG. Nazianz. in carmine de Virginitate:

Salue Virginitas diuino tradita dono,
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars, & spiritibus sociata supernis,
Ignaris thalami.-----

S. ATHANASIVS lib. de Virginitate: *O virginitas opulentia indeficiens templum Dei, domicilium Spiritus sancti, gaudium Prophetarum, gloriatio Apostolorum, Angelorum vita, sanctorum corona.* AVGVST. lib. 1. de morib. Eccles. c. 31. *Iam accipite perfectorum Christianorum, quibus summa castitas, non laudanda solum, sed etiam capessenda visa est, mores & continentiam singularem.* Plura habes de comparatione virginum cum angelis quales maximè reperiuntur in monasteriis, apud HIERON. ep. 8. ad Demetriadem. Chry. hom. 18. in Gen. Basil. lib. de Virgin. Imò & Christus Matth. 22. angelis eos comparat, cum ait: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Hinc est, quod S. Patres omnium Monachorum & monialium proprium faciunt non nubere, de quo latius agemus tit. *de Virginitate.* Secundo docent monachos, vt sartam tectam costodiant Virginitatem suam nullo modo debere commorari cum mulierib. de quo copiosè egimus in PAN. tit. *de commoratione Clericorum vel Monachorum cum mulieribus.* Matth. v. 30.

IV. Virtus est OBEDIENTIA perfecta, à qua laudauit supra S. AVGVST. sui sæculi cœnobitas, *quod magna essent in obtemperando voluntate* erga suas superiores. Sed bis egimus de perfecta religiosorum obedientia, primo in PANARIO V. *Inobedientia.* Secundo in VIRIDARIO V. *Obedientia,* Aug. l. 1. de mor. c. 31.

vt neceſſe non ſit actum agere.

V. Virtus eſt CHARITAS, & ex illa nata ingens lætitia & concordia. Charitatem notauit B.
Aug. c. 32. AVGVST. lib. dicto de morib. Eccleſ. Catholicæ,
33. non ſolum in monachis, ſed in omnib. tam viris quam fœminis Roma vel Mediolani ſub vno præfecto ſeueriſſimam vitam agentibus; *Atque inter hæc*, inquit, *nemo vrgetur in aſpera quæ ferre non poteſt, nulli quod recuſato imponitur, nec ideo condemnatur à cæteris, quod in eis ſe imitandis fatetur inualidum. Meminerunt enim quanto opere Scripturis omnibus com-*
Tit. c. 15. *mendata ſit charitas. Meminerunt omnia munda mundis. Itaque non reiiciendis generibus ciborum quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis induſtria.* Et infr. *Charitas præcipue cuſtoditur, charitati victus, charitati ſermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur, coitur in vnam, conſpiraturq; charitatem, hanc violare tanquam Deum nefas ducitur. Huic ſi quis reſiſtit expurgatur atque vitatur. Hanc ſi quis offendit, vno die durare non ſinitur. Scimus hanc ita commendatam eſſe à Chriſto & Apoſtolis, vt ſi hæc vna abſit, mania. ſi hæc adſit, plena ſint omnia.* CONCORDIAM & ingentẽ lætitiam cœnobitarum notauit CHRYSOST. in 3. de Sacerdot. *Nihil horũ*, ait, *penitus in monaſteriis inuenies, ſoli enim in trãquillo portu, & ſecuritate ſumma reſidentes velut ex cœlo ipſo cæterorum naufragia proſpectant. Namq; conuerſationem planè cœleſtem elegerunt, nihilq; deterius angelis affecti ſunt. Vt enim illis nulla ineſt inæqualitas, nec aliꝰ ſucceſſib. rebuſque ſecundis elati gloriantur, aliꝰ extremis malis & incommodis oppreſſi gemunt, ſed omnes pariter in gaudio & quiete, ſummaque illa & cœleſti gloria exultant: ita fieri quoque perſpicias*

in

in monasteriis, nullius ibi paupertatem exprobat, nullius diuitiis honestior est. Inde id quod omnia perturbat & peruertit MEVM & TVVM penitus eliminatum est. Cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentu, & quod sane mirabilius est, vnus etiam idémque animus omnibus est. Omnes eadem sunt nobilitate nobiles, omnes eadem seruitute serui, eadem libertate liberi. Vna ibi voluptas, vna iucunditas, vnæ deliciæ, vnum desiderium, vna spes omnibus inest. Nulla ibi inæqualitas, cæterum orde summus, & moderatio, & conuenientia, & ineffabilis concordiæ seruandæ diligentia, iugísque ac perpetua lætitiæ materia. Quocirca omnes omnia & patiuntur & faciunt, vt vna lætentur & gaudeant.

VI. Virtus est PATIENTIA indissolubiliter semper cohærens cum charitate; *Charitas* enim, teste Apost. primum hoc habet, *vt sit patiens.* Hanc virtutem imprimis commendat CASSIAN. institut. Monasticar. libro 4. *Tria hæc*, inquit, *in congregatione necessario custodienda sunt tibi, vt scilicet secundum Psalmistæ sententiam: Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus, qui non operit os suum, tu quoque velut surdus, ac mutus & cæcus incedas, &c. Si inobedientem, si contumacem, si detrahentem audieris, vel secus quam tibi traditum est aliquid admittentem non offendaris, nec ad imitandum eum tali offendaris exemplo, sed vt surdus, qui hæc penitus nec audieris, vniuersa transmittas. Si tibi, vel cuiquam conuicia, si irrogantur iniuriæ, esto immobilis, & ad responsionem talionis vt mutus ausculta, semper hunc Psalmistæ versiculum in corde tuo decantans: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me: obmutui*

1. Cor. 13. 4.

Cass. c. 41.

Psalm. 47. 14.

Psal. 38. 2.

obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. Deinde
A.serm.16. Auctor in Augustino ad fratres in eremo: *Si habuerimus*, ait, *obedientiam & negligentia omnino carebimus, adhuc non sufficit, nisi & cum Isaac patientiam habeamus. Nam sicut per impatientiam omnia destruuntur bona, omniaq; suffocantur optima, sic & per patientiam omnia generantur bona, omnes iniquitates demerguntur in profundum. Qui verò fratres mei patiens non est, monachus non est.*

HANC Patientiam, vel potius charitatem maximè ostendunt in solandis & curandis monachis
Hier.epist. ægrotis, de quibus ita breuiter S. HIERON. in
22. epist. ad Eustoch. de custodia virginitatis: *Si infirmum viderint*, inquit, *consolantur, si in Dei amore feruentem, cohortantur ad studium. Si quis verò cæperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confouetur, vt nec delicias vrbium, nec*
H.ep.27. *matris quærat affectum.* Et ad eand. in Epitaph. Paulę matris: *Quid memorem clementiam* (PAVLÆ) *& sedulitatem in ægrotantes (moniales) quas miris obsequiis & ministeriis confouebat, cumq; aliis languentib. largè præberet omnia, & esum quoque exhiberet carnium: si quando ipsa ægrotasset, sibi non indulgebat.*

VII. STVDIVM assiduum precandi, & gra-
Luc.18.1. tias numini diuino reddēdi. Si enim omnes Chri-
2. Thes.5. sti Apostolique Domini voce monentur, vt sine
17. intermissione orationi vacent, quanto magis monachi & sanctimoniales, quib. orandi munus quasi
Hier. ep. ex officio incumbit? De his ita B. HIERON. epist.
22. citata: *Quanquam Apostolus orare nos semper iubeat, & sanctis etiam ipse sit somnus oratio, tamen diuisas orandi debemus horas habere, vt si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat.*

Horam

Horam tertiam, sextam, monam, diluculum quoque & vesperam nemo est qui nesciat. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa, nec recedatur à mensa, nisi referatur creatori gratia. Noctib. bis terq; surgendum, reuoluenda, quæ de Scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hospitio armet oratio: regrediẽtibus de platea oratio occurrat ante quam sessio, nec prius corpusculum requiescat, quam anima pascatur. Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem. Et S. CRYSOST. in ep. Chr. hom. 1. ad Timoth. *Inde*, inquit, *vbi resurrexere diuinis laudibus instant, hymnos Propheticos canunt magno suauitatis concentu, & canticis numerosis. Non fistulæ, non cithara, non vllum aliud instrumentum musicum tam dulces efficit modos, quàm sancti illi summa in solitudine & quiete psallentes. Ipsa quoque illorum cantica conuenientissima sunt, & amorem Dei, diuinarumq; rerum studium spirant. In noctib. inquit, manus vestras extollite ad* Psal. 133. 1. *Deum. Et rursus: De nocte vigilat spiritus meus ad te* Psalm. 11. *Deus, quia lux præcepta tua sunt in terra. Cantica item* 55. *Dauidica fontes mouentia lacrymarum. Cum enim psallit dicens: Laborabo in gemitu meo, lauabo per singulas* Psal. 6. 7. *noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum: Quia cinerem tanquam panem manducabam. Item: Quid est homo, quod memor es eius? Et illud: Dies nostri, sicut vmbra transeunt, &c. Vbi verò lux diei iam vicina est, pausant illi pusillum, & cum opera nos aggredimur, illi quietis sibi vendicant tempus. Iam verò vbi illuxit, alius in scenam abit, alius ad opus suum proficiscitur: illi cõtra matutinis precibus, hymnisq; peractis ad Sanctarum Scripturarum studia se conuertunt. Sunt & qui libros scribere didicerunt. Vnusquisque vero præstitum habens domicilium silentio perpetuo studet: sicq; nemine texente nugas, aut aliud aliquid*

loquente,

loquente, tertiam, sextam, nonam, vespertinámque consummat synaxin: quippe quatuor in partes diem secantes impletis partibus singulis psalmodiis atque laudibus honorant Deum, &c.

VIII. VIRTVS, Parcitas somni. De qua virtute loco citato ita loquitur idē CHRYSOST. *Omnes cum reuerentia discusso sopore, consurgunt à Præsule excitati suo, astantq; sacro instituto choro, protinúsque expansis manibus sanctos concinunt hymnos. Neque enim illi, vt excutiant somnum, vt nos plurimis horis indigent. Nullus illic famulum vocat, quisque enim sufficit sibi: nihil opus habet excutere somnum: simul enim atque oculos aperit diutius vigilasse videtur, quod illi sobrietatis ratione contingit: moxq; precum repetit vices, quia somnus præcessit honestus atque moderatus. Nemo stertentes audit hic, aut hiantes somno, nullus iactari quempiam per soporem videt, neque nudari, sed dormiunt honestius vigilantibus compositi. Isti profecto sunt sancti, atque inter homines angeli. Summus namque Dei timor non sinit hoc profundo sopore mergi, animúmque à suo vigore laxari. Huiusmodi quoque illorum sunt somnia, nō phantasias, aut portentosas imagines referunt. Sed vt dixi galli cantu continuo assistit, pulsatq; modice pede iacentem, sicq; omnes vna protinus excitat: neque vero nudos ibi dormire fas est.*

Basil. ep. 1. S. BASILIVS epistola ad Gregorium Theologum: *Somni leues sunto, eiúsque modi, qui excuti facile possint, ex naturæ vtique præscripto, ad victúsque rationem appositi: id vero interim accurandum studioq; assequendum est, vt commentandis rebus arduis ipsi pascantur somni. Nam altiore correptum esse sopore, sicq; veterno dissoluta hominis contemplatoris membra, vt interim pateat aditus visis absurdis obrepentibus, id certè*

instar

instar est quotidianæ mortis. Atqui quod alijs diluculum, id nox iis dimidiata est, qui se colẽdæ pietatis studio deuouerint. Tum enim præcipue otium animæ largitur nocturnum conticinium, cum neque oculi aspectus importunos, neque aures auditus obturbatores intro ad cor admittunt.

IX. Temperantia & Sobrietas, de qua iterum audiamus CHRYSOST. eodem loco: *At seculares*, ait, *quidem & die dormiunt, hi verò noctu quoque perui giles durant, vt reuera lucis filij. Et illi, vbi somno plus indulsere, grauati prodeunt, contra hi semper sobrij sunt sine cibo persistentes, & hymnis intendentes. Ad vesperam rursus inclinante die illi ad lauacra & requiem properant: hi vero à seipsis laborem spiritualis exercitij laxantes cibum sumunt, non famulorum excitantes gregem, non domum discurrentes, turbásque & tumultus commouentes, neque pretiosas dapes, & coquorum arte laboratas apponentes, sed alij panem tantum & sal: alij & oleum sumunt, plerique infirmiores olera atque legumina in cibum accipiunt. Inde vbi paulum sederint, tempus omne hymnis concludentes, singuli thoris requiescũt, ad quietem solum, non ad delicias factis.* Et infrà: *Sed & si contigerit morbus non ex gulæ prodit vitio, non ex vinolentia, sed ipsæ quoque morborum occasiones plenæ sunt laudibus, non criminibus vllis obnoxiæ. Aut enim ex vigilijs iugib. aut ex continuato ieiunio, aut ex aliquibus huiusmodi infirmitas nascitur: quocirca etiam facile liberantur, satis enim illis est, ad euadenda languoris incommoda, si vel modicè de pristino rigore relaxent.* Chr. hom. 14. in 1. Tim.

S. AVGVSTINVS libro de moribus Eccleſiæ sic de cœnobitis loquitur: *Corpus deinde reficitur, quantũ saluti & salubritati sat est, coercente vnoquoque conscien* Aug. c. 31.

conſcientiam, ne ſe profundat, vel in ea ipſa, quæ præſto ſunt parca & viliſſima. Ita non ſolum à carnibus & vino abſtinent pro ſufficientia domandarum libidinum, ſed ab iis etiam, quæ tanto concitatius ventris & gutturis prouocant appetitum, quanto quaſi mundiora nonnullis videntur. Quo nomine ſolet turpe deſiderium exquiſitorum ciborum, quod à carnibus alienum eſt, ridiculè, turpiterq; defendi. DEINDE loquens de viris & fœminis, quos viderat Romæ & Mediolani vitam communem agere: *Ieiunia*, ait, *etiam prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſquequaque vſitatiſſimum, ſed continuum triduum vel amplius ſæpiſſime ſine cibo ac potu ducere, atq; inter hæc nemo vrgetur in aſperæ, quæ ferre non poteſt, nulli quod recuſat imponitur.* Et infra: *Continẽt ſe ij qui poſſunt, qui tamen ſunt innumerabiles, & à carnibus, & à vino duas ob cauſas, vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter ſuam libertatem. Charitas præcipuè cuſtoditur.* Certè S. HIERONYMVS epiſtola ad Euſtochium aſſeuerat, pro luxuria reparatum, ſi monachus coctum aliquid comederet. CASSIANVS quoque ſic loquentem collatione 2. inducit Moyſen Abbatem: *Super hac re inter maiores noſtros frequenter nouimus habitum fuiſſe tractatum. Nam diſcutientes continentias diuerſorum, qui vel ſolis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam iugiter exigebant, propoſuere cunctis illis refectionem ſolius panis, cuius æquiſſimum modum in duobus panimariis ſtatuerunt, quos paruulos panes vix libræ vnius pondus habere certiſſimum eſt.*

c.33.

H.ep.22.

X. VIRTVS eſt SILENTIVM, de qua fusè egimus in PANARIO ad finem V. *Linguæ abuſus.*

XI. VIRTVS eſt OPVS manuum, de qua fusè in eodem

eodem PANARIO V. *Otium*, & *Pigritia*.

XII. HOSPITALITAS, de qua multa in VIRIDARIO V. *Hospitalitas*.

CAPVT IV.

De proprietatibus quibusdam Monastices.

PRIMA Proprietas est, quod ex virtutibus monasticis iam enumeratis tres præcipuæ, statum Monasticum efficiunt. Paupertas scilicet, Castitas, & Obedientia. Cuius rei duplex potest dari causa. Prior, nam cùm illi Statum monasticum, vel religiosum potissimum suscipere dicantur, qui seculo relicto totos se seruitio diuino dedunt; per tres illas virtutes propriè illud præstent. Opes siquidem huius seculi paupertate, corpus suum castitate, animum eiúsque facultates, virtute obedientiæ Deo & Superioribus tradunt. Posterior est, quia cum finis eius sit, non tam perfectum esse, quam ad perfectionem tendere, secundum consilium Christi: *Si vis perfectus esse, vende quæ habes*: harum trium virtutum beneficio remouentur omnia impedimenta perueniendi ad dictam vitæ perfectionem: *Quicquid enim est in mundo*, ait B. Io. in 1. sua epist. *aut est concupiscentia carnis*, quæ tollitur castitate, *aut concupiscentia oculorum*, quæ paupertate, aut *superbia vitæ*, quæ tollitur obedientia & subiectione. De paupertate agemus in titul. *Paupertatis voluntariæ Status*. De castitate in tit. *Status Virginitatis*. De obedientia verò in VIRIDARIO egimus titul. de *Obedientia*, ac etiam in PANARIO verbo *Inobedientia*. In quo autem cõsistat vitæ Christianæ perfectio, disputauimus suo loco in VIRIDARIO. Matth. 19. 21. 1. Ioan. 2. 16.

II. PROPRIETAS, Hæ virtutes ad Statum Monasticum pertinent non quatenus sub præceptum, sed consilium Euangelicum cadunt. Vt enim Status monasticus libere à quolibet suscipitur, ita liberè etiam tria consilia ab illis suscipiuntur. Vnde Apostolus in priore ad Corinthios dicit se Virginibus non præceptum dare, sed consilium, vt virginitatem seruent. Quo spectat quod S. AVGVSTINVS alicubi scripsit: *Aliud est consilium, aliud præceptum: Consilium datur vt virginitas conseruetur, vt à vino & carnibus abstineatur, vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur. Præceptum verò datur, vt iustitia custodiatur, vt omnis homo diuertat à malo, & faciat bonum.* Et iterum: *Consilium qui libenter audierit & fecerit, maiorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleuerit, nisi pœnitentia subuenerit, euadere pœnam non poterit.* Sic S. HIERONYMVS libro 1. aduersus Iouinianum: *Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est: vbi præceptum est, necessitas est seruientis. Sed maioris est mercedis*, inquit ad Eustochium, *quod non cogitur, & offertur.* Et S. AMBROS. ad Ecclesiam Vercellensem: *Non præcipitur quod supra legem est, sed magis dato suadetur consilio, & quod tutius est demonstratur.* Et libro de Viduis: *Consilium inuitat voluntarios: præceptum etiam astringit inuitos.*

1. Cor. 7. 25.
Aug. serm. 16. de tẽp.
Hier. epist. 22.
Ambr. ep. 82.

III. PROPRIETAS. Harum trium virtutum obseruatio à monachis debet voueri & promitti Deo & Superioribus. Ratio est, quia Status propriè acceptus requirit quandam immobilitatem, at Status monasticus non est immobilis, nisi voto quis se obliget ad tria illa seruanda, idque fit conuenienter & dicto Christi: *Nemo mittens manum ad aratrum,*

Luc. 9. 62.

aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Et exemplo primorum Christianorum, qui omnia bona sua, quæ habuerant in seculo, conflata in pecuniam, ad pedes Apostolorum deponebant antegresso voto. Quod inde liquet & à S. Patribus probatur, vt ostendemus in titul. *de Statu Vouentium*, quod S. Petrus Apostolus Ananiam eiúsque vxorem ob voti facti transgressionem repentina morte punierit. Et ita dicit S. THOMAS Aquinas in altera summæ Theologicæ parte. Dices, à quibusdam monachis præter has tres virtutes etiam voueri alias, vt stabilitatem loci, à Cistertiensibus & Carthusianis, & ieiunium Quadragesimale per totum annum, vt à Minimis. Respondeo hoc fieri ex proprio instituto & lege, vt autem tria ista voueantur, est commune omnium religiosorum, & ex Christi institutione. Act. 4. 35. Act. 5. 1. S. Tho. 22. q. 186. a. 6.

IV. PROPRIETAS, Hæc emissio Votorum, vt ad monasticum statum pertineat nunc necessario debet fieri in Religione à Summo Pontifice Romano approbata. Nam in Synodo Oecumenica Lateranensi Innocentius III. prohibuit, ne vllus nouus Ordo deinceps instituereturne sine Apostolicæ sedis approbatione, vt habemus in Decretalib. capit. fin. *de religiosis domibus*; quod decretum renouauit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, vt habetur cap. Vnico, *de Religiosis domibus*, in Sexto Decretalium. Dixi nunc necessario ita debere fieri. Nam olim S. Antonius, S. Basilius, S. Augustinus, S. Benedictus, cum nullum exstaret ius Ecclesiasticum in institutione suorum ordinũ vel religionum, nullam talem approbationem quæsierunt. Causam autem huic Pontificiæ constitutioni

videntur dedisse monachi dicti Vvaldenses, vel Pauperes de Lugduno, quorum Ordinem, vt multis superstitionibus & hæresibus mixtum, damnauit Lucius III. Alexandri III. successor, teste Abbate Vrspergense in Chronico anni M. CC. XIII. Vnde & factum est, vt ante Conc. Lateranense S. Frãciscus & S. Dominicus, ordines suos nouos approbari petierint à Sũmo Pontifice & impetrarint.

V. PROPRIETAS, Status Monastici varij sunt gradus. Nam licèt finis sit vnus monachorum omnium ad perfectionem tendere, *vinculum autem perfectionis*, teste Apostolo, *sit charitas*, variis tamen modis ad eum tendi potest. ABBAS Nesteros apud Cassianum collatione XIV. cum docuisset ad Theoretices perfectionem non posse peruenirì sine antegressa practice. *Hæc*, inquit, *practice erga multas professiones, studiáque diuiditur. Quidam enim summam intentionis suæ erga eremi secreta & cordis constituunt puritatem, vt in præteritis Heliam & Helisæum, nostrisque temporibus B. Antonium, aliósque eiusdem propositi sectatores familiarissimè Deo per silentium solitudinis cohæsisse cognoscimus. Quidam erga institutionem fratrum, & peruigilem cœnobiorum curam omnem studij sui solicitudinem dederunt, vt nuper Abbatem Ioannem, qui in vicinia ciuitatis, cui nomen est Thimius, grandi cœnobio præfuit, ac nonnullos eiusdem meriti viros Apostolicis etiam signis claruisse meminimus. Quosdam xenodochij & susceptionis pium delectat obsequium, per quod etiam in præteritis Abraham Patriarcham, & Lot Domino placuisse scimus, & nuper B. Macarium singularis mansuetudinis ac patientiæ virum, qui xenodochio ita apud Alexandriam præfuit, vt nulli eorum, qui solitudinis secreta sectati sunt, inferior sit*

Col. 3. 14.

C. c. 4.

creden

credendus. *Quidam eligentes ægrotantium curam, alij intercessionem, quæ pro miseris atque oppressis impenditur exequentes, aut doctrinæ instantes, aut eleemosynam pauperibus largientes, inter magnos ac summos viros pro affectu suo ac pietate viguerunt.* Fuisse autem aliquos qui ex his vitam sequerentur mixtam ex vtroque practico & contemplatiuo, docet etiam AVGVSTINVS, qui in duobus sermonibus de communi vita clericorum asseuerat se in suo Episcopatu instituisse religionem regularium Clericorum. Ex quibus secundum speciales regulas magis se arctauerunt, tum Mendicantes Augustiniani, qui nunc sunt, tum fratres Prædicatores. Vnde sequitur tres esse religionum monasticarum gradus; vt primus sit eorum, qui ad dilectionem Dei immediate ordinantur, ad quam directe pertinent contemplatiuæ vitæ professores, vt monachi S. Antonij, S. Basilij, S. Benedicti, S. Romualdi, S. Brunonis, secundum cuiúsque regulas & constitutiones. ALTER sit eorum, qui ad dilectionem proximi ordinantur, & vitæ actiuæ pia officia exercent, quorum alij ægros curando in Xenodochiis, alij mortuos sepeliendo, alij hospites excepiendo operam præstant, alij etiam Ecclesiam armis protegendo, vt faciunt equites Hierosolymitani, S. Iacobi, & S. Ioannis. De quibus vtrisque ait S. AVGVST. lib. 19. de ciuit. Dei; *Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis.* TERTIVS eorum est, qui circa dilectionem Dei & proximi simul occupantur. Vt sunt qui diuinæ non modo doctrinæ insistunt, sed etiam per eius prædicationem viam salutis alios docent, quales sunt Augustiniani, Dominicani & Franciscani. IN his autem Aug. c. 19.

tribus religionū generibus varias esse diuersitates iuxta varias formas & ritus viuēdi, docet EPIPHANIVS in fine Panarij contra hæreses, vbi ait quosdam ex instituto sui Ordinis abstinuisse à carnibus, alios ab ouis, alios etiam à piscib. alios etiam à pane. Iterum quosdam nudis pedibus ambulasse, alios saccum interius gestasse, alios humi cubasse, &c.

VI. PROPRIETAS, Hæc varietas Ordinum monasticorum fructuosa est Ecclesiæ, & semper fuit. Prima causa est, quia varia sunt hominum ingenia, propensiones & affectiones, vt ad hunc magis quam ad illum affecti sint. Alij enim ad strictioris asperioríque vitæ genus, alij ad laxius, solutiúsque afficiuntur, alij solitariam magis, quam communem & cœnobicam vitam complectuntur, alij ad cōtemplandum, alij ad externas actiones charitatis magis propendēt: multi magis Magdalenæ solitudinem, quam Marthæ solicitudinem amant. Videtur etiam diuinæ prouidentiæ amplius consentaneum, vt variis modis homines tum ad finem suum supernaturalem, salutem æternam consequendam alliciantur, cum ad finem temporalem. Cur enim tam varia opera & opificia instituit DEVS in Repub. nisi vt homo ab otio reuocetur, & non excuset se defuisse opificium vel officium, quod exercere possit ad finem temporalem obtinendum? ALTERA causa est, quia hæc varietas maximum addit Ecclesiæ ornamentum, nam vt supra annotauimus, GREG. Nazianzenus in S. Basilium vocat monachos *selectiorem partem Ecclesiæ.* & in Iulianum, *primitias gregis Domini, fidei coronas, & pretiosas margaritas.* S. Ambrosius, *angelorum militiam.* S. HIERON. ad Marcellam *florem quendam & pretiosissi-*

Gr orat. 1. in Iul.
Aug. epist. 82.
Hier. ep. 17.

pretiosissimum lapidem inter ornamenta Ecclesiastica.
TERTIA, quia maximum conciliarunt semper & adhuc conciliant emolumentum Ecclesiæ, tum precibus, tum concionibus. Nazianzenus in Iulianum non dubitat affirmare illorum lacrymas esse peccati diluuium & mundi expiamentum. EVSEBIVS libro primo demonstrationis Euangelicæ, ait eos Deo consecratos pro vniuerso hominum genere. S. BERNARDVS sermone quodam ait eos constitutos vt orent pro corpore Ecclesiæ. Tantum autem valet & valuit semper vitæ eorum exemplum, vt Chrysostomus ad populum non vereatur eos appellare Ecclesiæ luminaria. Quantum autem commodorum spiritualium variis seculis inuectum sit à monachis orbi Christiano fusè ostendit noster HIERONYMVS Platus lib. 2. de bono statu religionis.

Naz. orat. 1. Euseb. c. 3. Bern. ser. 63. par. Chr. hom. 56. Pl. c. 30.

VII. PROPRIETAS. Ordo monasticus, qui sequitur vitam contemplatiuam, perfectior est eo qui sequitur tantum actiuam, vt Ordo B. BENEDICTI, ordine Alexianorum, qui occupantur circa sepulturas. Nam Christus ipse apud B. LVCAM in exemplo Magdalenæ & Marthæ contemplatiuam vitam actiuæ prætulit, vt plerique omnes Patres exposuerunt, vt S. Augustin. serm. 26. & 27. de verbis Domini. Gregorius homilia 4. in Ezechielem, Cassianus collatione 1. c. 8. Bernardus serm. 41. in Cantica. Et ratio hoc euincit. Contemplatio enim Dei diuinarúmque rerum ortum habet ex dilectione Dei: Actio verò humana circa proximū ex dilectione proximi, at constat dilectionem Dei perfectiorem esse dilectione proximi. Deinde contemplatio non est aliud, quam quædam futuræ

Luc. 10. 41. S. Tho. 22. q. 182. 27.

vitæ prælibatio. Vita enim contemplatiua, quæ hic incipit, in futura vita perficitur. Vnde Christus S. Mariæ Magdalenæ dixit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. 10. 42. Hinc verò consequitur contemplatiuam ceteris paribus amplioris meriti esse actiua, cum præcipua meriti radix sit charitas, vt asserit D. GREGORIVS homilia 3. in Ezechielem.

VIII. PROPRIETAS, Inter duos ordines monasticos contemplatiuæ vitæ sectatores, vt anachoreticum & cœnobiticum, prior est perfectior quidem, posterior vero est tutior & magis consulendus. De priori liquet, quia eremitica vita, vt docuimus in titulo de eremitis, est tantum monachorum perfectorum, qui ante diu exercitati fuerint in cœnobitica, vt ibidem ostendimus. Deinde quia S. Patres, S. Greg. Nazianz. Ambros. Hieronym. & alij ita docent, & nominatim S. Augustin. lib. de morib. Ecclesiæ, cap. 31. De posteriori lege Basil. in Regulis fusius disputatis, & lib. Constitutionum Monasticarum, cap. 9. vbi multis rationibus hoc efficere conatur. Ex iis prima & præcipua est, quia si in solitudine existens peccet vel labatur, non habet subleuantem, & admonentem se. Facilius enim delinquitur, vbi reprehensor deest. Vnde B. BERNARDVS, *vbi non timetur reprehensor, securius accedit tentator.* 2. Est, quod in eremo exigua vel nulla est exercendarum multarum virtutum occasio, maximè humilitatis, charitatis, patientiæ, & obedientiæ. 3. Est quod anachoretæ maximos patiantur elationum spiritalium fluctus, vt facile se arbitrentur mortalium sanctissimos, vt notauit CASSIANVS, qui & refert collatione 19. magnum

B. q. 7. Bern. ep. 115. Cass. c. 6.

Abbatem

Abbatem Ioannem cum diu in eremo vixiſſet, tandem ad vitam cœnobiticam rediiſſe. Et collatione 2. cap. 15. ait Heronem quendam poſt annos 40. qui putabat ſe frui colloquio bonorum angelorum, ex conſilio mali angeli ſe in puteum præcipitaſſe, vt fieret martyr. Lege noſtrum HIERON. Platum lib. 1. cap. 39.

IX. PROPRIETAS, Ordo monaſticus, qui vtramque vitam ſequitur contemplatiuam & actiuam, vt eſt ordo Prædicatorum & Franciſcanorum, perfectior eſt ordinibus, qui ſolam contemplatiuam vel ſolam actiuam ſequuntur, vt docet S. Thom. Aquinas, in 2. parte ſummæ Theologicæ, & opuſculo 19. Primo, quia Chriſtus Saluator noſter hoc vtrumque vitæ genus tenuit ac ſecutus eſt, vtpote perfectiſſimum. Nocte enim in montib. orabat, vt ſolitarij: interdiu prædicationi, quæ ad contemplationem pertinet, curandiſque ægris vacabat. Deinde S. Patres vitam ex vtraque mixtam ſemper ſoli contemplationi prætulerũt, vt loco citato S. Baſilius, & GREG. Nazianzenus agẽs de ſolitariæ vitæ laudib. dicit ſe eam deſeruiſſe, quod iudicaret imperfectiſſimi animi eſſe priuatæ vtilitatis cum publicis commodis coniunctam habere rationem; Idem docet S. BERNARD. ad fratres de monte DEI. & Innocen. III. *c. niſi cum pridem, §. ne putes. De renunciatione.* Cur autem hoc aſſeuerarent, legitimam cauſam habuerunt, quia vita iſta ex vtraque mixta maiorem poſtulat charitatem, tum erga Deum, tum proximum. Vnde efficitur, inter mixtas, illam eſſe perfectiorem, quæ ex propria inſtitutione animarũ ſaluti vacat per plura miniſteria, prædicationem, adminiſtrationem

S. Th. 22. q. 188. & opuſc. c. 1.

sacramentorum, institutionem catecheseos, visitationem infirmorum & vinctorum, institutionem gratuitam iuuentutis in omni genere litterarum & pietatis, sodalitates, & alias priuatas publicasq; conuersationes propinquas & remotas ad iuuandam salutem animarum directas. Quod autē concionari, vel docere alios ignorantes sit opus vitæ contemplatiuæ, docet S. Greg. hom. 5. in Ezechielem, qui idem hom. 12. in Ezechielem ait nullum esse sacrificium Deo gratius zelo animarum. Nota quoque est Dionysii Areopagitæ in lib. cœlestis Hierarchiæ sententia: *Omnium diuinorum diuinissimum esse dare operam conuersioni animarum.* Chrysost. quoque contēdit in lib. 6. de sacerdotio, vitam Episcoporum ideo debere esse vita monachorum perfectiorem, ob functionem prædicationis illis commissam. Dices, Summum Pontificem, vt liquet ex constitutione Martini V. ex omnibus religionibus transitum concedere ad solum Carthusiensium ordinem: illum ergo videri perfectiorem ceteris. Respondeo cum Canonistis, c. sane. titulo de Regular. Syluestro & Angelo in Summa, id eum fecisse non ob perfectionem, sed austeritatem vitæ Carthusianæ, quam non facile migrantes isti quærunt.

Ant. 3. p. 1. 24. c. 17. Panorm. Ostien. Io. Andr. S. v. religio. 4.

CAPVT V.

De Ritibus & cæremoniis monasticis.

Primvs Ritus est, Habitvs Monachi, quem certum esse debere didicimus primo exemplo Eliæ & S. Ioannis Baptistæ, nam monachos eorum habitum imitari docet Chrys. in Matthæum, & hi duo

Chr. hom. 69.

duo à multis in typum monachorum constituuntur. DIONYSIVS deinde Areopagita in Ecclesiasticæ hierarchiæ libro dicit monachũ in professione sua veste detracta alia indui. TERTVLL. certè lib. de Velandis Virginibus meminit Sanctimoniales indui habitu Deo dicato. S. AMBROSIVS epistola 36. ait multos Senatores offensos, quod S. Paulinus monachus factus habitum mutasset. Et S. HIERON. ad Paulinum; *Tunicam*, inquit, *mutas cum anima*. Et ad Marcellam; *Tunicam fusciorem induta se repente Domino consecrauit*. Et ad Eustochium, dicit omnium cœnobitarum fuisse habitum, *tunicam sacceam & palliolum*. Hilarioni in vita eius addit, *cucullam*. S. AVGVST. ad Ediciam dicit fuscam vestem tunc insigne fuisse continentium profitentium. S. GREG. lib. 2. dialogorum meminit habitus monachi. Et lib. 3. c. 14. sanctimonialis. Io. CASSIANVS de institutis cœnobiorum totum primum librum consumit in explicando habitu monachorum.

Dion. c. 6.
Amb. li. 6. ep. 33.
H. ep. 13.
Id. ep. 15.
Id. ep 22.
Aug. epist. 199.
Gr. c. 1.

CAVSAM huius mutationis primam tradit Areopagita loco citato, vt videlicet indicent monachi cum veste vitam se mutasse. Vnde & olim omnes vtebantur habitu fusci coloris, vt & nunc Orientales vtuntur, ad significandum statum pœnitentiæ. ALTERAM tradit BASILIVS in quæstion. fuse disputatis, vt notam & signum suæ professionis gerant, quo à se mutuo distinguãtur. Nam & B. PAVLVS in priore ad Corinthios ea de causa vult in templo virum habitu distingui à muliere. Quæres cur vtantur fere omnes cucullis. Respondeo cum CASSIANO lib. 1. de Institutis cœnobiorum, vt sciant infantilem simplicitatem sibi imitandam iuxta illud; *Nisi efficiamini*, ait Christus, *sicut*

Basil. q. 12.
1. Cor. 11. 4.
Matt. 18. 4.

ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

QVÆRES, poſſint ne vti habitu vili & ſordido, ſicut olim multi eremitæ vſi fuere, & S. Franciſcus vſus fuit? Reſpondeo cum HIERON. ad Nepotianum; *Ornatus & ſordes*, ait, *pari modo fugienda ſunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet.* Et S. BERNARDVS alloquens monachos, *Super Miſſus eſt. Quid de ipſo habitu dicam?* ait, *in quo non iam calor, ſed color requiritur, magiſque cultui veſtium, quam virtutum inſiſtitur. Pudet dicere, vincuntur in ſuo ſtudio mulierculæ, quando à monachis pretium affectatur in veſtibus, non neceſſitas, nec ſaltem forma religionis retenta in habitu, ornari, non armari appetunt milites Chriſti,* &c. S. AVGVSTINVS lib. 2. de ſermone Domini in monte hac de re agens, monet in ſola vt veſte neminem iudicemus, ſed ex aliis operibus diſcamus, vtrum id faciat contemptu ſuperflui cultus, ſi induatur veſte vili, an ambitione aliqua & ſimulatione ſanctitatis; *Poteſt enim*, inquit, *ſub ouina pelle lupus latere, nec tamen debet ouis deponere pellem ſuam, quia ſub ea aliquando lupus deliteſcit.* Ego reſpondeo, monachorum & maxime ſolitariorum habitum ſi vilis ſit, non poſſe iure reprehendi, vt paret exemplo Eliæ, S. Ioannis Baptiſtæ, Pauli primi, Arſenij, Franciſci, & probat S. Thomas opuſculo 19. quia Patres Synodi Gangrenſis vilitatem in illis laudarunt, & 7. Syn. Generalis iubet puniri ridentes eos ob vilitatem. Dixi de ſolitariis: quia eos qui inter homines habitant, magis decet communis veſtitus, non nimis vilis, & ideo Concilium Aquiſgranenſe ſtatuit, vt Canonici Regulares in veſtitu teneant mediocritatem. Et MARTINVS V. in ſuis Conſtitutionibus

Hier. ep. 2.
Ber. ſerm. 2.
Aug. ſerm. 19.
S. Th. c. 8.
S. Gang. c. vlt.
7. Syn. cap. 17.
C. Aq. cap. 124.
Mar. c. 2.

nibus de Minoritis, quibus secundum Regulam congruit vilitas vestis, statuit, vt vestes eorum non sint nimis viles & grossæ, vt terrorem incutiant, vel risum aliis moueant.

II. RITVS est TONSVRA. Nam certum est monachos semper fuisse vsos certa capitis tonsura, exceptis eremitis. DIONYS. enim Areopagita in libro Ecclesiasticę hierarchiæ, dicit Monachum futurum primum tonderi, B. ANICETVS Papa in epistola ad Gallos iubet illis radi caput in modum sphæræ. Et S. AVGVSTINVS de opere monachorum, reprehendit quosdam crinitos qui tonderi nolebant. ATHANASIVS libro de Virginibus, & S. HIERON. epist. ad Sabinianum docens sanctimoniales etiam tonderi consuesse. PRIMA autem causa huius ritus est, teste D. DIONYSIO, vt nuditate capitis significent se vitam puram & apertam nulla specie mali fucatam agere debere. Altera, vt exprimant, auctore B. BEDA libro 5. historiæ Eccl. quodammodo imaginem spineæ coronæ Christi. Tertia, vt intelligant omnes superfluas curas, vt notat B. Isidorus libro 2. de Officiis, sibi amputandas. Quarta, ad significandam regiam coronam, quia seruire DEO regnare est. Quinta, in signum pœnitentiæ: olim enim pœnitentes non nisi tonsi in Ecclesiam recipiebantur. Fuisse olim tonsa non rasa capita monachorum, probat Rob. Bellarminus libro secundo, de Monachis cap. 11. Dion. c. 6. Aug. c. vlt. Hier. epist. 47. Bed. c. 22. Isid. c. 4.

III. RITVS est INGRESSVS in religionem monasticam, de quo Primo quæri potest, an fieri debeat ille antegressa diuturna deliberatione? Nam apud Matthæum legimus Petrum & Andream Matt. 4

Domi

Dominum simulátque vocati sunt secutos. Et apud
Matt.8.21. eundem Christus adolescenti volenti sequi Christum, ne permisit quidem, vt parentem prius sepeliret. Quod, inquit ibi S. CHRYSOST. fecit, non vt contemnendos parentes doceret, sed vt indicaret cœlestia negotia præferenda omnibus temporalibus. D. HIERON. epist. ad Paulinum; *Festina quæso te & hærenti in salo nauiculæ funem magis*
Hier. ep. 103. *præscinde: quam solue.* Et S. AVGVST. lib. 8. Con-
Aug. c. 5. fessionum laudat duos nobiles milites, qui lecta iuxta Treuiros S. Antonij vita statim se Dei seruitio consecrarant. & S. BERN. sermone in verba; Ecce nos reliquimus omnia; *Vocat*, inquit, *magni consily angelus, quid aliena consilia præstolaris?* Et epist. 108. arguit quendam qui annuas inducias ob studium literarum petierat. Deinde qui expectat, diuturna sua mora coniicit se in periculum inconstantiæ, ne fraude aut Satanæ aut prauorum hominum sententiam sanctissimam mutet, donum Dei abiiciat, & in se iram Dei prouocet. RESPON-
S. Th. c. 9. 22. q. vlt. a. vlt. DEO nihilominus cum S. Thoma Aquinate Opusculo 17. etiamsi bonum religiosæ vitæ per se tantum sit, quod non opus habeat deliberatione antegressa, vt argumenta allata probant, tamen opus habet aliquando, tum ex parte ipsius ingredientis religionem, tum ex parte ipsius religionis ingrediendæ. Primo quidem modo, si habeat impedimenta repugnantia religioni, vt si sit æger, si seruus, si coniugatus, si ære alieno obstrictus, si mancus. Vel si exercitia religionis non habet perspecta, vt continuum cilicium, silentium, solitudinem, ieiunia. Nam de his conferre debet prius cum aliquo viro pio & prudente, qui religionis illius

illius notitiam habeat. Vnde apud B. LVCAM Luc.14.28.
Christus monet, vt qui vult ædificare turrim, prius computet sumptus, qui necessarij sunt ad ædificandum turrim Christianæ perfectionis. Ex parte vero ipsius religionis inquirere debet, an religio, quam ingredi cogitat, regulas suas seruet, quibus à primis Fundatoribus instituta est. Signa autem veræ religionis sunt fere hæc. 1. si in ea seruetur votum paupertatis, hoc est, vt nemo pecuniam, vel alia propria habeat. 2. si obedientia erga superiores simplex seruetur & integra. 3. si exiguam habeat cum propinquis & amicis communicationem. 4. si nullæ sint contentiones & iurgia. 5. si absit ambitio, & honorum vel Prælaturarum affectatio. 6. si vigeat zelus animarum, nec labores defugiantur. 7. si Temperantia seruetur in cibo & potu, colloquia non detractoria, amor orationis. 8. si iustus numerus fratrum, minimum 20. 30. 12. In magnis enim cœnobiis, vt Ordo, ita regulæ melius seruantur.

SECVNDO quæri potest, an pueri admittendi sint ad religionem monasticam? Sed certum est posse admitti. Nam apud Matthæum Christus dixit; *Sinite paruulos venire ad me.* Et apud Lucam legimus Ioannem Baptistam puerum creuisse, cõfortatum fuisse & versatum in desertis. S. GREGORIVS libro 2. dialogorum scribit Romanos nobiles S. BENEDICTO filios suos nutriendos Deo dare cœpisse, eo quod, vt est in Threnis, *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Ratio huius rei manifesta videtur, quia, *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu*, nulla autem ætas puerili docilior est ad virtutẽ, firmiúsque

Matth.19. 14. Luc. 1. 80. Gr.c.3. Thren.3. 27.

in

inhærent quæ hac ætate discuntur; *Difficulter era-*
Hier.ep.7. *ditur*, ait S. HIERON. ad Lætam, *quod rudes animi perbiberunt*. Vnde ARIST. licet Ethnicus libro
Ar.c.1. de moribus secundo, existimat plurimum referre, quibus moribus ab ineunte ætate quis assueuerit, imo totum in eo consistere. B. ANSELMVS certe libro de Similitudinibus, eos qui à pueritia in monasteriis fuerunt comparat angelis, ceteros vero hominibus. Denique vt bene argumentetur D. THOMAS, videmus à prima pueritia pueros adhiberi opificiis & officiis mechanicis ex recepto seculatium hominum vsu & consuetudine, in quibus vitam omnem sunt traducturi, cur non ergo & diuino seruitio?

IV. RITVS est Religionis PROBATIO post ingressum, quæ à Patribus indulta est, vt legimus
c. ad apostolicam. de regula. in Decretalibus, tum in fauorem ingredientis, tum etiam ipsius religionis: vt ille illius difficultatis, & hæc ipsius mores posset interea experiri. Huius probationis specimen quoddam dedit Christus Dominus, cum Apostolos ad Apostolicum statum
Matt.10.9. admissos apud Matthæum probauit mittendo eos, sine baculo, sine sacculo & pera, ad paupertatem & obedientiam eorum probandam, iubendo quoque ne quem obuium salutarent, ad seruandum silentium. Alibi vero mandauit asinam alligatam
Matt.21.5. cum pullo adduci, nec aliud dici, quam Dominum his opus habere. Nec mirum est hanc probationem requiri à monastico statu, cum nullum in seculo opificium sit, quod non requirat annos certos probationis. Immo nec ad Ecclesiastica beneficia possidenda sine probatione canonici admittuntur.

QVOT autem anni requirantur ad probationem, non potest statui, nisi iuxta vniuscuiusque instituti rationem. Concilium Tridentinum sessione 25. statuit, vt minimum annus integer in probatione insumatur in religione. Quod ad veteres attinet, illi ad biennium vel triennium etiam probationis tempus extraxerunt. De biennio habes ex Gregorio. De triennio vero habetur distinct. 53. cap. finali. Idem Concil. Aurelianense 1. ca. 13. statuit de monialibus. & Iustinianus in constit. nouellis, const. de monasteriis & monachis. PACHOMIVS quoque Abbas triennium à suis exegit, teste PALLADIO. Opifices quoque duos, tres, quatuor annos requirunt ad discendum opificium, vt notum est.

C. Trid. c. 15.
19. q. 3. ca. monasteriis.
Greg. ep. 23. lib. 8.
Id. ep. 11. lib. 7.
Pallad. ca. 38.

PROBATIO autem illa consistit, Primo in obseruatione perfecta Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, in quibus tribus essentia veræ religionis sita est, deinde Regularum & constitutionum cuiusque ordinis, quæ sunt de ieiuniis, vigiliis, oratione, lecto. 2. in officiis humilitatis, vt mũdo se honoribus voluptatibusque mortuos vere demonstrent, omnesque prauos affectus exuãt. Vnde S. BASILIVS in regulis fusius disputatis vult à nouitio id præcipue exigendum, vt ad officia etiam sordida monasterij sit paratus. Et in Cõstitution. monasticis, ait, promptũ esse debere etiã ad oneraria iumenta insequenda, idque probat 3. argumentis. 1. quia quicquid fit in religione, cum propter Deum fiat, non est censendum paruum, sed magnum. 2. quia Apostoli paruerunt Domino iubenti vt adducerent pullum asinæ. 3. quia Christus ipse seruiuit discipulis, & vilia opera,

Basil. q. 10.
Id. c. 23.
Mar. 21. 6.
Ioan. 13. 5.

C.cap.7.& 31. vt lotionem pedum exercuit. CASSIANVS li.4. de institutis monasticis refert nouitios multis officiis humilitatis & charitatis probãdos. Idem habet Cl.gradu 4. B.Ioannes CLIMACVS gradu de obedientia, & Smaragdus in 58. regulam S. Benedicti. S. Bonauentura quoque de informatione Nouitiorum c. 10. S. DAMASCEN. vt est in eius vita apud Surium, licet magnus fuisset in seculo à Præfecto suo obsoleto habitu cum sportis missus est, vt eos duplo carius, quam valerent, venderet: & ob hymnum in cella cantatum ea ejectus, nec restitutus, nisi expurgatis omnium cellarum latrinis. Postremo cõsistit probatio in pœnis prompte excipiendis, quæ pro lapsibus commissis aliquando iniunguntur, vt B.q.1.15. de Damasceno iam audiuimus. Tales S. BASILIVS præscripsit in Constitut. monasticis, & in Regulis fusius disputatis, nempe vt garrulis silentium, somniculosis vigiliæ, vorantibus ieiunium, rixantibus, petitio veniæ, murmurantibus separatio ab aliis imponatur. C.ca.16. CASSIANVS lib.4. institutorum, commemorat si quis vas terreum fregisset, publica pœnitentia debuisse noxam diluere iacendo scilicet humi toto tempore orationis, si literas, sinè licentia exarasset, si manum alterius H.ep.27. attigisset, si obmurmurasset. S. HIERON. in Epitaphio S. Paulæ ait eam cum esset Præfecta monasterij garrulas & rixosas moniales solere multare, vt ad fores triclinij orarent, separatim cibum sumerent. Hæc de probatione sufficiant.

V. RITVS est Professio monastica, qua quis vere fit religiosus, ad quam, vt rata sit, tria requiruntur. 1. vt fiat post annum probationis comple-

C.Tr.cap. 15. tum, vt sanxit Concilium Tridẽtinum sessione 25. de

de Regularibus. 2. vt profitens compleuerit annum 16. ætatis, vt ibidem definitum. 3. vt fiat coram eo qui potest incorporare eum religioni, aut eius vicem gerente, vt habetur in Decretalibus, de Regularibus. Qui enim professionem edunt, non modo Deo, sed etiam Religioni se tradunt per Superiores. Potest autem ista professio fieri tribus modis, explicite, implicite & tacite, vt loquuntur Canonum Doctores. Explicite fit, cum quis Deo & religioni distincte vouet tria vota, Paupertatis, castitatis & obedientiæ. Implicite autem, si quis promittat obseruationem Regulæ, vt Franciscani: Vel victurum secundum Regulam, vt Benedictini. Regularis enim vita precipue consistit in obseruatione istorum trium. Vel si quis promittat Obedientiam secundum Regulam, vt Prædicatores & Carthusiani; nam sub Obedientiæ nomine omnia continentur. Tacite denique fit, si gestet post probationem expletam habitum Professo, non Nouitio conuenientem, vt in Decretalibus, cap. constitutionem. decretum est. c. sicut vobis. De regular. in 6.

VI. Ritvs est, Regula monastica, secundum quam quidam, vt dixi, professionem suam edunt. De qua primo hoc tenendum est, eam omnes eiusdem instituti monachos obligare ad sui obseruationem, quæcunque illi Nomenclatura tribuatur, siue Constitutionum, siue Statutorum, siue Ordinationum, siue Legum, quia hæc conditio omnium legum est, vt habeant vim obligandi. Quanquam religiosi peculiari quadam ratione ad præstandam suam regulam affici debeant, nihilque aliud sibi persuadere, quam diuinam in ea sibi declarari voluntatem. Theologorum scholæ enim

12 q.93.a. 3. Princeps S.Thomas scripsit legem omnem, si bona iustáque sit,quasi radium esse æternæ legis,quę
Rom.13. 2. est in Deo, conuenienter dicto Apostoli: *Omnis potestas* nempe, condentis legem, *à Deo est. Itáque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit.* Certe
Pallad. ca. 38. legimus S. Pachomium Anachoretam sui instituti regulam ab angelo, Sanctam vero Brigittam à Christo saluatore, vt est apud Surium in eorum vitis,diuinitus accepisse. Cum S. BENEDICTVS
G.2.dial.c. 37. ex hac vita ad meliorem migrauit, teste S. GREGORIO duobus sui Ordinis fratribus per visum apparuit via palliis strata & luminibus prefulgens, senéxque edicens: *Hæc est via, qua dilectus Domini Benedictus ascendit in cœlum.* Quam viam B. BERNARDVS in declamatione ad verba:*Ecce reliquimus omnia,*exponit nihil aliud esse quam Regulam ab eo institutam, qua, vt ille conscendisset in cœlum, sic eum deinceps imitatores sui sequerentur. S. BONAVENTVRA author est & S. Franciscum à Deo diuinitus ad conscribendam regulam animatum, & verisimile est S. Basilium, Augustinum, alióque vitæ religiosæ conditores in scribendis constitutionibus quoddam diuinũ auxilium singulare, vt Petrus Ribadineira quoque prodit de B.P.N.IGNATIO, fuisse expertos.Plu-
B. in eius vita.
Pl.cap.25. ra de hac re lege apud Hieronymum Platum de bono Status religiosi lib.1.

SECVNDO de hoc Ritu tenendum est, regulam non semper obligare ad culpam, hoc est, præuaricatores facere noxæ lethalis, vel venialis reos; quod fit quando ipsi regulæ conditores, vel Ordinis monastici Fundatores noluerunt eã obligare, vt dicitur fecisse S.DOMINICVS teste S. Thoma

Thoma in secunda Theologicæ parte. quod Martinus Nauarrus in manuali suo commendat. & B. P. Ignatius fecit in Cõstitutionibus Societatis IESV. POTEST tamen regularum præuaricator tribus maxime de causis incidere in noxam lethalẽ. Prima causa est, si in regula monastica aliquid contineatur, quod alioquin lege diuina, vel Ecclesiastica mandatum sit vel vetitum: tunc enim ille præuaricator delinquit non tam regulæ suæ præuaricatæ causa, quam legis diuinæ vel Ecclesiasticæ. II. Causa est, si Regula contineat materiam Voti, vt Castitatis, Paupertatis, vel Obedientiæ. Nam præuaricari votũ Deo factum in suo genere noxa lethalis est. III. est, si Regula contineat aliquid quod peculiariter, seu viua voce, per superiorem, vel per ipsam Regulam præcipiatur, vt si quid præcipiatur in ea in virtute Obedientiæ vel sub pœna excommunicationis maioris, vel alio modo, quem subditi intelligant obligare ad mortale. Th. 22. q. 186. a. 9. N. c. 23. n. 49. & 62.

CAPVT VI.

De Status Monastici fructibus.

STATVS Monastici fructus spirituales patefaciunt nobis diuinæ Scripturæ. Deinde S. PATRES. Nam Matthæi 19. Christus Dominus agens de perfectione Euangelica cum Apostolis, qui iam consilio Christi omnia reliquerãt, & monasticæs fundamenta iecerant, illis dixit: *AMEN dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes tribus Israhel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres,* Matth. 19. 28.

aut sorores, aut patres, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Quibus verbis imprimis promittitur Apostolis, & exemplo eorum omnia relinquentibus, (vti sunt illi qui monasticen profitentur,) honor iudicum super sedes duodecim; Non solis enim Apostolis hoc esse promissum docet S. AVGVSTINVS epist.89. *Qui,* inquit, *illius perfectionis de vendendis rebus suis cõsilium tam grande, tamq; præclarum non receperunt, & tamen à damnabilibus immunes criminibus esurientẽ Christum pauerunt, non sedebunt quidem cum Christo sublimiter iudicaturi, sed ad ipsius dexteram stabunt misericorditer iudicandi.* Ita & ORIGENES in c.8. Matthæi, & Cyrillus Alexandrinus in c.60. Isa. 2. vtrisque promittitur centuplum in futuro, id est, infinitis partibus plura; Numerus enim finitus pro infinito positus est, vt constat ex Luca, qui c.18. non centuplum, *sed multo plura* eos accepturum dixit. Et est id quod Christus paulo ante diuiti iuueni spopõdit *thesaurum in cœlo,* si omnes suas possessiones relinqueret. Tertium præmium addidit MARCVS, qui cap.10. ait eos *in hoc seculo accepturos centuplum, quoad domos, fratres, sorores, matres, filios & agros.* Omnia enim, vt primis Christianis, monachis, fiunt communia, pro vno fratre mille fratres, pro vno cœnobio, mille habent. Ita exponit Origenes, Auctor imperfecti, Theophylactus, Eutimius, & clarissime CASSIAN. collatione 24. Deinde S. Ioannes Apostolus monet vt charitatem veram obtineamus, tria mala esse in hoc mundo effugienda: *Omne quod est in mundo,* ait, *cõcupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ*

Aug. q.4.

Matth. 19. 21.

M.v.30.

Act.4.

C. cap.26.

1.Ioan. 2. 16.

quæ nō ex patre, sed ex mundo est. At illa tria mala effugit monastices professor, dum concupiscentiam carnis quasi radicitus excidit voto castitatis, oculorum voto paupertatis, superbiæ vitæ vero voto obedientię, qua voluntatem suam subiicit superioris voluntati. Vnde S. BASIL. in Regulis fusius disputatis contendit necessarium esse, qui pietatem colere velit, mundum relinquere, & separatam à secularibus vitam instituere, eamque in rem illud sapientis allegat: *Noli esse amicus homini iracūdo, neque habitaueris cū viro furioso, ne forte discas vias eius, & sumas laqueos animæ tuæ.* Et illud Isaiæ Prophetę, *Exite de medio eorum, & separamini ab eis.* Rationem etiam & causam addit: *quoniam fieri nequit, quin in seculo oculis, & auribus instigationes ad peccatum perpetuo admittamus, earúmque rerum pestilentes formæ, quas viderimus vel audierimus nobis inhæreant. Deinde animus, cum grandem numerum cernat eorum qui leges diuinas violant, non potest ipse peccata sua agnoscere, & de iis, vt oportet, pœnitere. Quin potius facta sui comparatione cum aliis deterioribus, nescio quo modo sibi de virtute blandiatur. Deniq; variis tumultibus & occupationibus quas secularis vita afferre solet, à Dei memoria adstractus, non solum hanc iacturam facit, quod non delectatur in Deo ita vt nulla spiritali dulcedine fruatur: sed etiam ita assuefit, vt iudicia eius penitus contemnat, quo nullum capitalius malum potest homini accidere.* Hucusque Basilius. S. BENAR. in sermone quodam de Circūcisione dictis conuenienter tres quasi gradus facit, quibus ad salutem, perfectionemque veniatur: Primum relinquendi seculi, secundum aggregandi se ad eiusdem instituti socios, tertium, subiiciendi se præpositis qui nos

B. cap. 6.

Prou. 22. 24.

Isa. 52. 11.

B. serm. 9. 3.

obedientiæ ductu regant, & dirigant, quos tres gradus ad tres virtutum, vt ipse appellat, dies retulit, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ. *Periculosum est*, inquit, *si forte velit inter seculi turbas agere pœnitentiam, vbi nimirum alij venenatis persuasionibus, alij vndique exemplis peioribus ad peccatum alliciant, alij adulationibus in vanam gloriam, alij detractionibus in impatientiam animum eius deijciant. Procedat iam necesse est prudentiæ radius, ostendat quantas & quam importunas, præsertim in hac generatione nequam opportunitatem & occasiones peccati afferat mundus & ingerat, quam debilis sit ad illas humanus animus, maxime qui in peccati consuetudine sit nutritus, in hac ergo die prudentiæ eligat de præsenti seculo nequam*
Psal. 25.5. *fugere, dicēs cum propheta: Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. Sed nondum sufficit hoc. Forte enim vult eligere solitudinem, non satis attendens propriam infirmitatem, & periculosam diaboli luctam. Itaque iam habet necessariam fortitudinis diem, vt nouerit custodiendam ad Dominum fortitudinem suam, & aciem multorum pariter pugnantium esse quærendam. Verum cum eligit in congregatione multorum, nunquid eliget esse magister, qui nondum discipulus fuit & docere, quod didicit nūquam? Illucescat ergo dies Temperantiæ, vt quærat quomodo temperari & refrenari possint incontinentes motus voluptatis, bestiales motus curiositatis, ceruicosi motus elationis suæ. Eligat abiectus esse in domo Dei sui, & subiectus esse magistro, sub quo frangatur eius voluntas, & obedientiæ frano concupiscentia reprimatur.* Ita S. Bernardus.

QVÆ cum ita sint, nunquam satis amari laudariq́ue potest Status monasticus, quę monachos ex tam scopulosa mundi nauigatione ereptos in placidiss

cidissimo portu collocat, quæ dæmonem triplici illorum telorum genere exarmat. Recte ergo alibi idem B. BERNARD. sermone in festum S. Andreæ Apostoli monasteria cõparauit stagnis: *Sunt*, ait, *& in stagno mundi pisces, qui in claustro DEO seruiunt in spiritu & virtute. Merito siquidem stagnis monasteria comparantur, vbi quodammodo incarcerati pisces euagandi non habent libertatem, quo videlicet parati sint semper ad epulas spirituales, dicentes singuli intra se. Quando veniet, qui nos deferat? Cunctis diebus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. Mundi sunt pisces qui squamas & pinnulas habent, sicut squamas ad patientiam, sic pinnulas ad hilaritatem arbitror non incongrue posse referri. Hilaritas quippe leuat & subleuat, vt saltus quosdam in altum dare videatur, quisquis exhilaratur.* B.serm.1. Eodem sensu ante Bernardum, B. PETRVS Damiani Cardinalis in epistola ad Desiderium Abbatem Cassinatẽ & Cardinalem monasteria vocat *viuaria animarum. Cum vos*, inquit, *omnipotens DEVS mundo subtraxit, ac sub monastica sibi disciplina seruare constituit, quid aliud fecisse cernitur, quam velut olim in cataclysmo de multis pereuntibus vos paucos elegit, ac in bituminatæ arcæ latibulum, vt viueretis, induxit? Claustrum quippe monasterij viuarium est animarum. Ibi quippe viuunt pisces, qui iuxta legis edicta pinnulas habent, atque vt in corpus Christi transferãtur Israhelitarum mensis delicias præbent. Pisces quippe qui squamarum pinnulas habent, dare saltus etiam super aquas solent. Quid ergo pinnatis piscibus, nisi electæ animæ figurãtur, quæ profecto in cœlestis Ecclesiæ corpus transeunt, quia modo virtutum pinnulis fultæ saltus dare per cœleste desiderium sitiant, vt superna per contemplationem appetant, quãuis* D. ep. 18. lib. 21. 2.

in semetipsus iterum ex mortali carne relabantur. Eodem elogio vtitur S. BASILIVS, qui licet scribat de laude solitariæ vitæ, eadem tamen encomia in cœnobitas conueniunt: *Cella*, inquit, *testis est, quãto diuini amoris igne cor ferueat, & vtrum perfectæ deuotionis instantia quis DEI faciem quærat: nouit quemadmodum mens hominis cœlestis gratiæ rore perfunditur & compunctionis, fletuum ac lacrymarũ inundantium imbribus irrigatur. Vel etsi ex carneis oculis lacrymæ non erumpant, ipsa tamen amaritudo cordis à lacrymarum fluctibus non elongatur, quia quod ex ramo interioris pœnitentiæ non tollitur, in ipsa humenti cordis virenti radice seruatur. Sufficit enim si mens sit flebilis, etiamsi iugiter flere non possit. Cella est instrumẽtum, quo pretiosi lapides poliuntur, & est ergastulum, vbi pretiosi lapides reponuntur, quatenus in structura templi cœlestis sine vllo cudentis mallei sonitu postmodum disponũtur. Cella dominicæ sepulturæ propemodum æmula, quæ peccato mortuos suscipis, & per afflatũ sancti Spiritus Deo reuiuiscere facis. Tu es ab huius vitæ turbida vexatione sepulcrum, & cœlestis vitæ pandis introitum. Te portum tranquillitatis inueniunt, qui naufragium mundani fluctus euadunt. Te potentis Medici conclaue decernunt, qui vulnerati in prælio hostiles manus effugiunt. Mox enim vt tui culminis vmbra perfecto corde succeditur, omnis sauciatæ animæ liuor, omnis certè interioris hominis plaga curatur.* Te *Ieremias* Thren. 3. 27. *aspexerat, cum dicebat: Bonum est præstolari cum silentio salutare DEI. Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, eleuabit enim se supra se. Habitator enim tunc eleuat se supra se, quia Deum esuriens anima à terrenarum se rerum obtutibus erigit, & in diuinæ cõtemplationis*

nis arce suspendit, à mundi se actionibus segregat, atque in alium contemplationis cœlestibus desiderijs pennas librat: cumq; illum qui est super omnia, conspicere satagit, semetipsum quoque homo mundanæ vallis deiectione transcēdit. O cella spiritale prorsus habitaculum. Tu facis, vt vagos Christi catenæ contineat, vt indisciplinati moribus à sua se prauitate compescant. Tu nostri homines ad perfectionis culmen euehere, atque ad consummatæ sanctitatis fastigium sublimare. Tu facis, vt homo sit integer atque rotundus, ac nulla seipso morum inæqualitate diuersus, &c. multa. QVI plura videre desiderat de eximiis fructibus vitæ religiosæ, legat nostrum HIERON. Platum copiosè differentem 40. capitibus de eius vtilitate in 1. lib. & 16. de iucunditate, lib. 3. de Bono Status Religiosi.

VIDE Abbatis Status. Eremitarum. Paupertatis voluntariæ. Virginitatis. Vouētium. Et in PANARIO. Mulierum commoratio cum monachis. Inobedientia. Iudicium Proprium. Proprietas Religiosorum. Voluntas propria. Violatio Votorum. Et in VIRIDARIO, V. Castitas. Obediētia. Perfectio Christiana. Profectus spiritualis.

DE MORIENTIVM STATV.

EXEMPLA.

PRIMVM est Christi Domini, qui in lecto crucis existens septem verba elocutus est notatu dignissima. PRIMVM est, quod retulit Lucas: *IESVS autē*, inquit, *dicebat. Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quod faciunt.* II. est quod Luc. 23. 34. Ib. c. 42.

quod idem refert. Bonus latro *dicebat ad Iesum: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi IESVS: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* III. est Ioannis 19. cap. *Cum vidisset ergo,* inquit, *IESVS matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* IV. est Matth. cap. 27. *Circa horam nonam clamauit IESVS voce magna dicens: Eli, Eli lamma sabactani, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* V. est Ioan. c. 19. *Sciens,* inquit, *IESVS, quia omnia cõsummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit, Sitio: Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius.* VI. est eiusdem: *Cum ergo accepisset IESVS acetum, dixit: Consummatum est.* VII. est Lucæ 23. *Et clamans voce magna IESVS ait, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit.* B. Ioannes ait. *Et inclinato capite tradidit spiritum.*

Ioan. 19. 26.

Matth. 27. 46.

Marc. 15. 34.

Ioan. 19. 28.

Ioan. 19. 30.

Luc. 23. 46.

ALTERVM est S. ANDREÆ primi Christi Apostoli, de cuius obitu presbyteri & Diaconi Ecclesiæ Achaiæ apud Metaphrasten in Lipomano tom. 1. & Surio tom. 6. Cum Ægeas Proconsul S. Andream Apostolum *crucis extollentem mysteria, sibiq; suam impietatem exprobrantem diutius ferre non posset, in crucem tolli, & Christi mortem imitari iussit. Adductus Andreas ad locum martyrij, cum crucem vidisset, longe exclamare cœpit: O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit.*

mit. Itaque cruci affixus est, in qua viuus biduum pendens, & Christi fidem prædicare nunquam intermittens, ad eum migrauit, cuius mortis similitudinem concupierat.

TERTIVM exemplum est B. IGNATII martyris, tertij post Petrum Apostolum Antiocheni Episcopi, cuius obitum describit S. HIERON. in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: *Dignum, inquit, videtur de epistola eius, quam ad Romanos scribit pauca ponere. De Syria vsque ad Romam pugno ad bestias, in mari, & in terra, nocte dieq; ligatum cum decem leopardis, hoc est, militibus qui me custodiunt: quibus & cum bene feceris, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his videntur desiderans, vt IESVM Christum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantũ vt Christo fruar. Cumq; iam damnatus esset ad bestias & ardore patiendi rugientes audiret leones, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Passus est anno vndecimo Traiani, reliquiæ corporis eius Antiochæ iacent extra portam Daphniticam in cœmiterio:* Hæc Hieronymus.

Est nunc epist. 15. inter excusas.

IV. Exemplum est D. CYPRIANI Episcopi & Martyris, de cuius excessu ita legimus in Actis Passionis eius, quæ habẽtur initio operum D. Cypriani

priani à Pamelio editorum. Galerius Maximus Proconsul Africæ ad Cyprianum iam captum dixit: *Diu sacrilega mente vixisti, & plurimos nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, & inimicum te Diis Romanis, & sacris legibus constituisti, nec te pij & sacratissimi Principes Valerianus & Gallienus Augusti, & Valerianus nobilissimus Cæsar ad sectam cerimoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideo cum sis nequissimorum criminum auctor & signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti, sanguine tuo sancietur disciplina. Ex his dictis decretum ex tabella recitauit. Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet. Cyprianus Episcopus dixit Deo gratias. Post hanc vero sententiam turba fratrum dicebat: Et nos cum ipso decollemur. Propter hoc tumultus fratrum exortus est, & multa turba eum prosecuta est. Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti perductus est, & ibi se lacerno birro expoliauit, & genu in terram flexit, & in orationem se Domino prostrauit. Et cum se dalmatica expoliasset, & diaconibus tradidisset in linea stetit, & cœpit spiculatorem sustinere. Cum venisset autem spiculator, iussit suis, vt eidem speculatori 25. aureos darent. Linteamina vero & manualia à fratribus ante eum mittebantur. Postea vero B. Cyprianus manu sua oculos sibi texit: qui cum lacinias manuales sibi ligare non potuisset, Iulianus presbyter & Iulianus subdiaconus ei ligauerunt. Et ita B. Cyprianus passus est, eiusque corpus propter gentilium curiositatem, in proximo positum est, cum cereis & scholaribus in areis Macrobij Candidi Procuratoris, quæ sunt in via Mappalensi iuxta piscinas, cum voto & triumpho magno.* Hæc ibi.

IDEM Cyprianus in libro de Mortalitate quendam

dam ægrè morientem ita obiurgat: *Quam præposterum est, quámque peruersum, vt cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando euocat nos, & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus. Obnitimur, & reluctamur, & peruicáciam more seruorum ad Dominicum conspectum, cum tristitia & mœrore perducimur, exeuntes isthinc. necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis, & volumus ab eo præmijs cœlestibus honorari ad quem venimus inuiti. Quid ergo oramus & petimus, vt adueniat regnum cœlorum, si captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & poscimus, vt acceleret dies regni, si maiora desideria & vota potiora sint isthic seruire diabolo, quam regnare cum Christo? Denique, vt manifestius diuinæ prouidentiæ indicia clarescerent, quod Dominus præscius futurorum consulat suis ad veram salutem, cum quidam de collegijs & consacerdotibus nostris tam infirmitate defessus, & de appropinquante morte solicitus commeatum sibi precaretur, astitit deprecanti, & iam pæne morienti iuuenis honore & maiestate venerabilis statu excelsus & clarus aspectu, & quem assistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre iam poterat de sæculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Increpantis vox & monentis est, qui de persecutione solicitis, de accersione securis non consentit ad præsens desiderium, sed consulit in futurum. Audiuit frater noster, & collega moriturus quod ceteris diceret: nam qui moriturus audiuit, ad hoc audiuit, vt diceret: audiuit non sibi ille, sed nobis. Nam quid discceret iam*

recessu-

receſſurus? Didicit, imo nobis remanentibus, vt dum ſacerdotem Dei, qui commeatum petebat increpitum eſſe comperimus, quid cunctis expediat, agnoſceremus. Hucuſque Cyprianus. Quo exemplo B. Cypriani etiam delectatum fuiſſe S. Auguſtinum, commemorat Poſſidius in eius vita.

P. cap. 27. V. Exemplum ſit B. AMBROSII Mediolanenſis Epiſcopi, de quo Paulinus in eius vita. *Cum plurimis diebus*, inquit Ambroſius, infirmitate *detineretur in lectulo Comes Stilico dixiſſe fertur, quod tanto viro recedente de corpore, interitus immineret Italiæ. Vnde conuocatis ad ſe nobilibus viris illius ciuitatis, quos diligi à ſancto ſacerdote cognouerat, partim interminatus eſt illis, partim blando ſermone perſuaſit, vt pergerent ad ſanctum Sacerdotem, ſuaderentque illi, vt ſibi viuendi peteret à Domino commeatum. Quod ille vbi ab illis audiuit, reſpondit: Non ita inter vos vixi, vt pudeat me viuere: nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* Et paulo poſt. *In eodem tamen loco, in quo iacebat (ſicut referente S. Baſiano Epiſcopo Laudenſis Eccleſiæ, qui ab eodem audierat, didicimus) cum oraret vna cum ſupradicto ſacerdote, viderat Dominum IESVM aduenisse ad ſe, & arridentem ſibi. Nec multos poſt dies ablatus eſt. Sed & eodē tempore, quo migrauit ad Dominū, ab hora circiter vndecima diei, vſq; ad illam horam, qua emiſit ſpiritum, expanſis manibus in modum crucis orauit, nos vero labia illius moueri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem Sacerdos Eccleſiæ Vercellenſis, cum in ſuperiori domo ſe ad quietem compoſuiſſet, tertio vocantis ſe vocem audiuit, dicentiſque ſibi: Surge, feſtina quia modo es receſſurus. Qui deſcendēs obtulit ſancto Domini*

corpus

corpus. Quod vbi accepit, emisit spiritum bonum viaticum ferens, vt in virtute escæ anima refectior, angelorum nunc consortio quorum vitam vixit in terris, & Eliæ societate lætetur. Hæc Paulinus.

VI. sit D. AVGVSTINI Hipponensis Episcopi, de quo Possidius in eius vita primum narrat quanti fecerit B. Ambrosij verba in extremis dicta ad Siliconis legatos; *In his noster Augustinus senex*, inquit, *elimata ac librata admirabatur & laudabat Ambrosij verba. Ideo enim dixisse intelligendum est. Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus, ne crederetur præsidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere. Hoc enim dixerat ad illud; quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examen æquitatis diuinæ, de bono Domino dicit se magis, quam de meritis suis confidere. Cui etiam in quotidiana oratione Dominica dicebat: Dimitte nobis debita nostra, sicut nos & dimittimus debitoribus nostris. Cuiusdam quoque coëpiscopi & familiarissimi sui amici in extremis vitæ de talibus frequentissimum referebat dictum: ad quem cum visitandum iam morti appropinquantem venitasset, & ille manus gestu se de seculo exiturum significaret, atque à se illi esset responsum, adhuc eum Ecclesiæ necessarium viuere posse, illum ne putaretur huius vitæ teneri cupiditate respondisse ei: Si nunquam, bene; si aliquando, quare non modo? Et talem sententiam mirabatur, & laudabat hominem protulisse, Deum quidem timentem, verum in villa natum & nutritum sed non multa lectionis eruditum scientia.* Deinde de eius obitu sic disserit: *Tertio*, inquit, *obsidionis* (vrbis Hipponensis à Vvandalis factæ) *mense decubuit lecto febribus fatigatus, & illa vltima exercebatur ægritudine. Nec suum*

sane Dominus famulum fructu suæ precis fraudauit. Nam & sibi ipsi & eidem ciuitati, quod & lachrymosis depoposcit precibus, in tempore impetrauit. Noui quoque eundem & presbyterum & Episcopum pro quibusdam energumenis petentibus, vt oraret rogatum, eúmque in oratione lachrymas fundentem Deum rogasse, & dæmones ab hominibus recessisse. Itémque ad ægrotantem & lecto vacantem quendam cum suo ægroto venisse, & rogauisse, vt eidem manum imponeret: vt sanus esse posset, eúmque respondisse, si aliquid in his posset, sibi hoc vtique primitus præstitisset: & illum dixisse, visitatum se fuisse, sibíque per somnium dictum esse. Vade ad Augustinum Episcopum, vt eidem manum imponat, & salutis erit. Quod dum comperisset, facere non distulit, & illum infirmum continuo Dominus sanum ab eodem discedere fecit. Et infra: *Sane ille sanctus in vita sua prolixa pro vtilitate ac felicitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ diuinitus condonata, vixit annis septuaginta sex, in clericatu autem vel Episcopatu annis ferme quadraginta. Dicere autem inter familiaria colloquia consueuerat, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos & Sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit vltima qua defunctus est ægritudine. Nam sibi iussérat Psalmos Dauidicos, qui sunt pauciſſimi de pœnitentia scribi, ipsósque quaterniones iacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat & iugiter ac vbertim flebat. Et ne intentio eius à quoquam impediretur, cauebat. Ante dies ferme decem quam exiret de corpore, à nobis postulauit præsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, niſi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei inferretur refectio. Et ita obseruatum ac factum est, &*

omni illo tempore orationi vacabat. Verbum DEI vsque ad ipsam suam extremam ægritudinem imprætermisse, alacriter & fortiter sana mente, sanóque consilio in Ecclesia prædicauit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, & vt scriptum est, nobis astantibus & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace cum Patribus suis, enutritus in bona senectute: & nobis coram positis pro eius commendanda corporis depositione, sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est. Testamentum autem nullum fecit, quia vnde faceret pauper Christi non habuit. Hæc Possidius.

VII. Sit ANTONII Eremitæ, de qua Athanasius in eius vita interprete Euagrio; *Cum*, inquit, *non mediocre incommodum senilia membra turbasset, vocatis ad se duobus fratribus, quos ibidem ante quindecim annos modico interuallo seiunctos instituerat, quique etiam ei iam seni cœperant ministrare, ait: Ego quidem filioli secundum eloquia Scripturarum Patrum gradior viam, iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cœlestia: sed vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem perdatis. Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini & cœptæ voluntatis fortitudo succrescat. Varias dæmonum nostis insidias, vidistis eorum & impetus feroces, & vires effeminatas, IESVM suspirate, & credulitatem nominis eius vestris figite mentibus, & à certa fide vniuersi dæmones fugabantur. Mementote etiam admonitionum mearum, & incertæ conditionis vitam ancipitem quotidie pertractate, & cœleste vobis præmium sine cunctamine tribuetur. Schismaticorum quoque & hæreticorum venena vitate, meúmque circa eos odium sectamini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus*

quidem sermo cum eis aliquando fuerit, propter prauam eorum voluntatem, & pertinax contra Christum bellum. In hoc autem magis estote soliciti, vt Domini præcepta seruetis, vt post mortem vestram sancti quique quasi amicos & notos in æterna vos recipiant tabernacula. Hæc cogitate, hæc sapite, hæc retexite, & si qua mei vobis cura, si qua Patris memoria est, si mihi vicarium repræsentatis affectum, nullus ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore seruetur, ne vituperati ritus à me, vt nostis, circa me seruentur obsequia: huius enim rei gratia maxime huc sum regressus. Vos igitur humo tegite, vos Patris operite corpusculum, & illud quoque senis vestri custodite mandatum, vt nemo præter vestram dilectionem locum tumuli mei nouerit. Confido in Domino, quia necessario resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum. Vestimentorum autem meorum sit ista diuisio. Meloten & pallium tritum cui superiaceo Athanasio Episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat. Serapion Episcopus accipiat meloten: vos cilicinum habetote vestimentum, & valete viscera mea: Antonius enim migrat, & iam non erit in præsenti seculo vobiscum. Verba finierat, & osculantibus se discipulis extendens paululum pedes, mortem lætus aspexit, ita vt ex hilaritate vultus eius, angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam eius descenderant, præsentia nosceretur. Hoc intuens, tanquam amicos videret, animam exhalauit, & additus est Patribus secundum ordinem Scripturarum. Seruarunt mandata discipuli, inuolutum, vt præceperat corpus humo operientes: & nemo interim vsque ad

Athan. *hanc diem præter eos, vbi sit conditum, nouit. Legatarius autem Antonij benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in*

Antonij

Antonij muneribus amplectitur, & tanquam magna hæreditate ditatus lætanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis. Hucúsque S. Athanasius. Martyrologium Romanum 17. Ianuar. habet eius sacrum corpus sub Iustiniano Imperatore diuina reuelatione repertum atque Alexandriam delatum: quod accidit teste Sigiberto in Chron. anno Domini 529.

VIII. est S. MARTINI Turonensis Episcopi, de cuius obitu ita scribit SVLP. SEVERVS epistola 3. ad Bassulam socrum suam; *Aliquandiu*, inquit, *in vico illo Condatensi, vel in Ecclesia ad quam ierat commoratus, pace inter clericos restituta, cum iam regredi ad monasterium cogitaret, viribus corporis cœpit repente destitui, conuocatisque discipulis indicat se iam resolui. Tum vero mœror & luctus omnium, vox vna plangentium. Cur nos Pater deseris? aut cur nos desolatos relinquis? inuadent gregem tuum lupi rapaces: & quis eos à morsibus nostris percusso pastore prohibebit? Scimus quidem desiderare te Christum, sed salua tibi sunt tua præmia, nec dilata minuentur: nostri potius miserere, quos deseris. Tunc ille motus his fletibus, vt totus semper in Domino misericordiæ visceribus affluebat, lachrymasse perhibetur: conuersusque ad Dominum, hæc tantum flentibus voce respondit: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem fiat voluntas tua. Nimirum inter stem, amorémque positus, dubitauit pene, quid mallet: quia nec hos deserere, nec à Christo volebat diutius separari: nihil tamen in voto suo ponens, aut voluntati relinquens, totum se arbitrio Domini, potestatique committens; Nonne tibi his paucissimis verbis dicere videtur; Grauis quidem est Domine corporeæ pugna militiæ, & iam satis est,*

quod hucúsque certaui, sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me præcipis, non recuso, nec fatiscentem causabor ætatem. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui in nullam partem se pronior inclinauerat, nec mori timuit, nec viuere recusauit. Itaque cum iam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen à Dei opere cessabat, pernox in orationibus & vigilijs, fatiscentes artus spiritui seruire cogebat, nobili illo stratu suo in cilicio & cinere recubans. Et cum à discipulis rogaretur, vt saltem vilia sibi sineret stramenta supponi: Non decet, inquit, filij Christianum nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccaui. Oculis igitur ac manibus in cœlum semper intentus inuictum ab oratione spiritum non relaxabat, & cum à presbyteris qui tum ad eum confluxerant rogaretur, vt corpusculum lateris mutatione releuaret. Sinite, inquit, sinite me fratres cœlum potius respicere, quam terram, vt suo iam itinere iturus ad dominum, spiritus dirigatur. Hæc locutus, vidit diabolum prope assistere. Quid hic, inquit, astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies, Abrahæ me sinus recipit. Cum hac ergo voce flagitatum diuinis operibus spiritum cœlo reddidit, testatique nobis sunt qui affuerant iam ex animo, corpore, iam glorificati hominis se vidisse gloriam. Vultus luce clarior renitebat, cum membra cetera ne tenuis quidem macula fuscaret: in alijs etiam & in illo tantum artubus non pudendis septennis quodammodo pueri gratia videbatur. Quis istum vnquam cilicio tectum, quis cineribus crederet inolutum? ita vitro purior, lacte candidior iam in quadam futuræ resurrectionis gloria, & natura demutatæ carnis ostensus est. Hæc S. Seuerus.

IX. est S. Severini Noricorum Apostoli scriptum

scriptum ab EVGIPPIO Abbate cap. 43. Nonis itaque Ianuariis, ait, cœpit tenuiter lateris dolore pulsari, quo durante per triduum medio noctis tempore fratres adesse præcepit, quos de corpore suo commouens, & paterna informatione corroborans instanter ac mirabiliter talia prosecutus aiebat. Filij in Christo charissimi, scitis, quod beatus Iacob conditione mortis instante filios suos adesse præcipiens propheticæ benedictionis affatibus singulos quosque remunerans mysteriorum arcana prodidit futurorum. Nos vero infimi ac tepidi, tantæque impares pietatis hanc prærogatiuam nostris viribus non audemus, vnum tamen quod humilitati congruit, non tacebo, mittens vos ad exempla maiorum, quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem. Abraham námque vocatus à Domino fide obediuit, vt exiret in locum, quem accepturus erat in possessionem, & exiit nescius quo venturus esset. Huius igitur beati Patriarchæ imitamini fidem, imitamini sanctitatem, despicite patriam, cœlestem semper inquirite. Confido autem in Domino, quod mihi de vobis æterna lucra prouenient. Video enim vos gaudium meum feruore spiritus ampliasse, amare iustitiam, fraternæ charitatis vincula diligere, castitati operam dare, humilitatis regulam custodire, hæc quantum ad hominis spectat intuitum, laudo confidenter & approbo. Sed orate, vt quæ humanis aspectibus digna sunt, æternæ discretionis examinatione firmentur, quia non sicut videt homo, videt DEVS. Ille siquidem diuinus sermo denunciat, omnia corda scrutatur, & omnium men-

Heb. 13.

Heb. 11.

tium cogitationes anteuenit. Assiduis ergo precibus hoc orate, vt oculos cordis vestri Dominus illuminet, eosque sicut orauit beatus Elisæus aperiat, quo possitis agnoscere, quanta nos circumstent adiumenta Sanctorum, quanta fidelibus auxilia præparentur: Deus enim noster supplicibus appropinquat. Non desit militaribus iugis oratio, non pigeat agere pœnitentiam, quos non puduit facinus perpetrare, non pigeat lugere peccantes, si quomodo offensa diuini iudicij lachrymarum vestrarum inundatione placetur, quia spiritum contribulatum suum est dignatus vocare sacrificium. Simus igitur corde humiles, mente tranquilli, delicta omnia præcauentes, ac diuinorum semper memores mandatorum, scientes non prodesse nobis cum humilitate vestis nomen monachi, vocabulum religionis, speciem pietatis, si circa obseruantiam degeneres inueniamur & reprobi. Mores igitur chariſſimi filij proposito susceptо consentiant. grande nefas est peccata sectari hominem secularé, quanto magis monachos, qui blandimenta seculi quasi atrocem bestiam fugientes Christum cunctis affectibus prætulerunt, quorum incessus & habitus creditur esse documentum. Sed quid vos vltra demoror filij chariſſimi longi sermonis affatu? Supereſt, vt beati Apostoli vltima oratione vos persequar ita dicentis: Et nunc commendo vos Deo & veræ gratiæ eius, qui potens est conseruare vos, & dare hæreditatem in sanctificationem. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, AMEN.

Cap. 44. POST huiusmodi igitur ædificationis alloquiũ, cunctos per ordinem ad osculum suum iussit accedere,

dere,& sacramento communionis accepto flere se penitus prohibet, totúmque corpus signo crucis extenta manu consignans,vt psallerent imperauit. Quibus mœroris effusione cúctantibus ipse Psalmum protulit ad canendum. Laudate Dominum in sanctis eius, omnis spiritus laudet Dominum. Sextis itaque Ianuarij Idibus, nobis præ fletu respondentibus in hoc versiculo quieuit in Domino. Huc vsque Eugippius; *Obijt autem anno Christi* 481. *aut* 482. *in monasterio prope Fauianensium* (Viennensium) *muros.*

X. Est B. Fvlgentii Ruspensis Episcopi, de cuius vita & obitu scripsit quidam eius discipulus ad Feliciſſimum Episcopum Fulgentij suc- Cap.30.
cessorem,& habetur initio operum eius, & tomo 1. Surij in Ianuario; *Incidit*, inquit,*repente in corporalis infirmitatis acerrimas passiones, vbi septuaginta prope diebus agritudine fatigatus hoc solum frequenter dicebat: Domine,da mihi modo hic patientiam, postea indulgentiam. Nec ab isto sermone aliquantulum cessauit.siue dolor affligeret, siue febris incenderet, siue lassitudo dissolueret. Persuadentibus autem medicis.vt lauacris balnearibus vteretur:nunquid balneæ*, inquit, *facere poterunt, ne homo mortalis expleto vitæ suæ tempore moriatur? Si vero proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere, cur mihi obsecro persuadetis, vt rigorem diu seruatæ professionis in fine dissoluam? Sic salutem suam supernæ voluntati fideliter credens postquam se sensit sine aliqua dubitatione dissoluendum vocans vniuersos clericos suos præsentibus monachis allocutus est eos dicens: Ego fratres animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan & difficilis extiti:& ideo obsecro vos, vt ignoscat*

mihi quisquis aliquid dolet. Et si forsitan seueritas nostra modum transgressa est debitum, orate ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Cúmque talia beato Fulgentio lachrymosis singultibus exprimente, cuncti simul super eius genua caderent, semper bonum, semper affabilem, pro omnium salute, sicut decuit, inuigilasse clamantes. Prouideat ergo Dominus Deus meus pastorem dignum se. Tunc imperato silentio paululum requieuit. Et deinde pauperum curam gerens requisita summa pecuniæ, de qua fidelissimus dispensator quotidie egentibus ministrabat, totum iussit expendi, per seipsum recolens viduarum, pupillorum, peregrinorum, cunctorúmque illic indigentium nomina, quibus quid singillatim daretur propria deliberatione constituit, hæredes in hoc seculo non habens, hæreditatem tamen huius beneuolæ solicitudinis pauperibus derelinquens. Sed nec suos clericos debita benedictione fraudauit, ipsorumque paupertati misericorditer consulens, ac secrete omnia præordinans, orans iugiter, & intrantes singulos benedicens, vsque ad extremam horam sana mente permansit. Postremo die Kalendarum Ianuariarum post peractam vesperam beatum spiritum feliciter in manus Domini tradidit, annum sui Episcopatus agens vicesimum quintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum, sicut multis ante fratribus morti proximus indicauit. Sic ille.

XI. Est S. BENEDICTI Abbatis, de cuius obi-
GREC. 37. tu S. GREGORIVS Magnus in secundo Dialogorum; *Eodem vero anno*, inquit, *quo de hac vita erat exiturus quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longe manentibus sanctissimi sui obitus denunciauit diem, præsentibus indicens, vt audita per silentium tegerent, absentibus indicans, quod vel quale eis signum*

signum fieret, quando eius anima de corpore exiret. Ante sextum vero sui exitus diem aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cumque per dies singulos languor ingraueſceret, sexta die portari se ad Oratorium à discipulis fecit, ibique exitum suum dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans erectis in cœlum manibus stetit & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Qua scilicet die duobus de eo fratribus, vni in cella commoranti, alteri autem longius posito, reuelatio vnius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque quia strata pallijs, atque innumeris coruſca lampadibus via recto orientis tramite ab eius cella in cœlum vsque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via quam cernerent, inquisiuit. Illi autem se neſcire profeſſi sunt. Quibus ipse ait: Hæc est via, qua dilectus Domino cœlum Benedictus ascendit. Tunc itaque sancti viri obitum sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo, quod eis prædictum fuerat, agnouerunt.

XII. Exemplum S. MALACHIÆ Episcopi Hiberniæ, de cuius obitu Clarauallis facto sic scribit S. BERNARDVS in eius vita; *Iam quatuor aut quinque dies huius nostræ solemnitatis defluxerant, cum ecce die solenni B. Lucæ Euangelistæ Missa in conuentu sua illa sancta deuotione celebrata, febre correptus lecto decubuit, & nos cum illo omnes. Extrema gaudij nostri mœror occupat, moderatior tamen, quod lenior interim febris esse videretur. Videmus discurrere fratres, dandi auidos vel accipiendi, cui non dulce videre illum? cui non dulcius ministrare illi? vtrumque suaue, vtrumque salutare. Et humanitatis erat præbere obsequiũ, & profectus cuiq; sui cũ gratiã reportaret. Assistere omnes soliciti*

erant

erant circa frequens ministerium, medicamenta perquirere, adhibere fomenta, vrgere sæpius ad gustadum. Ad quos ille sine causa, inquit, hæc: sed charitate vestri facio, quicquid iniungitis. Sciebat enim imminere tempus suæ migrationis. Cumque fratres, qui cum eo venerant fidentius instarent dicentes, non oportere diffidere de vita, nec enim signa mortis in eo aliqua apparerent. Oportet, inquit, hoc anno Malachiam exire de corpore: & infert: Ecce appropinquat dies: quem, vt optime nostis, optaui semper ipsum fore diem resolutionis meæ. Scio cui credidi; & certus sum, non fraudabor reliquo desiderij mei, qui partem iam teneo. Quod ad hoc corpusculum attinet, hic requies mea: quod ad animam, Dominus prouidebit, qui facit saluos sperantes in se. Nec parum spei repositum mihi in die illa, qua mortuis tanta à viuis beneficia impenduntur. Nec longe aberat dies ipsa, cum talia loqueretur. Inter ea iubet se sacro oleo inungi. Exeunte conuentu fratrum, vt solemniter fieret non sustinuit, vt ad se ascenderent: ipse descendit ad eos. Iacebat siquidem in solario, in domo superiori. Vngitur, & sumpto viatico fratrum se orationibus, & fratres commendans Deo, ad lectum reuertitur. Alto de solio descendebat pedibus suis, & rursum nihilominus pedibus suis ascendebat, & dicebat mortem esse in ianuis. Quis hunc hominem crederet moriturum? Solus ipse & DEVS scire id poterat. Non vultus pallidior, non macilentior videbatur, non rugata frons, non reconditi oculi, non nares extenuatæ, non contracta labia, non adusti dentes, non collum exesum & gracile, non curui humeri, non caro exinanita in corpore reliquo. Hæc erat gratia corporis eius, & hæc gloria vultus eius quæ non euacuatur ne in morte quidē. Talis quoad vixit, talis & mortuus apparebat viuenti similior. Cucurrimus vsque

huc,

huc, sed modo hæremus, quia Malachias cursum consummauit. Stat ille, & nos pariter stamus cum illo: alioquin quis libenter currat ad mortem? præsertim tuam Pater sancte, quis referre possit, quis velit audire? Attamen dilexímus nos in vita, in morte non separabimur. Fratres, non reliquamus in morte, quem in vita prosecuti sumus. Ab vlteriori Scotia vsque huc cucurrit ille ad mortem, eamus & nos, & moriamur cum eo. Oportet dicere, quod cernere necesse fuit. Adest omnium Sanctorum clara vbique celebritas, sed iuxta veterem sententiam, musica in luctu importuna narratio est. Adsumus, canimus vel inuiti. Flendo cantamus, & cantando flemus. Malachias etsi non cantat, non plorat tamen. Quid enim ploret, qui non appropinquat ad gaudium? nobis qui relinquimur, relinquitur luctus, solus Malachias festum facit. Quod enim non potest corpore, facit mente, sicut scriptum est: Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis festum agent tibi. Deficiente illi corporis instrumento, silente organo oris, officio vocis cessante, reliquum est, vt mentis iubilo solennizet. Itaque febre inualescente cœpit ex intimis ardens per omne corpus erumpere sudor, vt quodammodo transiens per ignem & aquam educeretur in refrigerium. Iam desperatur de vita eius, iam quisque suum iudicium reprehendit, iam nulli dubium Malachiæ sententiam præualere. Vocamur, adsumus: & ille oculos leuans in circumstantes. Desiderio desideraui, inquit, hoc Pascha manducare apud vos. Gratias ago supernæ pietati, non sum fraudatus à desiderio meo. Vides hominem securum in morte, & necdum mortuum iam certum de vita. Nec mirum. Videns adesse noctem, quam expectauerat, & in ipsa diescere sibi, quasi de nocte triumphans, videtur insultare tenebris, & quodammodo loqui. Iam

Eccl. 22.

Psal. 75.

Psal. 138.

non

non dicam, forsitan tenebræ conculcabunt me: quia hæc nox illuminatio mea in deliciis meis. Et blande nos cõsolans: habete, inquit, curam mei, ego vestri, si licuerit, non obliuiscar: licebit autem: Credidi in Deum, & omnia possibilia credenti. Amaui Deum, amaui vos: & charitas nunquam excidit. Et suspiciens in cœlum: Deus, inquit, serua eos in nomine tuo. Non solum autem eos, sed & omnes qui per verbum ac ministerium meum tuo se mancipauere seruitio. Deinde imponens manus singulis, & benedicens omnibus pausatum ire iubet, quia nondum venerat hora eius. Inus, redimus circa medium noctis, nam ea hora lux lucere in tenebris nunciatur. Impletur domus, adest congregatio tota, Abbates quoque multi, qui conuenerant. Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus prosequimur amicum repatriantem. Anno ætatis suæ quinquagesimo quarto loco & tempore, quo præelegit & prædixit, Malachias Episcopus & Legatus sanctæ Apostolicæ sedis, velut è manibus nostris assumptus ab angelis feliciter obdormiuit in Domino. Et vere obdormiuit. Vultus placidus, placidi exitus indicium fuit. Et quidem omnium oculi fixi in eum, nemo tamen qui eum quando exiuit aduertere potuisset. Mortuus viuere, & viuẽs mortuus putabatur: adeo nil intercidit, quod alterutrum disterminaret. Eadem viuacitas vultus, serenitas eadem, qualis apparere solet in dormiente. Effertur, feruntur in cœlum voces, infertur Oratorio Abbatum humeris. Vicit fides, triumphat affectus, res in suum deuenit statum, cuncta geruntur ex ordine, cuncta ex ratione procedunt. Hæc S. Bernardus.

G.c.2. XIII. Est D. BERNARDI Abbatis Claræuallẽsis, de cuius obitu scripsit eius discipulus Godefridus lib. 5. de quo in SVRIO in Augusto, & in operibus Bernardi; *Ante patris*, inquit, *excessum accedentes*

accedentes ad eum filij, quos per Euangelium genuerat, piissimum eius animum lachrymabili supplicatione pulsabant, & hæc atque huiusmodi loquebantur. Nunquid non misereris huic monasterio pater, nunquid non compateris nobis, quos tanto pietatis affectu maternis lactasti vberibus, paterna consolatione fouisti? Quomodo iam dilectos hactenus filios sic relinquis? Tunc vero flens ipse cum flentibus, & columbinos oculos in cœlum porrigens, ac mente tota apostolicum illum concipiens spiritum, testabatur coarctatum se è duobus, & quid eligeret ignorantem, diuinæ totum tribuere arbitrio pietatis. Nam & hinc paterna illum vrgebat charitas filiorum votis annuere, vt maneret: & inde trahebat Christi desiderium, vt migraret. Cui tamen ab olim iam atque altius radicata in pectore eius humilitas persuaserat, vt ex intimo cordis affectu seruum inutilem se esse diceret, & arborem sterilẽ reputaret, ex cuius vita nullus sibi fructus, nullus alteri cuiquã proueniret. Nouissimè cum exterioris habitaculi vndique iam soluta compago desideranti animæ liberum præstaret egressum, magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies. Ad cuius exitum vicini Episcopi cum Abbatum, & fratrum copiosa multitudine fuerant congregati. Hora autem diei penè tertia singularis lucerna suæ generationis sanctus ac vere beatus Abbas Bernardus à corpore mortis in terram viuentium feliciter Christo duce migrauit ex filiorum circumstantia, & inter graues singultus ac lachrymas vberes vtcunque psallentium choro ad multorum, quos ipse præmiserat cœtus transiens lætabundos, ad Sanctorum cuneos gratulantes, ad obuia agmina angelorum. Et post multa; Consummatis ergo feliciter vitæ suæ diebus, & annis circiter 63. expletis, dilectus Domini Bernardus Clarævallensis cœnobij primus Abbas, aliorum

quoque

quoque amplius, quam centum 60. monasteriorum patet 13. Kalend. Septembris inter filiorum manus obdormiuit in Christo. Sed & pectori eius ipso in tumulo capsula superposita est, in qua B. Taddæi Apostoli reliquiæ continentur: quas eodem anno ab Ierosolyma sibi missas suo iusserat corpori superponi, eo vtique fidei & deuotionis intuitu, vt eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæreat.

XIV. Exemplum est S. DOMINICI fundatoris ordinis Prædicatorum, de cuius obitu scripsit Theodoricus de Appoldia libr. 5. exstat apud SVRIVM in Augusto; *Sciens*, inquit, *è propinquo mortis sibi imminere diem, iussit nouitios ad se adduci. Eos præsentes sereno vultu intuens ad amorem Dei & ordinis, ad deuotionem & instituti monastici obseruantiam, verbis gratissimis inuitabat: moréque suo contentus sacco etiam tam afflicta valetudine noluit in lectulo iacere. Inde accitis duodecim magis expertis fratribus, Priori domus F. Venturæ, multis sacerdotibus audientibus, omnia peccata sua generaliter est confessus, dixítque eis: En vsque in horam carne incorruptum me Dei misericordia seruauit, illibatámque mihi virginitatis munditiam custodiuit. Quæ vt etiam in vobis inuiolata permaneat fœminarum omnium suspecta vitate consortia. Ea retẽta seruus Christi paupertate gratus Christo, & bonæ famæ odore fructuosus erit proximis. Spiritus feruor maneat in vobis. Promouendo & propagando huic Ordini sitis intenti stabiles in sanctitate, perseuerate in monastico instituto, & virtutum omnium incremento. Et quia ex diuina reuelatione didicerat se à corpore abiturum, fratribus coram se congregatis testamentum fecit, quod nulli mutare fas est. testatoris enim morte confirmatum est. Hæc sunt, inquit, fratres & filij*

Th.c.1.

filij charissimi, quæ vobis hæreditario iure possidenda relinquo. Charitas sit in vobis: humilitatem sectamini, paupertati voluntariæ studete. Non erat illic argentum & aurum, aut quæuis terrenæ facultates, vnde testamentum conderet. Quod autem habuit hoc fide locuples, hoc illis legauit, nempe diuitias salutis, thesauros cœlestes.

In dies ingraueſcente aduersa valetudine, filij de patris salute soliciti illum ad S. Mariam in montem deportarunt, ea spe quod propter loci salubritatem posset reualescere. Sed ille magis etiam viribus destitutus, cum sentiret corporis dissolutionem imminere, Priorem ad se vocari iussit. Venit ille, & cum eo viginti fratres, patrem agrum inuisere cupientes: quibus ille decumbens concionabatur egregie. Cúmque resciuisset eius loci Præfectum velle ipsum in Ecclesia sua humare, cum multa humilitate & mansuetudine dixit: Absit, vt ego alibi sepeliar, quam ad pedes fratrum meorum: móxque charitatis & pacis studiosissimus cauere volens, ne vel optato fraudaretur sepulchro, vel fortassis contentio ea causa oriretur: Foras me, inquit, efferte, vt in vinea illa sub dio moriens, possim in vestra Ecclesia sepeliri. Itaque fratres eum reportarunt ad monasterium prædicatorum, sed interim valde metuebant, ne in via animam ageret. Repositus est autem in quodam cubiculo, & administratum ei est Extremæ vnctionis sacramentum. Cúmque aliquandiu illic fuisset F. Adolphus caput eius sustentans sudorem panno lineo à facie detergebat. Flebant vero fratres, qui aderant, videntes iam in agone versari charissimum Patrem, cuius se dolebant consolatione destitui, nunquam in ea consolandi gratia parem habituri. Eos vt vidit beatus lachrymis infusos: Nolite, inquit, flere charissimi, nec vos per- Cap. 2.

turbet corporalis hic à vobis discessus. In eo loco, ad quem nunc proficiscor, vtilior vobis ero, quam hic fuerim: vitáque functus plus aliquid vobis conferam, quam hic à me expectare possitis. Ingens erat morientis fiducia: quando nec mori timuit, nec de vitæ æternæ aditu dubitauit, fidenter pollicens se in illa constitutum filijs patrocinaturum. Quodam autem fratre ex illo percontante vbi vellet sepeliri corpus suum, respondit se velle illud condi sub pedibus fratrum suorum. Conuocans ad se Priorem & fratres, dixit eis: Præparate vos. Illis ad commendationem solenniter præparatis, ait: Sustinete adhuc parumper.

Deinde ait Prior ad eum: Tu nosti Pater, quam nos deseras desolatos & mœrentes: memento nostri, vt ores Dominum pro nobis. Tum ille vir sanctissimus totus in Deum absorptus sublatis sursum manibus dixit: Pater sancte tu scis, quia libenter perstiti in voluntate tua, & illos, quos mihi dedisti, custodiui: at nunc commendo eos tibi, tu illos serua & custodi. Ego ad te venio pater cœlestis. Deinde post paululum ait ad fratres: Incipite iam. Quâ vero deuotione, quibus lacrymis & singultibus peractum fuerit commendationis officium, non nescit ille, qui non spernit preces pauperum, & gemitus mœrentium non despicit. Ille interea migrans labia mouebat ad preces, licet vox minime sentiretur. In extrema commendatione fratribus pro more dicentibus: Subuenite sancti DEI, occurrite angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu altissimi, eleuatas in cœlum tenens manus, spiritum exhalauit: nec dubium quin angelicis manibus exceptus, Domino sit præsentatus. Mansit autem corpus exanime in cinere iacens mœrentium luctu miserabile, fidei pietate amabile, & pro eius sanctitate cunctis venerabile. Et

infrà;

infrà; *Cum autem sacrum beati viri corpus fratres ad sepeliendum inuoluerent, inuenerunt ad lumbos eius catenam ferream. Eam F. Rudolphus reuerenter asseruans postea Magistro Ordinis pro magno munere dedit.* Id. c.4.

Et rursum; *Obiit vir sanctissimus octauo Idus Augusti, humatur Bononiæ iuxta filios suos fratres prædicatores, quorum primus Generalis Magister fuit & institutor. Annus autem erat Christi millesimus ducentesimus viceſimus primus.* Cap.5. Hæc THEODORICVS. S. Antoninus p.3. tit.23. cap.4.§.14. addit migrasse è seculo anno ætatis suæ 51.

XV. Exemplum S. FRANCISCI fundatoris Ordinis Minorum, de cuius obitu scripsit S. BONAVENTVRA Episcopus & Cardinalis; *Cum, inquit, per biennium ab impressione sacrorum stigmatum, anno videlicet à sua conuersione viceſimo ad S. Mariam de Portiuncula se portari popoſcit, quatenus vbi acceperat ſpiritum gratiæ, ibi redderet ſpiritum vitæ. Quò cum fuiſſet perductus, vt veritatis exemplo monſtraret, quod nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam graui, quæ omnem morbum concluſit, ſuper nudam humum ſe totum nudatum in ſpiritus feruore proſtrauit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hoſtis iraſci, nudus luctaretur cum nudo. Decumbens ſic in terra, ſaccina veſte depoſita, faciem ſolito more leuauit in cœlum, & intendens illi gloriæ totus manu ſiniſtra dexteri lateris vulnus, ne videretur, obtexit. Et ait ad fratres: Ego quod meum eſt feci, quod veſtrum, Chriſtus edoceat. Illachrymantibus autem ſocijs ſancti, qui miro fuerant compaſſionis telo percuſſi, vnus ex eis, quem vir Dei Guardianum ſuum eſſe dicebat, votum ipſius diuina inſpiratione cognoſcens feſtinus ſurrexit, & ac-* Bon.c.14.

ceptam cum chordula & femoralibus tunicam pauperculo Christi obtulit dicens: Hæc tibi tanquam pauperi commodo, & tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato. Gaudet ex hoc vir sanctus, & iubilat præ lætitia cordis, quoniam fidem tenuisse Dominæ paupertati vsque in finem se vidit, palmásque leuans ad cœlum, Christum suum magnificat, pro eo quod exoneratus ab omnibus liber vadit ad ipsum. Fecerat enim hæc omnia paupertatis zelo, vt nec habitum quidem vellet habere, nisi ab alio commodatum. Voluit certe per omnia Christo crucifixo esse conformis, qui pauper & dolens, & nudus in cruce pependit. Propter quod & in principio conuersionis suæ nudus remansit coram Antistite, & in consummatione vitæ nudus voluit de mundo exire: fratribúsque sibi assistentibus in obedientia charitatis iunxit, vt cum viderent eum iam esse defunctum, per tam longum spatium nudum super humum iacere permitterent, quo vnius milliarij tractum suauiter quis perficere posset. Hora denique sui transitus propinquante fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari, & eos consolatorijs verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad diuinum est hortatus amorem. De Paupertate & patientia, & S. Romanæ Ecclesiæ fide seruandis sermonem protraxit, ceteris institutis sanctum Euangelium anteponens. Circumsedentibus vero omnibus fratribus extendit super eos manus in modum crucis brachijs cancellatis pro eo quod hoc signum semper amabat, & omnibus fratribus tam præsentibus quam absentibus in crucifixi virtute ac nomine benedixit. Insuper adiecit: Valete filij omnes in timore Domini, & permanete in eo semper. Et quoniam futura tentatio & tribulatio appropinquat, felices qui perseuerabunt in his quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero, cuius gratia

vos

vos commendo. Suaui huiusmodi admonitione completa iussit Deo vir charissimus Euangeliorum sibi codicem apportari, & Euangelium secundum Ioannem, quod incipit ab eo loco, Ante diem festum Paschæ, sibi legi popoſcit. Ipse vero prout potui: in huius Psalmi vocem erupit: Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum: & ad finem vsque compleuit. Me, inquit, expectant iusti, donec retribuas mihi. Tandem cunctis in eum completis mysteriys, anima illa sanctissima carne soluta, & in abyssum diuinæ claritatis absorpta, beatus vir obdormiuit in Domino. Hucúsque S.Bonauentura. Ioan. 13. Psal. 141.

XVI. Exemplum sit S. LVDOVICI IX. Regis Francorum, de cuius obitu Ganfridus de bello loco apud Surium in Augusto; *Anno*, inquit, *Domini* 1270. *Calendis Martijs Ludouicus Rex Christianissimus nihil fractus superiorum temporum laboribus & expensis, quas in priori expeditione fecerat, cum tribus liberis, Philippo, Ioanne, Petro è portu Massiliæ soluit, adiuncto etiam sibi Nauarræ rege, & ecce morbus, qui illo anno in Tunetunis locis mire grassabatur, in Christianorum exercitum inuadit, ex Regis filijs tollit Ioannem, tollit ipsum quoque sanctissimum Regem. Quam sancte autem & pie migrarit à vita Christianissimus Rex, gener eius Nauarræ Rex Tusculano Episcopo perscripsit. Nam correptus morbo non cessauit laudare DEVM sæpe illam orationem inserens: Fac nos Domine prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare: & pro illis quos secum adduxerat ita orans: Esto Domine plebi tuæ sanctificator & custos. Morti propinquus, voluit se corporis Christi sacramento muniri. Cúmque sacerdos id ei ostenderet, perquirerétque, num crederet ibi esse filium*

DEI, respondit minus id apud se habere dubij, quam si videret Christum in ea forma, qua ascendit in cœlos. Iam supremum trahens spiritum suspiciens in cœlum, ait: Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum sanctum tuum & confitebor nomini tuo. Quibus dictis felicissimè obdormiuit in Domino. Obyt rex Ludouicus 25. Augusti, tum in vita, tum in obitu multis claruus miraculis.

ROBERTVS Gaguinus lib. 7. de gestis Francorum testis est in archiuis Caroli V. Regis Gallorum repertã esse chartulam præceptorum, quæ hic sanctus Rex filio suo primogenito, dum Tunetum obsideret, dictauit & scripsit: eámq; ex Caroli thesauro receptam Girardum de Monteacuto regium scribam Carolo exhibuisse anno salutis 1364. Ea præcepta habentur in MSS. codicibus, ea sunt hæc:

INSTITVTIONES SANCTISSIMÆ Philippo primogenito filio, à S. Ludouico Rege sub mortem propositæ.

FILI mi, ante omnia diligenter in eam curam incumbe, vt diligas Deum, nemo enim potest esse saluus, nisi Deum amet.

Caue ne vnquam admittas peccatum mortiferum, sed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quam aliquam talem perpetrare culpam.

Cum aduersa accidunt feras æquo animo, & cogites te commeruisse, atque ita lucrum tibi inde accedet.

Cum rebus prosperis frueris humiliter agas gratias Deo, ne inde elatus efficiaris deterior, vnde te oportuit fieri meliorem.

Crebro confitearis peccata tua, deligásque tibi sapientes

sapientes confessarios; qui te possint instituere & docere, quid agere, quid vitare te oporteat, & coram illis ita te compares, vt audeant sincerè te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

Officium diuinum deuotè auscultes, facessant ibi fabulæ & nugæ, nec oculi huc atque illuc circumferantur, sed ores Deum ore, & etiam meditando corde, idque præcipue sub sacrificio postperactam consecrationem.

Animo sis pio & humano erga pauperes & calamitosos homines, illisque pro viribus opituleris.

Si quid angat animum, id mox explices Confessario tuo, aut alicui viro bono: ita fiet, vt facilius id feras.

Da operam, vt quorum vteris consuetudine & familiaritate, ij sint homines probi & integri, siue religiosi illi sint, siue seculares, & cum illis libenter misce colloquia: porrò nequam & improborum virorum commercia deuita.

Sermones qui fiunt de Deo publicè & priuatim libenter audias, preces quoque & condonationes, siue indulgentias studiosè expetas.

Amato bonum, odito malum omne.

Vbicunque fuerit, nemo ausus sit quicquã eiusmodi te præsente eloqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ deroget; nec vnquam tu de vllo malè loquaris obtrectandi animo.

Non patiatis quenquam, te audiente, peruersè de Deo, aut sanctis eius loqui, nec id sinas impunè abire.

Crebro gratias agas Deo pro bonis omnibus, ab illo collatis, vt dignus fias potioribus eius beneficiis affici & augeri.

In administranda iustitia sis rectus & seuerus,& ita vt leges præscribunt eam exerceas erga subditos, neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectens,pauperúmque querimonias non reiicias,donec veritas innotescat.

Si quis habeat aduersum te querelam aut controuersiam,semper ab illo stes contra teipsum,donec rem certam comperias. Ita enim fiet,vt consiliarij tui fidentius iustam ferant sententiam.

Si quid possideas rei alienæ, etiamsi id acceperis à maioribus tuis, incunctanter restituas iusto possessori, vbi certò id tibi constiterit. Sin autem dubia|res est, cura vt viri sapientes accuratè, & sine mora inquirant. Id enim vel maximè studere debes, vt qui sunt in ditione tua pace & iustitia fruantur, imprimis homines religiosi & qui in Clero sunt.

Parentibus tuis debes amorem, reuerentiam & obedientiam. Beneficia Ecclesiastica non conferas nisi bene dignis, & qui nulla beneficia eiusmodi habeant,idque in consilio bonorum virorum.

Bellum præsertim aduersus quemlibet Christianum sine multo consilio vide ne suscipias. Si necessitas cogat suscipere, Ecclesias & insontes nullo patiaris damno affici.

Si qua existat vel tibi, vel subditis tuis contentio, vel bellum, quoad poteris componere & sedare coneris.

Vide,vt bonos habeas prætores,& magistratus, & de illis solerter inquiras vti se gerant.

Semper sis addictus & deuotus Romanæ Ecclesiæ, & eius Pontifici haud secus atque spirituali Patri morigerum te præbeas.

Da

Da operam, vt impensæ tuæ moderatæ sint, & rationi consentaneæ.

Sub finem hortor & adiuro te fili mi, si me contigerit ante te migrare ex hac vita, vt toto Regno Franciæ pro anima mea cures offerri Deo preces & Missæ sacrificia.

Ad extremum, fili charissime, quicquid potest boni bonus & pius parens precari filio suo, id ego precor tibi. Sacrosancta Trinitas, & Sancti omnes seruent te ab omni malo, præstetque tibi Deus gratiam rectè semper agendi, & ipsius voluntatem faciendi, ita vt ille per te honoretur, & nos possimus post hanc vitam pariter esse cum illo, eumque contemplari & laudare per infinita secula seculorum, AMEN.

DE NATVRÆ STATV.

CAPVT I.

De nomine & definitione naturæ.

QVONIAM exiguum discrimen est inter Naturam, legem naturæ, & rationem naturalem singulorum notionem hic describemus. NATVRA, si nomen spectes, auctore LACTANTIO libr. 2. de origine erroris: *vtique à nascendo dicitur*, si rem, *nihil est aliud*, quemadmodum tradidit S. AVGVST. lib. altero de Manich. morib. *quàm id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque addit, vt nos iam nouo nomine ab eo quod est esse vocamus essentiam, quam plerunque substantiam etiam nominamus: ita veteres, qui hac nomina non habebant pro essentia & substantia, na-*

Lact. c. 8.

Aug. c. 2.

turam vocabant. Ab hac natura dicitur aliquid esse naturale, idque bifariam, vel quia est pars naturæ, quo sensu corpus & anima dicuntur naturales, vel quia fluit à principiis naturæ, vt est facultas sentiendi, intelligendi, ratiocinandi: quo sensu rationem existentem in homine vel angelo appellamus naturalem.

T.c.26. Tull. 2.de leg. Lex naturæ parum distat à natura, est enim natura *legis instar*, vt loquitur TERTVLLIANVS libro 5. in Marcionem, *ignorantibus legem & expressa est*, vt habet M. TVLLIVS, *ad illam antiquissimam & rerum omnium principem naturam.* Hanc ex eodem Tullio libro de Republ. tertio ita definit LACTANTIVS: *Est recta ratio naturæ congruens diffusa in omnes, constans, sempiterna: quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat.* Apostolus ad Romanos asserit eam scriptam in cordibus etiam gentilium. Vnde S. AMBROSIVS in epistola ad Irenæum: *Si naturalem legem, quam Deus creator infudit singulorum pectoribus, homines seruare potuissent, non fuerat opus ea lege, quæ in tabulis scripta lapideis. Esse autem legem naturalem in cordibus etiam Apostolus docet, qui scribit: Quia plerunque & gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, & cum legem non legerint, opus tamen legis scriptum habent in cordibus suis. Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingenijs hauritur.*

L.lib.6. Ro.2.15. A.ep.71.

RATIO sequitur, de qua SENECA ad Lucilium: *Quid est ergo ratio? naturæ imitatio.* TERTVLLIANVS de corona militis ait: *legem ratione commendari, ratione constare.* Et supra LACTANTIVS dixit legem naturæ: *esse rectam rationem*

L.ep.66.

tionem naturæ congruentem ; & alibi affirmat : *id solum rectum esse quod ratio præscribit.* CLEMENS quoque Alexandrinus in sexto Stromatæo : *Existimo*, inquit, *legis esse proprium & rectæ rationis, reddere quod vnicuique conuenit.* Itaque, quia tanta affinitas est inter naturam, naturæ legem, & rationem, S. Scriptura promiscuè in eundem sensum voces illas vsurpare videtur. Naturæ quidem apud Apostolum in priore epistola ad Corinthios, cum ait : *Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi, mulier vero, si comam nutriat, gloria est illi.* Lege naturæ verò apud eundem ad Romanos : *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex.* Rationis denique apud vatem regium canentem : *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quod enim hoc lumen est nisi rationis? hac enim velut signo ab aliis animantibus homo discernitur : *Ratio perfecta*, ait SENECA: *proprium hominis bonum est, cætera illi cum animalibus satisq; communia sunt.*

Id.lib. 2.c. 6.

1. Cor. 11. 14.

Ro. 2. 14.

Psal. 4. 7.

S. Tho. 12. q. 19. a. 4.

S. ep. 76.

STATVM ergo naturę vocamus, non eum quo homo vixit, vt loquitur schola, in puris naturalibus, sine gratia vel peccato ; qualis nunquam fuit (primus enim homo cõditus est in gratia) sed eum, in quo post Adæ lapsum vixerunt, siue fideles, siue infideles, vsq; ad legem scriptam, Moysi traditam, vti fuerunt veteres Patriarchę Adam, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Iob. Nam ita scribit TERTVLLIANVS aduersus Iudæos : *Ante legem Moysi scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturabiliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur.* Et S. HIEROM. lib. 8. com

Isa.24. commentariorum in Isaiam: *Audiant*, inquit, *Iudæi, qui se solos legem accepisse Domini gloriantur, quod vniuersæ primum gentes, totusq; orbis naturalem acceperit legem, & idcirco postea lex data sit per Moysen, quia prima lex dissipata est, de qua Apostolus loquitur: Cum enim*
Ro.2.14. *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, &c.*

CAPVT II.

De dignitate Naturæ & Rationis.

PRæstantiam & dignitatem Naturæ, siue legis naturalis, & Rationis non modo prisci Patres, verumetiam Ethnicorum Philosophi agnouerũt. Latinorum vetustissimus TERTVL. in libr. de testimonio animæ, cũ ingenuose rationibus aliquot naturalibus probasset gentiles vnum Deum agnoscere, animamque hominis immortalem tandem subiicit hæc verba: *Hæc testimonia animæ quanto vera, tanto simplicia, quanto communia, tanto naturalia: quanto naturalia, tanto diuina, non putem cuiquam friuolum & frigidum videri posse, si recogitet naturæ maiestatem, ex qua censetur auctoritas animæ. Quantum dederis magistræ, tãtum adiudicabis discipulæ, magistra natura, anima discipula. Quicquid aut illa edocuit, aut ista perdidicit, à Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistræ.* Et initio libri de Pœnitentia: *Res Dei*, ait, *ratio est: quia Deus omnium conditor nihil non ratione prouidit, disposuit, ordinauit, nihil non ratione tractari intelligiq; voluit.* CLEMENS Alexãdrinus in quarto Stromatũ ita de natura loquitur: *Bene dicit Democritus naturam & doctrinam rem esse persimilem. Causam autem breuiter reddimus: natura enim hominem*

nem concinnat & componit: concinnans autem & componens naturam ei tribuit. Neque interest an natura fuerit effectus talis, an tempore & disciplina transformatus. Utrumque autem præbuit Dominus, illud quidem per creationem: hoc verò per recreationem & renouationem, quæ fit ex testamento. LACTANT. libr. 3. diuinarum institutionum: *Philosophi*, ait, *naturam esse dixerunt rerum omnium matrem.* Et lib. 2. *Melius Seneca omnium Stoicorum acutissimus, vidit nihil aliud esse naturam, quam Deum. Ergo, inquit, Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? nec illam didicit ex vllo, immo laudabimus, quamuis enim naturalis illa sibi illam dedit, quoniam Deus ipsa natura est.* S. AMBROSIVS lib. 2. hexæmeron agens de aquis quæ super cœlos sunt: *Qui iussit discerni aquam interiecto & medio firmamento prouidit, quemadmodum diuisa atque discreta manere possit; Sermo Dei virtus naturæ est & diuturnitatis substantia.* Et libro 1. de Abraham Patriarcha: *Barbarus ius nouit naturæ. Maior lex naturæ, quam legum præscriptio est.* Et libro 3. hexæmeron: *Quis pineam videns non stupeat tantam diuino præcepto artem inolitam, impressamq; naturæ? quemadmodum ab ipso centro distantibus licet mensuris pari assurgat glutino, quo proprios fouet fructus. Itaque per circuitum eadem species & ordo seruatur, & quidã in singulis plagis nucleorum partus exuberat, atque in orbem redit fructus gratia.* Ibidem ostendit artem omnem longe à natura superari: *Considerate*, inquit, *lilia agri, quantus sit candor in foliis, quemadmodum stipata ipsa folia ab imo ad summum videantur assurgere, vt scyphi exprimant formam, vt auri quædam species intus effulgeat, quæ tamen vallo in circuitu floris obsepta nulli pateat iniuriæ. Si quis hunc florem decerpat, & sua soluat*

L.c.27. Id.c.8. Ambr.c.3. Id.c.2. Id.c.16. cap.8.

in

in folia, quæ tanti artificis est manus, quæ possit lilij speciem reformare? Quis tantus imitator naturæ, vt florem hunc redintegrare præsumat, cui Dominus tantum testimonium dedit, vt diceret: Nec Salomon in omni gloria
Matth. 6. 29. *sua vestiebatur, sicut vnum ex istis. Rex opulentissimus & sapientissimus inferior indicatur, quam huius floris*
A.c.4. *pulchritudo est.* Et libro 6. hexæmeron: *Validius est naturæ testimonium, quam doctrinæ argumentum. Cuique animanti incognitum est, quemadmodum suam tueatur salutem. Quis eas vsum medendi, herbarumq́, docuit habere notitiam? Homines sumus & sæpe specie herbarum fallimur, & plerunque quas salubres putamus, noxias reperimus. Feræ solo norunt odore noxia & profutura discernere: nullo præuio, nullo prægustatore carpitur herba, nec lædit. Melior enim magistra veritatis natura est. Hæc sine vllius magisterio suauitatem sanitatis nostris infundit sensibus: eadem doloris acerbitatem docet esse fugiendam. Hinc vita dulcior, mors amarior. Hæc commendat leenæ catulos suos, & immitem feram materno mollit affectu. Natura hoc bestijs infundit, vt catulos proprios ament, fœtus suos diligant. Sic enim omnia temperauit Deus, vt quibus minus rationis daret, plus indigeret affectus.*

Aug.c. 25. S. AVGVSTINVS libr. 14. de ciuitate Dei: *Ipse iustus non viuit vt vult, nisi eo peruenerit, vbi mori, falli, offendi omnino non possit, eiq́, id sit certum, ita semper futurum. Hoc enim natura expetit: nec plenè atque perfectè beata erit, nisi adepta, quod expetit.* Ad maximam autem dignitatem pertinet naturæ, quod naturaliter appetat finem tam sublimem, nempe beatitudinem æternam, atque adeo ipsum Deum, ac præterea quod ad finem illum licet per supernaturalia
A.c.2. media consequendum à Deo condita sit. Idem de

ratione

ratione lib. 1. contra Academicos ita scribit: *Quid censes, inquam, aliud esse beate viuere, nisi secundum id quod in homine optimum est viuere? Quis verò dubitauerit, nihil aliud esse hominis optimum, quàm eam partem animi, cui dominanti obtemperare conuenit cætera quæque, quæ in homine sunt? Hæc autem, ne aliam postules definitionem, mens aut ratio dici potest.* Iam Philosophorum audiamus pronunciata.

M. TVLLIVS Academicarum quęstionum lib. 2. inducit Carneadem asseuerantem: *summum bonũ esse frui ijs rebus, quas prima natura conciliauisset.* Et lib. 1. Platonicos affirmantes *nulla alia in re, nisi in natura, quærendum esse illud summum bonum, quo omnia referrentur.* Et libr. 3. de finibus ait: *omnium bonorum extremum esse congruenter naturæ, conueniẽterq; viuere.* De natura verò Deorum lib. 2. *omnia subiecta esse naturæ, eaq; ab ea pulcherrimè regi.* Et tertio de officiis: *naturæ rationem esse legem diuinam & humanam.* SENECA libro quarto de beneficiis: *Quid aliud est natura, quam Deus & diuina ratio toti mundo & partibus eius inserta?* Et rursus: *Nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura, sed idem est vtrumque, nec distat.* Et libro de beata vita: *Solemus dicere, summum bonum esse secundum naturam viuere.* Et infra: *Secundum naturam viuo, si totum me illi dedo, si illius admirator cultorque sunt.* De Ratione verò ita loquitur: *Nihil*, ait in quarto de beneficiis: *sine ratione faciendum est. Ratio omnis honesti comes est.* Et ad Lucilium: *Omnes virtutes rationes rectæ sunt. Ratio arbitra est bonorum ac malorum. Vnum hominis bonum est: sola perficit hominem, & beatum facit. Ratio Diis hominibusq; communis.* CLAVDIANVS in Consulat. Manlij.

S. c. 7.
Ib. c. 8.
Id. c. 31.
Cap. 32.
Id. c. 10.
Id. ep. 66. & 76. & 92.

Diis

---Dijs proximus ille est,
Quem ratio, non ira mouet, qui facta rependens
Consilio, punire potest mucrone cruento.

CAPVT III.

De Naturæ, naturalisq; Legis proprietatibus.

NOrit beneuolus lector sermonem tantum à nobis hic institui de naturis à Deo conditis. Nec enim latet nos, Deo quoque competere suam essentiam vel naturam, & Christi personam constare ex duabus naturis diuina & humana. Variæ autem rerum à Deo conditarum sunt proprietates, quas hic generatim persequemur more nostro, hoc est, adscripto verbi diuini, vel Patrum, vel Scriptorum Ethnicorum testimonio.

I. PROPRIETAS. In natura nihil est nisi bonum, immò non potest esse natura, in qua nullum
Eulg.c.21. sit bonum. FVLGENTIVS in libro de fide ad Petrum diaconum: *Firmissimè tene & nullatenus, inquit, dubites, nullam esse malam naturam, quia omnis natura,*
P.c 296. *inquantũ natura bona est.* B. PROSPER in sententiis
A.Ench. ex Augustino: *Non potest esse vllum malum, nisi in ali-*
13. *quo bono, quia non potest esse nisi in aliqua natura. Om-*
Aug. c.13. *nis autem natura inquantum natura, bona est.* S. AVGVSTINVS 19. de ciuitate Dei: *Natura est, in qua nullum malũ est, vel etiam in qua nullum potest esse malũ. Esse autem natura, in qua nullum bonum sit, nõ potest.*

A. serm.2. II. PROPRIETAS, *naturæ omnium eadem, sed disciplina diuersa.* Ita AMBROSIVS in Psalmum 118. Et libro de Noe & arca, cap.2. *Naturæ bonum omnibus ineſt.* Similiter & Lex naturalis eadem est
Lact.c.8. apud omnes: de qua LACTANTIVS libro sexto:

Nec

Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed omni genti, & omni tempore vna lex & sempiterna & immutabilis continebit, vnusq; erit cõmunis quasi magister & imperator omniũ DEVS, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturæ hominis aspernabitur.

III. Natura vel lex naturæ non suam, sed communem vtilitatem spectat. Sic idem S. AMBROS. in 1. de Offic. *Natura omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari iussit omnia, vt pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio. Natura igitur ius commune generauit: vsurpatio ius fecit priuatum.* Et lib. 2. *Si vna lex naturæ omnibus, vna vtiq; vtilitas vniuersorum. Quod si vna vtilitas vniuersorum, ad consulendum vtique omnibus naturæ lege constringimur.* A. cap. 28. Id. cap. 4.

IV. Nec natura, nec lex naturalis potest mutari, nisi à Deo. Sic CLEMENS Alexandr. in Pædagogo: *Nunquam*, inquit, *naturæ vis potest afferri, vt mutetur.* Et LACTANT. lib. 6. *Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per populum solui hac lege possumus.* S. AMBROSIVS de fide resurrectionis: *Non resoluẽdus*, ait, *ordo naturæ. Quod enim commune est omnibus, exceptum in singulis esse non potest.* M. TVLLIVS in Lælio: *quia natura mutari nequit, idcirco veræ amicitiæ sempiternæ sunt.* PLVTARCHVS in Apophthegmatis: *Ciuilia quidem iura*, inquit ex sententia Dionysij tyranni senioris, *violari possunt, naturæ non possunt.* Qua de causa *quod contra naturam est*, vt loquitur TERTVLL. libro de corona militis, *monstri meretur notam penes omnes.* Quod autem Deus possit mutare naturam liquet exemplis Scripturæ multis, vt solis stantis in C. lib. 2. c. 10. L. cap. 8. Instit. tit. de iur. nat. gent.

Ios.10.13. Isa.38.8. Iosue, & retrorsum regressi tempore Ezechiæ regis. Vnde S. AVGVST. libro 21. de ciuitate Dei Aug.c.8. allatis his exemplis ait: *Sicut Deo non fuit impossibile quas voluit instituere, sic ei non est impossibile in quicquid voluerit, quas instituit mutare naturas.* Licet ibidem addat non fieri contra naturam, quod fit Dei voluntate.

V. Lex naturalis nemini est ignota, omnésque simulac ad rationis vsum ipsum peruenerint, obligat ad peccatum, vt pulchrè declarat S. HIERON. H.ep.9.8. Ro.2.14. ad Algasiam, in hæc verba: *Ista lex quæ in corde scribitur:* (de qua Apostolus ad Romanos) *omnes continet nationes, & nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Vnde omnis mundus sub peccato, & vniuersi homines præuaricatores legis sunt, & idcirco iustum iudicium Dei est, scribentis in corde humani generis. Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris. Quis enim ignoret homicidium, adulterium, furtum, & omnem concupiscentiam esse malum, ex eo quod ea sibi nolit fieri? Si enim mala esse nesciret, nequaquam doleret sibi esse illata. Per hanc naturalem legem & Cain cognouit peccatum suum, dicens: Maior est causa mea,* Gen.4.13. *quam vt dimittar. Et Adam & Eua cognouerunt pec-* Gen. 3.8. *catum suum, & propterea abscõditi sunt sub ligno vitæ.* Exo. 9.27. *Pharao quoque antequam lex daretur per Moysen, stimulatus lege naturæ sua crimina confitetur, & dicit: Dominus iustus, ego autem & populus meus impij. Hanc legem nescit pueritia, ignorat infantia, peccans absque mandato, non tenetur lege peccati. Cum autem mandatum venerit, hoc est, tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala, tunc incipit peccatum reuiuiscere, & ille mori, reusq; esse peccati. Non quod intelligentia peccatum sit, lex enim intelligentiæ sancta & iusta*

iusta & bona est: sed per intelligentiam peccatorũ atque virtutum mihi peccatum nascitur, quod priusquam intelligerem, peccatum esse non noueram. Huculque ille. Idem docet S. BASIL. in Psalm. 1. *Postquam*, inquit, *ratio ad perfectum venit, tunc fit, quod scriptum est, adueniente mandato peccatum reuixit: ego autem mortuus sum. Oriuntur namq; carnis affectionibus cogitationes animis nostris ingenitæ. Reuera namq; vbi mandatum venit, hoc est cognitio bonorum, si prauæ cogitationi non fueris dominatus, sed rationem permiseris ab affectibus captiuari, reuixit quidem peccatum, at mens morti succumbit delictis mortificata.* Ro. 7. 10.

V. Conueniens est in ratione viuendi sequi ductum & inclinationem naturæ, iuxta illud: *Naturæ sequitur semina quisque suæ.* Ita GREGOR. Nazianzenus in epistola ad Eudoxium Rhetorem: *Vetus*, inquit, *erat Athenienſium consuetudo, atque ea meo iudicio pulcherrima. Postquam ad pubertatis annos venerant adolescentes, ducebantur ad artificia. Proponebantur publicè cuiusuis artificij instrumenta. Quocunque tum quisque delectabatur, & quod accurrebat illius edocebatur artificium: propterea quod quæ ad naturæ ductum fiunt plerunque bene succedunt: quæ verò præter naturam præsumuntur, frustra tentantur.* M. TVLLIVS in primo de officiis: *Sic est faciendum, vt contra naturam vniuersam nihil contendamus: ea tamen conseruata propriam naturam sequamur: neque enim naturæ attinet repugnare. nihil enim decet inuita, vt aiunt, Minerua, id est, aduersante & repugnante natura.* SENECA ad Lucilium. *Propositum nostrum est, secundum naturam viuere.* Propert. l. 3. el 9. G. ep. 117. S. ep. 5.

VI. Naturæ humanæ indita sunt quædam virtutum semina. Ita S. HIERON. lib. 1. commentar. H. in ca. 1.

in epist.ad Galatas: *Perspicuum est, natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quenquam sine Christo nasci, & nõ habere semina in se sapiẽtiæ & iustitiæ, reliquarumq; virtutum. Vnde multi absque fide & Euangelio Christi, vel sapiẽter faciunt aliqua, vel sanctè, vt parẽtibus obsequantur, vt inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant, magisq; iudicio Dei obnoxij fiãt, quod habẽtes in se principia virtutũ & Dei semina,* Sen.ep.90. *non credunt in eo, sine quo esse non possunt.* Et SENECA Id.ep.108. & 120. ad Lucilium: *Non dat natura virtutem. ars est, bonum fieri. virtus non contingit animo, nisi instituto & edocto.* Et iterum: *Facilè est auditorem concitare ad cupiditatem recti. omnibus enim natura fundamenta dedit, semenq; virtutum.* Et: *Natura semina nobis scientiæ dedit, scientiam non dedit.*

VII. Naturæ humanæ maximè indita virtus Iob 31.18. est benefaciendi aliis. Vnde B. IOB reddens rationem beneficentiæ suæ in pauperes: *Quia ab infantia,* inquit, *mea creuit mecum miseratio, & de vtero* Sen.c.29. *matris meæ egressa est mecum.* Et SENECA in sexto de Benefic. *Naturam per se pronam ad humanitatem, ad misericordiam & clementiam irritet ac prouocet turba gratorum.*

VIII. Natura humana paucis est cõtenta. Quam proprietatem non semel explicandã sumpsit idem Seneca ad Lucil. SENECA, vt epistola quarta: *Parabile est, quod natura desiderat & expositum: ad superuacua sudatur. Ad manum est quod sat est.* Et epist. 16. *Ab Epicuro dictum est: Si ad naturam viues, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam diues. Exiguum natura desiderat, opinio immensa.* Et epist. 25. *Panem & aquam natura desiderat: nemo ad hæc pauper est, intra quæ quisquis desiderium suum clausit, cum ipso IOVE*

de

de felicitate cõtendat, vt ait Epicurus. Consentit LVCANVS libro 4. bellorum ciuilium.

Discite, quam paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus.
Non auro, myrrhaq; bibunt, sed gurgite puro,
Vita redit: satis est populis fluuiusq; Ceresq;.

Et IVVENAL. Satyr. 14.

---------mensura tamen quæ
Sufficiat sensus, si quis me consulat, edam.
Inquantum sitis atque fames, & frigora poscunt.
Quantum Epicure tibi paruis suffecit in hortis,
Quantum Socratici cœperunt ante penates.
Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicet.

Et CLAVDIAN. lib. 1. in Ruffin.

Viuitur exiguo melius. natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti.

IX. Etiamsi, qui natura & ratione præditi sunt, aliquando delinquant, nõ tamen vitio naturæ vel rationis delinquunt: sed voluntatis. Ita S. AMBROSIVS docet lib. 1. de officiis: *Nam etsi*, inquit, *vis quædam naturæ in omni appetitu sit, tamen idem appetitus rationi subiectus est lege naturæ ipsius, & obedit ei. Vnde boni speculatoris est, ita prætendere animo, vt appetitus neque præcurrat rationem, neque deserat: ne præcurrendo perturbet atque excludat, eamq; deserendo destituat, &c. Hæc dum fiunt, abiscitur illa naturalis quædam censura, grauitasq; morum.* Amb. c. 47.

X. Qui delinquunt, facilè vitia sua, diligentia, vsu & exercitatione corrigunt: *Vsus*, ait AMBROS. lib. citato, *cito inflectit naturã.* Et in Psalm. 36. *Vince naturam diligentia, exclude corporis somnũ. Naturam nobis formare non possimus possumus diligentiam.* Et Amb. c. 20.

M. TVLLIVS lib. 2. de Diuinatione: *Multi etiam* ait, *naturæ vitium, meditatione atq; exercitatione fustulerunt, vt Demosthenem, scribit Phalæreus, cum rho dicere nequiret, exercitatione feciſſe, vt planiſſimè diceret.* Et PLVTARCHVS libro de liberis educandis: *Quæ*, inquit, *imbecilla adeo natura, quæ per exercitationes atque certamina ad maximas non augeatur vires?*

VIDE De Statu gratiæ & Liberi arbitrij & de Statu Innocentiæ.

DE NOBILITATIS STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Nobilitatis intelligatur.

NOBILITAS, ſi vocis originem ſpectemus, à noſco deriuatur. Nobilis enim dicitur quaſi noſcibilis: nam & pro noto vſurpatur à VIRGILIO in Æneide.

V. Æn. 7.

Eſt locus Italiæ medio ſub montibus altis
Nobilis.-----

Si ſignificatum ſpectemus, clarum & celebrem deſignat, & in bonam, malámve partem à bonis Auctoribus accipitur. In bonam cum ad generis vel ſtemmatis dignitatem refertur. Sic M. TVLLIVS nobili loco natum. Salluſtius, nobili genere natum dixit: In malam, vt cũ PLAVTVS ſcripſit quoſdam *ſcelere nobiles*, & S. HIERON. nuncupauit Heluidium hæreticũm *ſcelere nobilem*. Cicero *facinus nobile*. LIVIVS *inimicitias nobiliſſimas*.

Cic. 1. de diuin. Sall. in Catil. Plaut. in Rud. 16. H. contra Helu. C. 4. Verrina. Liu. li. 39.

Nos

Nos tantum in bonam accipimus, & præcipue pro eo qui virtute & genere clarus est.

In Bonam autem partem accepta potest esse quadruplex. Naturalis, Supernaturalis, Politica & Mixta ex politica & supernaturali. Nobilitas naturalis est partim rerum creatarum rationis expertium, partim rationalium, id est, hominum. Sic Ovidius de Tristib. Leonem facit nobilem inter brutas & feras animantes, dum canit: O. Eleg. 4.

Quo quisq; est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.
At lupus & turpes instant morientibus vrsi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

Sic *fontes* facit *nobiles* Horatius 3. Carminum. Seneca in Hyppolyto *formam*. M.T. *fundos*. Plinius lib. 10. *columnas*. Propriè autem nobilitas naturalis conuenit hominibus, vt sunt illi, qui secundum naturam tales nascũtur, vt aliis imperare valeant, vt annotauit Aristoteles primo Politicorum, vbi caput quintum ita cõcludit: *Quod igitur*, inquit, *sint secundum naturam alij liberi, alij serui, patet: quibus & seruire prodest ac iustum est*. Et in sequenti capite arguit illos, *qui virtute & vitio definiũt seruum & liberum, nobilesq; & ignobiles*. Svpernatvralis vel Theologica est, qua quis nobilis est apud Devm. Nobilis autẽ apud Deum est, quicunque iustus est, vel in gratia vel charitate Dei: nam in primo Regum Dominus dicit: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*: Nobilitas eorum qui in gratia Dei sunt, inde cognoscitur, H. ode 13. S. Hip. 6. C. pro Roscio. Plin. c. 37. A. cap. 5. 1. Reg. 2. 29.

quod passim in Sacris litteris vocantur amici Dei, in adoptionem filiorum DEI asseiti, filij DEI, hæredes & cohæredes Christi, diuinæ consortes naturæ, reges, sacerdotes, Dij. Eodem pertinet omnis nobilitas, quæ ex virtute, & rebus præclarè gestis originem ducit. TERTIA est Politica seu ciuilis, quæ ab aliis dicitur stirpis & sanguinis, qua Nobiles dicuntur, qui originem ducunt à maioribus nobilibus, qui rebus aliquando gestis claruerunt, & distinguntur à plebeis, & vulgo. QVARTA denique est mixta ex hac Politica & Supernaturali vel Theologica, & potest describi qualitas proueniens ex parentibus sanguine claris, virtutibus ac probis moribus instructa. Atque hæc aliis præstantior & excellentior videtur.

Ioan 1.12. Ro 8.14. 17. 2. Pet. 1.4 1. Pet. 2.9. Ioan.10. 34.

CAPVT II.

Veram nobilitatem non ex genere, sed ex virtute petendam.

QVOD vera Nobilitas non ex genere aut prosapia, sed ex virtute & gratia diuina, sine qua nullæ salutares sunt virtutes, sit petenda, possumus primum probare ex diuinis litteris. Nam apud Ioannem Apostolum habemus has sententias: *Omnis qui facit iustitiam ex Deo natus est.* Et: *Omnis qui diligit ex Deo natus est.* Et: *Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* At Deo cõstet nihil esse nobilius. Ille enim est de quo B. Paulus: *Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo, honor & gloria in secula seculorum. Amen.* Et: *Huius rei gratia flecto genua ad Patrem Domini nostri IESV Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in*

1.Ioan 2. 29.1.Ioan. 4 7. 1.Tim.1. 17. Eph. 3.14.

& in terra nominatur. Ac de quo B. IACOBVS: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio:* Qui ergo talem Patrem, omnis nobilitatis auctorem & parentem sibi vendicare, potest, non potest de sua nobilitate dubitare, licet hæc ignota sit mundo, quod etiam S. Ioan. in ead. epist. indicauit, dicens: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus: propter hoc mundus non nouit nos: quia non nouit eum.* 2. probare possumus ex historia Euangel. eiusdem B. Ioannis, nam cum Christus Iudæos negaret esse liberos, nisi à veritate à peccatis liberentur: *Responderunt: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam, quomodo tu dicis, liberi eritis.* iactãtes videlicet nobilitatem originis suæ. Sed *respondit eis IESVS: Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati, seruus autem non manet in Domino in æternum, filius autem manet in æternum; si ergo vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* 3. probamus ex historia Matthæi: Nam cum quidam moneret Christum, matrem suam & fratres suos stare foris, Christus respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror & mater est.* Et apud Lucam: *cũ extollens vocem quædam mulier de turba diceret. Beatus vẽter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Christus dixit: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* In quæ verba S. IOAN. CHRYSOST. *Illud etiam probat, nec matrẽ, nec fratres suos, nec quoscunque alios sua fretos necessitudine virtutem negligere oportere.*

Iac. 1. 17.

1. Ioan. 3. 1.

Ioan. 8. 35.

Matth. 12. 46.

Luc. 11. 27.

Chr. hom. 45. in Matth.

Nam si nullam etiam mater, inquantum mater, vtilitatem consequitur, etsi virtutem colat, multo minus alij necessitudine saluabuntur. Vna enim & sola communis nobilitas atque necessitudo cum Christo est, vt voluntatem Dei facias: hic propinquitatis modus multo melior est illo atque vberior. Quæ omnia probè facientes, nec de filiorum gestis gloriemur, nisi virtutes eorum imitemur: nec de parentum nobilitate nobis quicquam arrogemus, nisi probam eorum vitam sequamur. Idcircò alibi cum mulier quædam dixisset: Beatus venter qui te
Luc. 11. 27. *portauit, & vbera quæ suxisti, non respondit, nullus me portauit venter, nec vlla ipse vbera suxi: sed beati qui faciunt voluntatem Patris mei. Vides quemadmodum nullibi hanc naturæ coniunctionem hominum negat, sed addit semper illam, quæ à virtutibus est. Præcursor*
Matth. 3. 7. *etiam Ioannes cum dicit: Genimina viperarũ, ne videamini dicere: Patrem habemus Abraham, noluit ostendere, quia non essent ex Abraham, sed quia nihil illis proderat esse filios Abrahæ, nisi etiam virtute illi coniungerentur, quod & Christus denotat, dicens: Si filij Abrahæ estis, opera vtiq; Abrahæ facietis. Nec enim carnis cõiunctione ab Abraham eos separare volebat, sed admonebat, vt nobiliorem, atq; veriorem inuestigarent propinquitatem.* Et paulo post: *Quando autem mulier illa exclamauit dicens: Beatus venter, qui te portauit, non dixit se non habere matrem, sed inde matrem quoque suam beatitudinem consecuturam asseruit, si Patris eius faceret voluntatem: quam qui diligenter sequuntur & fratris, & sororis & matris retinent locum. O mirabilem honorem, ô virtutis incredibiles vires, quo ducitis bene viuentes homines? mulieres sanctissimam illam Virginem beatificauerunt, quotquot verum illum admirantur, quotquot optarunt tales fuisse matres & cætera*

contem

contemnere omnia. Quid igitur prohibet? Ecce namque rectam ac facilem viam nobis proposuit, vt non fœminis solum, verumetiam viris ad hunc ordinem peruenire liceat, imò verò etiam ad maiorem. Multo enim propinquiores Deo sunt, qui voluntatem eius faciunt, quam qui summa carnis necessitudine coniunguntur. 4. Probatio sumitur ex eo, quod DEVS in veteri testamento, & Christus filius Dei, in nouo, quibus nihil nobilius habemus, fecisse legitur. Legimus autem Deum populi sui Iudaici elegisse Duces & Principes, non genere & prosapia illustres, sed pecori curando in vacantes, vt MOYSEN, qui vt est in Exodo, *pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian.* Et SAVLEM, qui cum, vt est in historia Regum, ad regium thronum euehendus esset, operã dabat amissis asinabus patris suis quærendis. Quí & de se ait: *Nunquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin?* Et denique DAVIDEM regem *de post fœtantes acceptum*, vt ipse fatetur. CHRISTVS quoque in Apostolos, non nobiles, sed plebeios & viles homines elegit. Vnde B. PAVLVS in priore ad Corinthios: *Videte*, inquit, *vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes non multi, nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit DEVS, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit DEVS, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.*

Exod. 3. 1. 1. Reg. 9. 1. Ib. v. 21. Psalm. 77. 71. 1. Cor. 1. 26.

IAM verò non aliud SS. Patres docent. CLEMENS quidem Alexandrinus in altero Stromatæo etiã ex Platone conatur probare Christianos,

quâ

quâ Christianos esse summæ nobilitatis & regios,
1.Petr.2.9. quod poterat & ex Scriptura, quæ nos facit Re-
Exod.19. 6. ges: *In Politico*, inquit, *Plato hic verbis agit. Quare veri Reges regalis est sapientia, & qui eam possederit, siue princeps, siue priuatus fuerit, omninò ex hac quidem arte βασιλικός, id est, regalis, seu regnandi peritus appellabitur. Iam qui in Christum crediderunt, Christi, id est, uncti & sunt & dicuntur, sicut ij qui sunt reuera regales Regi curæ sunt. Sicut enim sapiētes, sunt sapientia sapientes, & qui sunt iusti iure iusti sunt: ita etiam sunt à Christo Rege reges, & qui Christi sunt, sunt Christiani.* Et infra: *Quis autem eo fuerit nobilior, cuius*
Luc.3.8. *Pater est DEVS?* S. Ambros. in verba Lucæ:
Amb.l.2.c. 3. *Et ne cœperitis dicere, Patrē habemus Abraham. Admonentur*, inquit, *Iudæi, claritatem sibi operis, quàm nobilitatem generis vindicare, quod nulla in successione prærogatiua sit, nisi fidei adstipuletur hæreditas, quam Dei nutu ad populos gentilium transferendam, sermone Prophetico reuelauit, dicens: Potens est Deus de lapidi-*
Matt.3.9. *bus his suscitare filios Abrahæ.* Et paulo post: *Denique secundum carnem successione manantes & Principes Sodomorum appellatur, & parietes dealbati: ita sibi prærogatiuam generis morum magis similitudo vindicat, quam ordo maiorum.* Et in libro de Nabothe
Id. cap.13. Israëlita: *Quid enim superbis dives? quid dicis pauperi? noli me tangere, nónne sic vtero conceptus, & natus ex vtero, quemadmodum & pauper est natus? quid te iactas de nobilitatis prosapia? Soletis & canum vestrorum origines, sicut diuitum recensere, soletis & equorum vestrorum nobilitatem, sicut Consulum prædicare. Ille ex illo Patre generatus est, & illa matre editus: ille auo illo gaudet, illis se proauis attollit. Sed nihil istud currentem iuuat. Non datur nobilitati palma, sed*

cursui. Deformiter est victus, in quo & nobilitas generis periclitatur. Caue igitur diues, ne in te erubescant tuorum merita maiorum, ne forte & illis dicatur. Cur talem instituistis, cur talem elegistis hæredem? non in auratis laquearibus, nec in porphyreticis orbibus hæredis est meritum. Denique benedicitur diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt. S. GREGORIVS Nazianzenus in laudem Gor- Gr.orat.
goniæ sororis: *Si de ipsa sublimius, sapientiúsque disserendum est. Gorgoniæ patria fuit superna Ierusalem, nobilitas autem diuinæ imaginis cõseruatio, ipsiusq; ad suum exemplar conformatio, quam ratio ac virtus efficiunt, purúmque desiderium rebus diuinis veros atque germanos supernorum mystas indies magis ac magis informans, ac denique originis & naturæ nostræ, causæque, propter quam creati sumus, cognitio.* Et in oratione ad Arrianos: *Magnis*, inquit, *omnibus & excelsis viris, ô præclare, patria est vna superna Hierusalem. Omnibus genus vnum, si inferiora hæc spectare velis, puluis & limus: si superiora spectaculum illud, cuius participes facti sumus, quódque incorruptum seruare iubemur, & cum quo mihi ad tribunal sisti necesse est, vt diuinitus inditæ nobilitatis, imaginisq; rationem reddam. Quisquis igitur recta viuendi ratione, animiq; ad exemplar suum inclinatione spiraculum illud conseruauerit, huic demum nobilitatis ratio constabit. Contra, qui vitijs illud sceleribusq; fœdauerit, formámque alteram, hoc est, serpentis sibi induxerit, ille verè ignobilis & obscurus erit existimandus.* Et inuectiua in Maximum: *Est triplex fere generis consideratio. Aliud enim supernè originem traxit, quo omnes peræquè nobiles sumus, quippe ad imaginem Dei creati. Aliud à carne proficiscitur, quo quidem*

dem haud scio, an quisquam nobilis dici possit, cum id totum corruptione conficiatur. Aliud à virtute vel vitio agnoscitur, cuius vel vberius vel exilius participes efficimur, prout opinor diuinam imaginem vel conseruauerimus, vel deformauerimus, ac deprauauerimus. Atque hanc demum nobilitatem amplectitur, quisquis verè sapiens ac Philosophus fuerit. Nam quartum illud nobilitatis genus, quod in Principum diplomatibus edictisque consistit, tum vllo loco ac pretio habeo, cum pictam formæ elegantiam laudandam duxere. Simiamq; ob id reuereri cœpero, quod leo esse iussa sit. Et in nobilem malè moratum: Quidam olim, ait, probis quidem parentibus natus, verum omni vitiorum genere infamis, alij cuipiam genere non admodum claro, sed eximia virtute prædito maiores suos insolentius efferebat. Ille autem suauiter arridens. Mihi, inquit, probro genus meum est, tu autem generi tuo. Quod dictum, tibi ne animo effluat, caue: ita enim fiet, vt nihil vnquam virtuti anteponas. Nam si quis tibi oris deformitatem, aut odoris fœditatem per contumeliam obiceret, nihilne aliud respondares, quam quod pater tuus formæ pulchritudine excelluisset, aut suauissime olere solitus esset? Age verò, si quis te timidum & ignauum cauillis incesseret, nihilne aliud dicturus esses, quam quod maiores tui sæpe in Olympia vicissent? Proinde si quis te improbitatis & amentiæ conuincat, ne mihi parentes tuos, ne cadauera proferas. Accidit enim haud rarò, vt quis pulcherrimam auróque vndique tectam citharam habens pessimè fides pulset: alius contra vili ac vulgari egregios modulos fundat. Ergo aureis tu quidem, vt dici solet, parentibus natus sis: si tamen ipse improbus es, quid nobilitatis titulo gloriaris? Nam quòd ad generis nostri originem attinet, lutum idem

omnes

omnes ſumus, iiſdem omnes pellibus contecti, atque interim opibus, gloria, patriæq; ſplendore intumeſcimus. Puluis vnus omnes ſumus, ab eodem fictore genus omnes ducimus. In duas partes, non natura, ſed tyrannis homines ſecuit ac diſtinxit. Mihi ſeruus eſt, quisquis turpiter ac flagitioſe viuit: mihi liber eſt, quiſquis virtute vitæque integritate præſtat. Ecquid quæſo ignominiæ mulis ex eo affertur, quod ex aſinis orti ſint? nihil ſane. Quid contra gloriæ aſinis ex eo accedit, quod mulos genuerint? nonne etiam aquilæ pullos quos in lucem ediderunt, abiiciunt? præſtat in obſcuritate generis virtute, quam in maiorum claritate vitiis cumulari. Nam & roſa licet ex aſpera planta naſcatur, fragrantiſſimum tamen odorem afflat. Tu contra ſi è molli terra nihil aliud quam ſpinæ exiſtas, ignem vtiq; promereris. Quî fit itaque, ô aſine molarie, equi faſtum atq; inſolentiam habens, vt in hac profligatiſſima vita ob maiores tantopere glorieris? Denique in laudem Hieronis: Neq; noſtrum eſt, ait, ac ne Philoſophi quidem eam generis claritatem admirari, quæ ſanguine ac diplomatib. comparatur, quippe quam afferant regum ignobilium fortaſſe manus, nobilitatem, velut quiddam aliud imperantium atque decernentium: ſed eam demum nobilitatem intelligo, quam pietas vitaq; ſanctimonia, aſcenſusq; ad primarium illud bonum, ex quo originem traximus, inſculpſit. S. HIERON. ad Celantiam, de inſtitutione matrisfamilias: *Neſcit, ait, Religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones hominum, ſed animos inſpicit ſingulorum. Seruum & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccatis. Summa apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilius Petro, qui piſcator & pauper fuit? quid in fœminis Beata MARIA illuſtrius, quæ ſponſa fabri*

Hiero. ep. 14.

fabri describitur? Sed illi piscatori & pauperi cœlestis regni à Christo creduntur claues. Hæc sponsa fabri me-

1.Cor.1. 26. *ruit esse mater illius, à quo ipsæ claues datæ sunt. Elegit enim Deus ignobilia & contemptibilia huius mundi, vt potentes ac nobiles ad humilitatem facilius adduceret. Nam & aliàs frustra sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cum vniuersi paris honoris, & eiusdem apud Deum pretij sint, qui vno Christi sanguine sunt redempti. Nec interest, qua quis conditione natus sit, cum om-*

A.in Matt. hom.3. *nes in Christo æqualiter renascamur.* Denique AVCTOR imperfecti in verba Matthæi: *Nolite dicere, quia Patrem habemus Abraham. Quid enim prodest ei,* inquit, *quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus actibus bonis ostendit, qui*

Gen. 9 22. *gloriatur in Patribus. Quid profuit Cham, quod filius fuit Noe? nonne separatus de medio filiorum, qui secundum carnem frater natus fuerat, secundum animam factus est seruus? Nec familia eius sancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahæ, quod patrem*

Ios.22.2. *habuit Thare luteorum Deorum cultorem? nonne separatus à genere suo, positus est in caput fidelium, vt iam non diceretur filius peccatorum, sed Pater sanctorum? Nec potuerant gloriam eius sordidare paterni errores. Nam & aurum de terra nascitur, sed non est terra: & aurum quidem eligitur, terra autem contemnitur. Et stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum seruatur, stannum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis non est eius solius, sed communis videtur cum genere. Qui autem de contemptibili genere clarus egre-*

ditur,

ditur, tota gloria claritudinis eius, eius solius est. Item, qui de contemptibili genere cõtemptibilis nascitur, turpitudo contemptibilitatis illius non eius solius est, sed etiam generis eius. Qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitudo eius, eius solius est. Ideo melius est, vt in te glorientur parentes, qui talem filium habent, quam tu glorieris in parentibus. Sic & vos nolite gloriari dicentes, quia Patrem habemus Abraham, sed magis erubescite, quia filij eius estis, & sanctitatis eius non estis hæredes. Ipse enim suo testimonio se conuincit, quia de adulterio natus est, qui non similatur Patri. Hucusque ille.

CAPVT III.

Veram Nobilitatem etiam Philosophi & Poëtæ Ethnicⁱ ex virtute morali petendam docuerunt.

ETsi apud Philosophos & Poëtas nulla fuerit vera virtus, quia fide vera & gratia Dei caruerunt, tamen ipsorum verbis ostendemus eos veritatem nobilitatis in virtute maxime posuisse. ARISTOTELES Peripateticorum Princeps ita in altero Rhetoricorum scribit: *Est autem nobile ex generis virtute: generosum verò ex eo, vt non deficiat à natura. Id quod plerunque non accidit nobilibus, sed sunt multi abiecti.* Aris. c. 15.

EVRIPIDES in carmine suo: Eurip. in Dict.

ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς ἀξιοῖ ἐμοὶ γ' ἀνὴρ
ὁ δ' ἐ δίκαιος κἂν ἀμείνονος πατρὸς
ζηνὸς πεφύκῃ δυσγενὴς εἶναι δοκῶ.
Bonus mihi vir nobilis videtur,
Qui verò non iustus est, licet à patre meliore
Quam Iupiter sit genus deducat, ignobilis mihi videtur.

SENECA ad Lucilium: *Bona mens, ait, omnibus*

Senec. ep. 44. patet: ad hoc sumus nobiles. Patritius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est, quare desperes his te posse fieri parem? Omnes ni maiores tui sunt, si te illis geris dignum. PLATO ait, neminem Regem non ex seruis esse oriundum, neminem non seruum ex Regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versauit. Quis ergo generosus? ad virtutem bene à natura compositus. Hoc vnum est intuendum. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. Et libro 3. de Beneficiis: Eadem omnibus principia, eadémque origo. Nemo altero nobilior, nisi cuius rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis, quam nobiles sunt. Vnus omnium parens mundus est, siue per splendidos, siue per sordidos gradus: ad hunc prima cuiúsque origo perducitur. Et libro primo controuersiarum: Pompeium si hæreditariæ extulissent imagines, nemo Magnum dixisset. Seruium Regem tulit Roma, in cuius virtutibus humilitate nominis nihil est clarius. Quid tibi videtur illi ab aratro citati, qui paupertate sua beatam fecere Rempubl.? Quemcunque volueris, reuolue nobilem, ad humilitatem peruenies. Quid recenseo singulos? cum hanc Vrbem possem tibi ostendere; nudi stetere colles. Inter hæc tam effusa mœnia, nihil est humili casa nobilius, fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium. Potes obiurgare Romanos, quod cum humilitatem suam obscurare possint, osten

S.c.28.

Cont.56.

ostendunt. Sed hæc non putant magna, nisi apparuerit ex paruis surrexisse.

OVIDIVS in epistolis Heroid. Ouid. ep. 11.

Quid iuuat admota per auorum nomina cœlo
Inter cognatos posse referre Iouem?

Et ad Pisonem.

Nam quid imiginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso Consule fasti
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.

Et in 13. Metamorph.

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

IVVENALIS in Satyris. Iuue. sat. 8.

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri, pictósque ostendere vultus
Maiorum & stantes in curribus Æmilianos.
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Famosos Equitum cum Dictatore Magistros?
Si coram Lepidis male viuitur?

Idem.

Quis enim generosum dixerit, hunc qui
Indignus genere & præclaro nomine tantum
Insignis? Nanum cuiusdam Atlanta vocamus,
Æthiopem Cygnum, paruã extortamq́, puellam,
Europen, canibus pigris, scabiéque vetusta.
Læuibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit Pardus, Tigris, Leo, si quid adhuc est,
Quod fremit in terris violentius; ergo cauebis
Et metues, ne tu sis Creticus, aut Camerinus.

Et rursum:

Malo Venusinam, quam te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus adfers Sat. 6.

Grande ſupercilium, & numeras in dote triumphos.

LAERTIVS de vita Philoſophorum: *Anacharſis Philoſophus exprobranti ſibi Attico, quod Scytha eſſet, præclarè reſpondit: At nihil mihi probro eſt patria, ſed patriæ tu.* PLVTARCHVS libro de vitioſa verecundia tale commemorat exemplum: ANTIGONVS *ad adoleſcentem quempiam, qui prognatus quidem ex eleganti viro belli Duce, ſed ipſe ignauus ac mollis, poſtulabat tamen ob id ceteris anteferri. Apud me, inquit, ô adoleſcens, virorum, non parentum virtutibus, præmia ſunt.* Et in vita SYLLÆ: *Quod ſi flagitia,* inquit, *cum ipſa etiam generis nobilitate, ignobilia & honoris expertia ſunt: neque virtus à nobilitate, ſed ex ſe honorem vendicat.* Claudam cum vno Poëta noſtro BOETHIO, qui omnes in nobilitate æquales facit, niſi vitiis degenerent:

B. metro. 6. lib. 3.

Quid genus, inquit, *& proauos ſtrepitis?*
Si primordia veſtra, Auctorémque Deum ſpectes
Nullus degener exſtat. Ni vitijs peiora fouens
Proprium deſerat ortum.—

CAPVT IV.

Nobilitatem generis per ſe eſſe magnifaciendam.

ETSI nobilitas vera originem ſuam & laudem ex veræ religionis, pietatiſque Chriſtianæ & virtutis commendatione obtineat, vt hactenus probatum eſt, non tamen idcirco ſtemmatis ſplendor, & generis nobilitas, licet ab aliquibus aliquando moribus prauis deformetur, parui facienda eſt, aut contemnenda. Primo enim Sacris litteris videmus non exiguam eius rationem haberi.

Gen. 1. & 2. Imprimis in Geneſi legimus *hominem ad imaginem & ſimilitudinem DEI factum:* quod proculdubio

dubio ad magnam hominum omnium, qui singuli secundum imaginem & similitudinem Dei facti sunt, (etiamsi aliquando illam peccatis deforment) nobilitatem pertinet. Deinde in Exodo, Leuitico & Numeris, ac alibi singulæ tribus populi Israëlitici annumeratis eorum maioribus & liberis diligenter describuntur. Tertio eorum Dux Moyses ei præfecit regendo gubernandóque non quoslibet de plebeis, sed nobiles; *Tulique*, ait, *de tribubus* Deut.1.15. *vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos Principes, Tribunos & Centuriones, & quinquagenarios ac Decanos, qui docerent vos singula.* 4. Ecclesiastes cap.10. Eccl.10. *Beata*, ait, *terra, cuius rex nobilis est, & cuius principes* 17. *vescuntur in tempore suo.* Et in Prouerbiis describens; *Mulierem fortem*, ex variis eius laudandis Prou.31. 23. actionibus: *Nobilis*, inquit, *in portis vir eius, quando* Matth.1. *sederit cum Senatoribus terræ.* 5. Cur Matthæus initio sui Euangelij tam prolixè describit generationem vel originem propagationis Christi Saluatoris & Mariæ Virginis, & longius B. LVCAS, nisi Luc.3.23. vt ostendat vim aliquam ponendam in nobilitate generis Christi? Vnde CHRYSOSTOMVS in Matthæum, homilia 1. *Matthæus quidem vtpote Iudæis scribens, nihil amplius studuit ostendere, quam quia ex Abrahæ & Dauid Christus stirpe descenderat. Lucas verò quippe qui omnibus in commune loqueretur, sermonem superius extendit ad ipsum vsque Adam generationes retrorsum numerando perueniens. Et ille quidem statim ab ipsa generatione sumit exordium. Nihil enim magis delectare poterat Iudæum, quam si Christum Abrahæ & Dauidis nepotem esse diceret, hic verò diuerse.* Cur idem Lucas tam accuratè nobi- Luc.1.5. lem Ioannis Baptistæ familiam in capite primo

ſui Euangelij deſcribit, niſi quòd hoc redundaret ad maiorem laudem & encomium S. Ioannis Baptiſtæ, virtus enim in viro nobili magis ſplendeſcit. Vnde AMBROSIVS libro 1. in caput 1. Lucæ: *Docet nos Scriptura diuina, non ſolum mores qui in ijs prædicabiles ſunt, ſed etiam parentes oportere laudari, vt velut tranſmiſſa immaculatæ puritatis hæreditas, in ijs quos volumus laudare præcellat. Quæ enim alia intentio in hoc loco ſancti Euangeliſtæ, niſi vt ſanctus Ioannes Baptiſta nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, paſſione? Sic enim ſancti Samuel mater Anna laudatur, ſic Iſaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam poſteris dereliquit. Sacerdos itaque Zacharias, nec ſolum ſacerdos, ſed etiam de vite Abia, id eſt, nobilis inter ſuperiores familias. Et vxor,* inquit, *de filiabus Aaron. Non ſolum igitur à parentibus, ſed etiam à maioribus ſancti Ioannis nobilitas propagatur.* Verum & apud Marcum laudatur *nobilis decurio Ioſephus ab Arimathia, qui audaciter inierit ad Pilatum, & petierit corpus IESV.* 6. S. Petrus in Actis Apoſtolicis, ex hoc argumento generis, occaſionem ſumpſit animandi Iudæos, ne deſponderent animos, quod Chriſtum crucifixiſſent: *Vos eſtis,* inquit, *filij Prophetarum & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad Patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Magnus enim ad virtutem ſtimulus additur, commemoratione virtutis Maiorum. Sic fecit TOBIAS iunior, cum ſponſam ſuam ad continuandam trium noctium precationem hortaretur, ante coniugij vſum: *Filij,* inquiens, *quippe ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi ſicut gentes, quæ ignorant Deum.* Ea de cauſa Eccleſiaſticus in hæc verba erumpit:

Marc. 15. 43.

Act. 3. 25.

Tob. 8. 5.

Eccl. 44. 1.

Laude

Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. multam enim gloriam fecit Dominus magnificẽtia ſua à ſeculo. Et infra: *Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Cum ſemine eorum permanent bona, & filij eorum propter illos vſque in æternum manent, ſemen eorum & gloria eorum non derelinquetur.* Deinde verò enumerat omnes viros ſanctos & nobiles, vt Henoch, Noë, Moſen, Ioſue, &c. quibúſque rebus geſtis inclaruerint, docet. Sic nobiliſſimus ille ſacerdotum Matathias filius Ioannis, filij Simeonis ex filiis Ioarib, poſt res cum ſumma virtute geſtas moriturus ita allocutus eſt filios ſuos: *Nunc ergo, ô filij, æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento Patrum veſtrorum, & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Et infra: *Vos ergo filij confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipſa glorioſi eritis. Et ecce Simon frater veſter, ſcio quia vir conſilij eſt, ipſum audite ſemper, & ipſe erit vobis Pater.* Sic denique Chriſtus Saluator noſter, cuius generationem nobiliſſimam nemo hominũ, angelorúmve enarrare nouit, diſcipulis ſuis: & nobis omnibus qui eius diſcipulatum ſuſcepimus, & filij eius & hæredes conſcripti ſumus, impendente iam paſſione & morte conteſtatus eſt apud B. Ioannem: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* 1. Mach. 2. 50. Ioan. 13. 15.

IAM verò, ſi nobilitas generis paruifacienda eſſet, vel contemnenda, S. Patres ab ea non collaudaſſent eos, qui maxime opes, nobilitatem, omnéſque huius mundi honores contempſerũt. Ita enim

Hier. ep. 27. S. HIERON. ad Eustochium virginem prænobilem Epitaph. Paulæ matris inchoauit: PAVLA *nobilis genere, sed multo nobilior sanctitate, potens quondam diuitijs, sed nunc Christi paupertate insignior. Gracchorum stirps, soboles Scipionum, Pauli hæres, cuius vocabulum trahit, Martiæ Papiriæ, matris Africani vera & germana progenies, Romæ prætulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia infirmis luti vilitate mutauit.* Et paulo post; *Tali igitur stirpe generata, iuncta est viro* Virgil. 1. Æn. *Toxotio, qui Æneæ & Iuliorum altissimum sanguinem trahit. Vnde etiam filia eius Christi virgo Eustochium Iulia nuncupatur, & ipse Iulius à magno demissum nomen Iulo. Et hæc dicimus, non quod habentibus grandia sint, sed quo contemnentibus mirabilia. Seculi homines suscipiunt eos, qui his pollent priuilegijs: nos laudamus, qui pro Saluatore ista despexerint.* Deinde ipse Hieron. longissimam epist. tali claudit Epitaphio suo.

Titulus Sepulchri.

Scipio quam genuit, Pauli fudere parentes
Gracchorum soboles, Agamemnonis inclita proles,
Hoc iacet in tumulo, Paulam dixere priores,
Eustochij genetrix, Romani prima Senatus,
Pauperiem Christi & Bethlehemitica rura secuta est.

Similes laudes à generis & familiæ præstantia aliis multis locis idem Sanctus texit, vt in epistola 8. ad Demetriadem de Virginitate seruanda, & epistola 10. ad Furiam de Viduitate seruanda. & 16. ad Principiam, de Marcellæ Epitaphio, &c.

Gre. orat. de S. Cypr. S. GREGOR. quoque Nazianzenus in laudem S. Cypriani perorans, ita loquitur: *Hic inquam* CYPRIANVS *Carthaginensium quondam, nunc autem totius orbis eximium decus, opibus conspicuus, potentia illustris, genere clarus, siquidem maximum nobilitatis argumen*

argumentum est Senatorem esse, primariámque in eo ordine sedem obtinere flos iuuentutis, elaboratum naturæ opus, doctrinæ principatus, tam Philosophiæ quam cuiusuis alterius disciplinæ, idq; quacunque eum parte censere volueris: adeo vt in eo plurimarum artium cognitio mirabilior esset, quam vniuscuiusque perfecta & exacta scientia. Et in laudem S. BASILII: *Si maiorum imaginibus eum, generisq; splendore, aut vllis omnino leuibus rebus, quibus humi defixi homines efferri solent, gloriari viderem, alius vtique Heroum Catalogus appareret. Tot tantáque à maioribus illius ad eum ornandum accipere possemus, ac ne historijs quidem hac parte cederemus, hoc certe nomine superiores futuri, quod non fabulosis narrationibus, sed rebus ipsis, quarum multi testes sunt, gloriaremur. Ecquæ enim in familia plures vnquam exstiterunt, qui copijs militaribus præfuerint, populos rexerint, apud Imperatorum aulas gratia & auctoritate valuerint, opibus, sublimibus thronis, publicis honoribus, laudibusq; claruerint? In quibus quidem commemorandis si animo obsequi liceret, nec Pelopidæ quicquam præ illis essent, nec Cecropedæ, nec Almæones, nec Æacidæ, nec Heraclidæ, nec alij nobilitate præstantissimi viri, qui cum nihil proprium habeant, quod apertè prædicent: ad obscura & ignota confugiunt, generisq; sui originem ad dæmones quosdam Deósque fabulosos referunt; quorum est ea ratio, vt quod de ipsis magnifice narratur, fide careat: quod auidè creditur, flagitiosum sit, contumeliæq; plenum.* Id. orat. de S. Basil.

Et B. PROSPER ad Demetriadem Virginem: *Valde, inquit, mirabile erat, & inter præcipua diuinæ gratiæ exempla numerandum, quod virgo ANITIA super omnes fastigium trahens beatæ nobilitatis euecta, de cuius fœcunditate auis atque atauis responsata posteritas, & familiæ votis expectabatur & patriæ, conuerso*

repente animo cœlestium nuptiarum declinasti mortale coniugium, & vt omnem prosapiam etiam huius virtutis titulo consecrares, primam stirpis tuæ perpetuam & virginum filio Virginis spopondisti.

GENTILES quoque Philosophi, qui alioquin veram nobilitatem virtuti rebusque præclare gestis constanter attribuerunt, non aspernandam generis nobilitatem existimarunt, & verò commonefecerunt plurimum valere maiorum virtutem ad posteros incendendos. M. TVLLII in oratione pro SEXTIO sententia est: *Omnes boni semper nobilitati fauemus, & quia vtile est Reipubl. nobiles esse homines dignos maioribus suis, & quia valere debet apud nos clarorum hominum senex de Republica meritorum memoria etiam mortuorum.* Et initio orat. sic hominem laudat: *Parente P. SEXTIVS natus est, homine, vt plerique meministis & sapiente, & sancto, & seuero, qui cum Tribunus plebis primus inter homines nobilissimos temporibus optimis factus esset, reliquis honoribus non tam vti voluit, quàm dignus videri.* Et L. SENECA libr. de Benefic. 4. *Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria, & esse plures bonos iuuat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. Ciceronem filium quæ res Consulem fecit, nisi Pater? Cinnam nuper quæ res ad Consulatum recepit ex hostium castris? Quæ Sextum Pompeium, aliosq; Pompeios, nisi vnius viri magnitudo? tanta quidem, vt satis alte omnes suos etiam ruina eius attolleret. Quid nuper Fabium Persicum, cuius osculum etiam impuri vitabant, sacerdotem non in vno collegio fecit, nisi Verracosi, & Allobrogici, & illi trecenti, qui hostium incursioni pro Republ. vnã domum obiecerant? Hæc debemus virtutibus, vt non præsentes solum illas, sed etiam ablatas è conspectu colamus. Quo-*

S.c. 30.

modo

modo illi ijdem egerunt vt non in vnam ætatem prodesſent, ſed beneficia ſua etiam poſt ipſos relinquerent? SALLVSTIVS auctor eſt cum P. SCIPIO & Q. Fabius, maiorum ſuorum res præclarè geſtas audirēt, eorúmque imagines inſpicerent quam maximè ad virtutem inflammari ſolitos. Ita IVLIVS CÆSAR inſpecta Alexandri Magni imagine magnarum rerum gerendarum gloria incenſus eſt. ALEXANDER quoque ipſe LIBERI Patris triumphis tanquam admotis ſtimulis ad nominis ſui immortalitatem comparandam impulſus. THEMISTOCLES poſt pugnam Marathoniam (in qua Milciades Athenienſium Dux vires Perſarum magna virtute contriuit) inſomnes agens noctes per vrbem ferebatur vt amens, & interrogatus quid ita pernox diuagaretur per vicos? Quia, inquit, trophæa Milciadis me excitant, nec placidam membris dat cura quietem. Enimuero prouocatus illuſtri Milciadis triumpho, ſecum animo cogitabat, quonam pacto tale quidpiam pro patria præſtaret. VALERIO Max. auctore lib. de offic. Maiores natu in conuiuiis antiquorum egregia opera carmine comprehenſa ad tibias canere ſolebant, quo iuuenū animi ad ea imitanda alacriores redderentur: *Quid hoc ſplendidius*, inquit ille, *quid vtilius hoc certamine? Quas Athenas, quam ſchola, quæ alienigena ſtudia huic domeſticæ diſciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricij, Marcelli, Fabij: ac ne ſingula imperij noſtri lumina percurrendo ſim longior, inde, inquam, cœli clariſſima pars Diui fulſerunt Cæſares.* Hæc ille.

Plut. in vita Val. 8. c. 14.

V. li. 2. c. 2.

VIRGIL. Maro commemorat in Æneide ſua, ab Æneæ Aſcan. filiū ad virtutē his verbis incitatum: *Diſce*

V. 12. Æn.

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem
Tu facito, mox cum matura adoleuerit ætas.
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

Ex probatione huius igitur, antegressorumque capitum elucet. Perfectè nobiles esse, qui sua, maiorúmque suorum, à quibus familiam ducant, virtute sunt nobiles, vel qui nobilitate generis splendorem veræ virtutis & pietatis adiungunt. Qualis factus est Sergius PAVLVS Proconsul Romanus,
Act. 13. 22. qui vt est in Actuum Apostolicorum historia conuersus est ab Apostolo: quam conuersionem tanti fecit, vt cum ante ipse vocaretur SAVLVS, eius nomine deinceps PAVLVS appellari voluerit, sciens tam nobilis viri conuersionem, non modo summo gaudio futuram aliis iam conuersis, sed etiam auctoritate sua valituram ad multorum aliorum conuersionem, atque imprimis ad pudefaciẽdum dæmonem, & regnum eius in illis locis de-
A. c. 4. struendum: quod obseruauit bene S. AVGVST.
1. Cor. 1. 26. qui in Confessionum octauo ita de ea re loquitur:
Absit, Domine, vt in tabernaculo tuo pro pauperibus accipiantur persona diuitum, aut pro ignobilibus nobiles, quando potius infirma mundi elegisti, vt confunderes fortia, & ignobilia huius mundi elegisti & contemptibilia, & ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt, vt ea quæ sunt
Act. 13. 22. *euacuares. Et tamen idem ipse minimus Apostolorum tuorum, per cuius linguam tu ista verba sonuisti, cum Paulus Proconsul per eius militiam debellata superbia, sub leui iugo Christi cui missus esset, Regis Magni Prouincialis effectus, ipse quoq; ex priore Saulo PAVLVS vocari amauit ob tam magnæ insigne victoriæ, plus enim hostis vincitur in eo quem plus tenet, & de quo plures te-*
net.

net. Plus autem superbos tenet nomine Nobilitatis, & de his plures nomine auctoritatis. Eadem de causa ibid. gloriatur AVGVST. de nobilis Rhetoris VICTORINI conuersione ita scribens: AGE *Domine & fac, excita & reuoca nos, accende & rape, flagra, dulcesce, iam amemus & curramus. Nonne multi ex profundiore tartaro cæcitatis quàm* VICTORINVS *redeunt ad te? & accedunt & illuminantur recipientes lumen? sed si minus noti sint populis, minus de illis gaudet: etiam qui nouerunt eos. Quando enim cum multis gaudetur, & in singulis vberius est gaudium, quia feruere faciunt se, & inflammantur ex alterutro. Deinde quod multis noti, multis sunt auctoritati ad salutem, & multis præsunt secuturis, ideoq; multum de illis, & qui eos præcesserunt lætantur, quia non de solis lætantur.* Et paulo post: *Quanto igitur gratius cogitabatur* VICTORINI *pectus, quod tanquam inexpugnabile receptaculum diabolus obtinuerat Victorini lingua, quo telo graui & acuto multos peremerat, abundantius exultare oportuit filios tuos, quia Rex noster alligauit fortem, & videbant vasa eius erepta mundari, & aptari in honorem tuum,* Matth. 12. 29. *fieri & vtilia Domino ad omne opus bonum.* Ibid.

CAPVT V.

De Nobilium Proprietatibus.

PROPRIETATVM nomine hic Virtutes quoque Nobilium comprehendimus. Inter primas autem proprietates merito primo loco hic collocãdam recensemus, quam GREGORIVS Theologus de Theologia ponit his verbis: *Non præsentem hanc vitam mortis meditationem facimus, non nobilitatis primum nobis diuinitus indita memores in* G. orat. 1.

hoc

hoc incumbimus, vt affectibus imperemus. Nobilissimus sane sit genere & virtute, qui affectibus suis imperare norit, in quo vno summa omnium virtutum vertitur: *Qui dominatur animo suo*, ait mortalium sapientissimus: *melior est expugnatore vrbium.* Et tamen nobilissimus omnium ALEXANDER Magnus hac virtute caruit, de quo SENECA: *Alexander quidem Persas & Hyrcanos & Indos, & quicquid gentium vsque in Oceanum extendit Oriens vastabat, fugabat q; : sed ipse victor tot Regum atque populorum iræ, tristitiæ q; succubuit. Id enim egerat, vt omnia potius haberet in potestate, quam affectus.* Contra recte laudatur à M. TVLL. nobilissimus IVLIVS CÆSAR, quod acerrimo suo inimico M. Marcello, affectibus imperans, vitam condonarit: *Hæc qui faciat*, inquiens, *non ego cum summis viris comparo, sed simillimum DEO iudico.* Maiori autem & veriori nobilitate præditum se ostendit vir secundum cor Dei Rex Dauid, de quo B. AMBROSIVS libro primo de Iacob & vita beata: *Quem*, inquit, *de hominibus fortiorem & meliorem assumemus, quam sanctum Dauid, qui cupiditatem, qua concupierat aquam de lacu Bethlehem hostili intercluſam exercitu sibi auferre non potuit, potuit mitigare? Nam cum alijs vtique defuisse non inueniamus, id est, tanto exercitus numero, cum vtique multo minus regi deesse potuerit ex cæteris fontibus aqua, irrationabilem quandam concupiscentiam passus desiderauit eam, quæ hostium erat circumfusione vallata, vnde sine maximo periculo non potuisset deferri. Itaque ait: Quis mihi dabit potum de lacu, qui est in Bethlehem, ad portam? Et cum essent reperti tres viri, qui hostium castra præciderent, & deferrent aquam, cum summo desiderio desideraſſet, cognoscens quod periculo alieno*

Prou. 16. 32.

S. ep. 113.

C. ora. pro M. Marcello.

A. c. 1. 2. Reg. 23. 17.

alieno sibi eadem aqua constitisset, profudit illam Domino, ne sanguinem illorum, qui eam detulerant, bibere videretur. Quæ res indicio est, quod concupiscentia quidem rationem præueniat, sed ratio cupiditati resistat. Hæc ille. Dices, magna illa fuit virtus IVLII Cæsaris infidelis. Sed nulla, si conferatur cum virtute nostri DAVIDIS fidelis, qua agens cum SAVLE Rege affectibus imperauit, vt in historia Regum latè narratur. Reg. lib. 1.

II. PROPRIETAS est animi submissio, ne facile ob nobilitatem efferatur: *Quanto enim magnus es*, ait Sapiēs: *humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Vnde HIERONYMVS ad nobilem fœminam: *Nulli te vnquam*, inquit, *de generis nobilitate præponas, neque obscuriores, quasque & humiliore loco natas, te inferiores putes. Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum: seruum & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis.* Et paulo ante: *Nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius. Hæc est enim præcipua conseruatrix, & quasi custos quædam virtutum omnium, nihilque est, quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, quam si vitæ merito magni humilitate infimi simus. Propter quod Scriptura dicit: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Et B. FVLGENTIVS ad Gallam viduam, de statu viduali: *Probæ tibi præcipue sancta conuersatio est in omnibus imitanda. Quæ cum sit auis, atauisq; nata Consulibus, & delitijs Regalibus enutrita, tanta illi humilitas est dono gratiæ cœlestis infusa, vt amore subiectionis & vsu seruiendi, Dominā se aliquando fuisse iam nesciat: cum omnes Dominos habere delectatione sanctæ seruitutis* Eccl. 3. 20. H. ep. 14. F. ep. 2. 16.

tutis affectat. Scit enim à Domino, (cui virginitatem vouit & cordis & corporis) pro liberatione nostra humilitatem formæ seruilis acceptam: & ob hoc delectatur sponso in huius seruitutis humilitate placere. Et paulo post: *Disce igitur tu quoque nihil tibi de nobilitate generis assignare. Et licet auo, patre, socero, marito, Consulibus pridem fueris inter seculares illustris, nunc in eo te fieri illustrem cognosce, in quo tibi virtus humilitatis accrescit. Disce à Domino, quia mitis & humilis corde, & inuenies requiem animæ tuæ. Nobilitatem carnis, quæ superbiæ fomes est abyce, & nobilitatem spiritus perfecta cordis humilitate sectare.* S. AVGVSTINVS libro altero de sermone Domini in monte, inde putauit præcipue nobiles humilitatis cõmonefieri, quod Christus ab omnibus exegerit inuocari, vt Pater omnium. Pater noster qui es in cœlis: *Admonentur etiam hic diuites, inquit, vel genere nobiles secundum seculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire aduersus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt DEO, Pater noster; quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant.* Habent nobiles, duos imitandos in ipsis primordiis Euangelij, Ioannem Baptistam, cuius nobilitas à S. LVCA initio Euãgelij à parentibus descripta est, & Christum Saluatorem nostrum, quibus ambobus nihil fuit humilius, vt liquet.

A.c.8.

Luc.1. Matth.11. 29.

III. PROPRIETAS est, Verus timor Domini, Nobiles enim, quia solent imperare aliis, nullum fere habent quem timeant nisi Deum solum. Hic Timor nobiles iuuare potest in multis primo ad propagandum feliciter stemma: *Beatus vir*, ait Psaltes regius, *qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum*

Psa.111.1.

rum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius & iustitia eius manet in seculum seculi. Et Ecclesiasticus; *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, regimen ardoris, & vmbraculum meridiani.* Deinde iuuare potest, vt habeantur magni & clari; *Non enim est maior illo,* ait idem, *qui timet* DEVM. Et; *Nihil melius est, quam timor Dei, & nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini.* Et, *quam magnus, qui inuenit sapientiam, & scientiam, sed non est super timentem Dominum.* Vnde S. CHRYSOST. ad populum: *Si Dei timorem habeamus, nihil nobis est opus: si vero hunc non habeamus, etsi regnum ipsum possideamus, sumus omnium pauperrimi. Nihil æquale Deum timenti: timor enim Domini omnia superat.* Et S. AVGVST. in verba Dauid: *Vt alligent reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in vinculis ferreis. Nouimus,* inquit, *Reges factos Christianos, nouimus nobiles gentium factos Christianos. Ad prædicationem Euangelij fremuit mundus, erexit se leo aduersus agnum. Leo victus est sæuiendo, agnus vicit patiendo. Multi elegerunt ignobilitatem, & dimittentes domos suas, & substantias suas distribuentes pauperibus cucurrerunt ad perfectionem. Tali enim imperfecto dicitur à Domino, si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cœlo. Multi ex nobilibus fecerunt hoc, sed cessauerunt isti nobiles esse gentium, elegerunt paupertatem in seculo, nobilitatem in Christo. Multi autem tenent ipsam nobilitatem in Christo, tenent regias potestates, & sic sunt Christiani. Ipsi sunt tanquam in compedibus, & tanquam in vinculis ferreis. Vnde hoc? Ne progederentur ad illicita compedes acceperunt, compedes sapientia, compedes Verbi* DEI. *Quare vincula ferrea, &*

Eccl. 34. 17.
Eccl. 10. 27.
Id. 23. 30.
Id. 35. 13.
Chr. hom. 69.
Psal. 149. 8.
Matth. 19. 21.

non aurea. Ferrea sunt quamdiu timent, ament & aurea erunt. Nisi timore incipiat homo DEVM colere, non perueniet ad amorem. Initium sapientiæ timor Domini.

Psal.110. 10. Prou.1.9. Eccl.6.25. *Incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem auream. Dictum est enim de Sapientia: Et torquem aureum circa tuam ceruicem. Non tibi imponeret torquem auream nisi primum in compedibus ferreis te alligasset. Sed cœpisti à timore, consummaris à sapientia. Quam multi sunt, qui nolunt malefacere, quia gehennas timent, quia cruciatus timent, & nondum amant institiam? Pauper homo, etsi non timeat Deum, quia nullarum virium est, ne cum se commouerit in supplicium rapiatur, cessat timore hominis, etsi non DEI. Potentes autem mundi, Reges nobiles, nisi Deum timeant, quem timebunt? Nondum diligunt iustitiam, sed timent pœnam, & timendo pœnam, iam acceperunt compedes, & in vinculis ferreis eruditiuntur.*

IV. Proprietas est STRENVITAS, magnanimitas vel fortitudo animi. Vera enim nobilitas nata est ex rebus à maioribus strenue, fortiter & magnifice gestis; Deinde qui nobilitate & auctoritate cæteris præualent, volunt generosi, strenui

Exod.18. 25. & magnifici appellari. Sic in Exodo ait Moyses: *Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos*

Eccl.44.1. *Principes populi.* Et sapiens: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.* Quales, vt cæteros omittamus in Ecclesia Dei imprimis fuere Martyres, qui quo plura, atrocioráque pro Christo constanter perpessi fuerunt, eo nobilitate omnes alios nobilitate vera claros antecesserunt. In-

G.in laudē Heronis. ter quos vnum S. HERONEM ita descripsit Gregorius Nazianzenus: *Eam demum nobilitatem intelligo, quam pietas, vitæq; sanctimonia, ascensusque ad*

prima

primarium illud bonum, ex quo originem traximus insculpit. Quo quidem eum nobilitatis genere claruisse, vel hoc vnum argumento esse potest, quod non modo Martyr ipse fuit, sed parentibus quoque Martyribus natus est. Itaque virtutis exemplum nequaquam longè petendum habuit. Iam quod ad ciuitatem attinet, siquidem sapientiæ ratio habeatur, totius orbis terrarum est ciuis, si vero corpus spectemus, Alexandria ortus est, ciuitate vel huic nostræ pari, vel primo post eam honoris numero collocandæ, quæ cum omnibus rebus omnes vrbes antecellit, cum nihil tam proprium habet, quam animorum feruorem, & quod in ea præclarissimum est acerrimum erga religionem Christianam studium. Quod autem maius præconium fortitudinis, ac proinde & nobilitatis eius, magis in tolerando, (quod fit in Martyrio,) quam aggrediendo consistat, docet S. AMBROSIVS in primo de Officiis, atque etiam ARISTOT. in tertio, de moribus. PLVRA vide in VIRIDARIO nostro, titulo de *Fortitudine*. Amb. c. 45. Arist. c. 9.

V. PROPRIETAS est, Liberalitas, quia enim nobilitatem fere sequuntur magnæ opes, conuenit etiam eorum statui, vt benefici sint, maxime in pauperes. Quo officio non modo imitantur Reges, qui apud Lucam benefici vocantur, sed omnium nobilissimum DEVM Opt. Max. qui vt est apud Matthæum, *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Nihil enim tam diuinum homo habet*, teste GREG. Nazianzeno oratione de pauperum amore, *quam de alijs bene mereri. Fac calamitoso sis Deus*, inquit, *Dei misericordiam imitando*. Et GREGOR. Nyssenus de eodem pauperũ amore scribens, inquit: *Hæc liberalitas omnium laudatarum virtutum est præstantissima. Hæc est felici-* Luc. 22. 25. Matth. 5. 45.

tatis comes. Hæc assidet Deo, & magna est cum ipso necessitudine coniuncta. Sed & quod mirum est, Gentilium Philosophi hoc agnouerunt. PYTHAGORAS enim, auctore Ælio rogatus, qua ratione homo similis diis fieri possit, respondit, si veritatem amplectatur, & cunctis benefaciat. & SENECA lib. 3. de Beneficiis; *Qui dat beneficia Deos imitatur, qui repetit fœneratores.* M. vero TVLLIVS in tertio de Officiis, *Herculem hominum fama beneficiorum memorem in Concilio cœlestium collocatum*, commemorat. imo in primo de Officiis asserit, *nihil naturæ hominum esse beneficentia accommodatius.*

Æl. c. 12.

Sene. c. 15.

VI. PROPRIETAS Mansuetudo & Clementia, cum enim nobiles fere oppidis & castellis præsint, opus habent mansuetudine in compescenda ira, & lenitate contra delinquentes; *Qui enim sunt mansueti*, inquit S. AMBROSIVS, *nisi quos non ira perturbat, non sæuitia exasperat?* Quid autem Clementia, auctore SENECA libro 2. de Clementia, est, *quàm inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda?* Illi iracundia, huic crudelitas opponitur; *Crudelitas*, ait idem SENECA ibidem, *nihil aliud est, quam atrocitas in exigendis pœnis.* Tanti fecit hanc virtutem Christus Dominus, vt inter beatitudines posuerit; *Beati*, inquit, *mites; quoniam ipsi possidebunt terram.* Quæ verba etsi rectissime de terra cœlesti exponantur, de qua dixit regius Propheta: *Credo videre bona Domini in terra viuentium*, tamen non incommode de terra præsenti etiam exponuntur, quæ tum optime fere regitur & administratur, cum à mansuetis gubernatur; ideo enim populo suo DEVS Moysen præposuit, quem Scriptura in Numeris, *mitissimum virum super omnes homines, qui*

Ambr. in Psal. 36.

Senec. c. 3.

Matth. 5. 4.

Psal. 26. 13.

Num. 12. 3.

morabat

morabantur in terra, appellat; & regno eorundem DAVID Regem, qui non dubitauit ita orare in Psalmis; *Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius.* Vnde in iisdem Psalmis ait: *Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.* Et; *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Et in Ecclesiastico; *Fili mi in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.* Et; *Sedes diuitum superborum destruxit DEVS, & sedere fecit mites pro eis.* NEC vero hic mansuetum vocamus, qui nunquam irascitur: aut clementem, qui nunquam exigit pœnas à delinquentibus; *Qui enim nunquam*, inquit Aristoteles in quarto Ethicorum, *etiam cum oportet, irascuntur, fatui esse videntur, quod nec sentire, nec dolere videantur.* Vnde S. IOAN. CHRYSOST. *Neque ferire absolute est atrocitatis, neque parcere mansuetudinis: sed mitis ille est, qui ferre potest, quæ in seipsum peccata sunt, & alijs factam iniuriam propulsat. Qui enim id non facit est deses & somnolentus, & nihilo melius mortuo affectus, non autem mansuetus. Quare hoc ipsum ostendit Moysis mansuetudinem, quod erat adeo ardens, vt prosiliret, cum videret alios iniuria affici, pro iusto iram non valens cohibere: at quando ipse malo aliquo affectus est, nec vllus est, nec pœnam sumpsit, nec à Philosophiæ instito vnquam recessit, illo quidem se esse malis infectum, hoc vno se esse lenem & patiemem ostendens. Sed dic, quæso, quid eum facere oportuit; nam despicere iniuriam, & malum quod pertinebat ad populum? Sed id non erat eius qui regebat populum, nec patientis alicuius, sed desidis & ignaui.*

Psal. 131. 1. Psal. 24. 9. Psal. 36. 11. Eccl. 3. 19. Eccl. 10. 17. Arist. c. 5. Chrys. in Psal. 131.

VIDE de Statu Iudicum, Laicorum, Militiæ, Prælatorum, Regum & Principum.

DE PAVPERTATIS VOLVNTARIÆ STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Paupertatis Voluntariæ intelligatur.

Matth.19. 22. Marc.10. 21. Lucæ 18. 22.

PAVPERTATIS Voluntariæ nomine intelligimus eam, quam Christus Dominus apud Euangelistas cuidam diuiti adolescenti (S. LVCAS appellat Principem) consuluit dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Quam licet ille repudiarit, complexi sunt tamen Apostoli cum

Matth. 19. 27. Act. 4. 34.

Petro exclamantes: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Professi sunt & primi Apostolorum discipuli: *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant*, ait S. LVCAS in historia Apostolica, *vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Et paulo ante: *Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, & erant illis omnia communia.* Professi sunt post illos deinceps vsque ad hoc seculum omnes monachi & clerici religiosi, Apostolorum exemplum secuti. Vnde S. BERNARDVS in declamatione instituta de Verbis B. Petri: *ECCE nos reliquimus omnia. Hæc sunt verba*, inquit, *quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasere paupertatem: sunt quæ Monachis clausura replent deserta Anachoretis.* Et POSSIDIVS in vita S. Augustin. AVGVSTINVS, ait

Poss. c. 5.

factus presbyter monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundũ modum & regulam

regulam sub sanctis Apostolis constitutam, maxime, vt nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia.

PHILOSOPHI quidem apud Ethnicos nonnulli paupertatem voluntariam amplexi sunt, & opes abiecerunt, sed quia Christum secuti non sunt, vel ob vanam gloriam abiecerunt, veræ virtutis laudem assecuti non fuerunt. PETRVS, inquit S. HIERON. in Matthæum: *Piscator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat, & tamen loquitur confidenter: Reliquimus omnia. Et quia non sufficit, tantum relinquere, iungit quod perfectum est: & secuti sumus te, fecimus, quod insistis. Quid igitur dabis nobis præmij? IESVS autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, &c. Non dixit: Qui reliquistis omnia, hoc enim & CRATES fecit Philosophus, & multi alij diuitias contempserunt. Sed, qui secuti estis me, quod proprium est Apostolorum atque credentium.* Et in Epistola ad Pammachium: *Non satis est perfecto & consummato viro opes contemnere, pecuniam dissipare, & proijcere, quod in momento perdi & inueniri potest. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos legimus. Plus debet Christi discipulus præstare, quam mundi philosophus gloriæ animal, & popularis auræ, atque rumorum venale mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris.* Similia scribit S. BERNARD. in quodam sermone festi omnium Sanctorum: *NEC voluntaria,* inquiens, *quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum: nam & Philosophi omnia sua reliquisse leguntur, vt expediti mundialibus curis studio vanitatis possent vacare liberius, & nolebant censu abundare terreno, vt abundarẽt magis in sensu suo.*

Hier. lib. 3. Matth. 19. 28. Hier. ep. 26. Ber. ser. 1.

Matt.5.3. *Hos discernit quod dictum est (à Christo.) Beati pauperes spiritu, spirituali scilicet intētione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem.*

CAPVT II.

De Dignitate & præstantia huius Paupertatis.

DIGNITATEM præstantiámque Voluntariæ Paupertatis CHRISTVS Dominus bis declarauit. Semel, cum initio prædicationis suæ Pauperes spiritu beatos pronunciauit, eorúmque beatitudini principem locum inter alias octo tribuit,
Matt.5.3. dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Etsi enim nonnulli Patres arbitrati sint nomine Pauperum spiritu intelligi humiles,
Hil can 4. Ch.ho.15. in Matth. Aug. 1. de serm. G. de beatit. G.36 mor. 20. Matth 26. 41. Eph.4.3. vt Hilarius, Chrysostomus, Augustinus & vtérque Gregorius Nyssenus & Romanus; rectius tamen intelligimus vere pauperes, tum quia vox πτωχοι, quo vtitur Euangelista, non modo significat proprie dictos pauperes, sed quod amplius quiddam est mendicos: tum quia & vox Spiritus præsepe in Scripturis accipitur pro voluntate, vt in illo Christi; *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et illo Pauli, *vt soliciti sint seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*, hoc est, voluntatem, animorúmque consensionem. Sic exposuit S. BASILIVS in Psal-
Matt.5.3. mum 33. *HOS Dominus beatos dicit: beati, inquit, pauperes spiritu, non qui inopes sunt, sed qui paupertatem certa animi destinatione elegerunt; nihil enim eorum quæ præter voluntatem contingunt astruendum est esse beatum: eóque virtus omnis internosci solet, & distingui, omnium maxime hæc paupertas velut charactere quopiã, si à voluntate proficiscitur.* Et in Regulis breuioribus ad

quæstio

quæstionem : *Qui sunt mendici spiritu?* respondet: *Cum Dominus dicat, alias quidem, verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt : alias vero Spiritus Sanctus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis, &c. Hi sunt mendici spiritu, qui non aliam ob causam vllam ad mendicitatem deuenerunt, quam ob doctrinam Domini, qui dixit : Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Si vero quis oblatam sibi etiam quomodocunque mendicitatem susceperit, & eam ad Dei voluntatem moderatus sit, vt Lazarus, neque hic à beatitudine illa excluditur.* Eodem modo paupertatem spiritus exposuit S. Ambr. in Lucam lib. 5. c. 6. & S. Bernardus loco ante citato. B. q. 105. Ioan. 6. 63. Ioã. 14. 26. Matth. 19. 21.

Secvndo eandem dignitatem ostendit Dominus, cum vitæ Christianæ perfectionem in Euangelica paupertate collocauit dicens : *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Cuius rei causam reddit. S. Ambrosivs, vel Maximus in verba Matthæi: *Quis maior est in regno cœlorum? Ideo nudi, ait, in seculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque & expediti ad cœli ianuam properemus. Quam autem incongruum & absurdum est, vt quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, diues intrare velit in cœlum? Propterea adolescenti illi diuiti in Euangelio à Saluatore dicitur, qui sibi iustus videbatur, & sanctus, & omnia legis mandata complesse: Si vis perfectus esse, vende omnia tua, & da pauperibus. Vsqueadeo enim nuda virtus apta cœlo est, vt quamuis iustus quamuis sanctus, aurum vel diuitias possidens, non possit esse perfectus. Talem enim voluit adolescentem illum Dominus ad paradisum redire, qualis Adam fuerat de paradisi sublimitate deiectus.* Matth. 19. 21. A. serm. 10. Matt. 18. 1.

S. Scripturis consentiunt PATRES. S. BASILIVS in Isaiam: *Nonnulli*, inquit, *sunt pauperes vere beati, qui ardore tuendæ religiosæ pietatis omnia contempserunt, & spe illecti diuinæ illius opulentiæ mundialem affluentiam nihili duxerunt: cuiusmodi erat pauper ille Ioannes domum nullam possidens, non famulum, non bouem, in quo araret, non agellum, non lectum, non mensam, non panem; cuiusmodi & Elias, cuiusmodi fuerunt singuli sanctorum illorum, qui circumierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, angustiati, dolore male affecti.* S. AMBROSIVS libro 1. in Lucam: *Primam benedictionem hanc.* (Beati pauperes spiritu:) *vterque Euangelista Matthæus & Lucas, posuit. Ordine enim prima est & parens quædam, generatio q; virtutum: quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna: nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus emergendi non habet facultatem.* S. CHRYSOST. in epistolam ad Hebræos: *Nihil opulentius eo, qui pauertatem sponte diligit, & cum alacritate suscipit. Quomodo autem hoc? Si quis Dicã, & si vultis, ipso Imperatore ditiorem esse pronuncio eum, qui sponte paupertatem elegit. Quis, dic mihi, ditior est, qui per singulos dies exigit, & festinat plura colligere, & timet, ne aliquid ei deficiat: an ille, qui nihil colligens in affluentia multa consistit, & nullius eget?* Et ad populum Antiochenum: *Magna possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus, thesaurus qui nequeat auferri, baculus firmissimus, inculpabilis possessio, diuersorium ab insidijs tutum.* Et infra: *Quid enim dic mihi, Elia pauperius? sed propterea omnes diuites vincebat, quoniam pauper hic erat, ipsam vero paupertatem ex mentis opulentia elegit. Quoniam enim omnem pecuniarum copiam, animi sui magnitudine putauit*

B. in c. 3.

Matt. 3 4.

Hebr. 11. 38.

Ambr. c. 6.

Ch. ho. 18.

Id. hom. 2.

tauit esse inferiorem, nec philosophia sua dignam, ideo tã-
tam pauperiem amplexatus est. Idcirco Rex pauperis in-
digebat, & ad corpus nihil plus quam meloten habentis
hiabat, qui tantum habebat aurum: sic splendidior trabea
erat melote, & regalibus aulis iusti spelunca. Et in Mat- Id. ho. 48.
thæum : *Si intueri volueris animam hominis aurum*
amantis, inuenies eam, vt vestimentum à decem millibus
vermium corrosum, ita eam perforatam vndique à
solicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & ærugine
plenam. Verum haud talis est anima pauperis voluntarij,
sed potius fulget, vt aurum, splendet, vt gemma, efflo-
rescit, vt rosa. Non est illic tinea, neque fur, neque solici-
tudo negotiorum huius vitæ, sed sicut angelus, ita conuer-
satur. Non subiacet dæmonibus, non assistit Regi, sed as-
sistit DEO, non militat cum hominibus, sed cum ange-
lis. S. AVGVSTINVS de Verbis Apostoli, agens A. ser. 28.
de verbis S. Petri ad claudum. *Aurum & argentum* Act. 3. 6.
non habeo. Ne, inquit, *mirareris possessorem virtutum,*
antea professus est abrenunciatorem diuitiarum. Iuste
namque sequebatur, vt largiretur signa, qui opes contem-
serat. Quid hac paupertate ditius? quid hac virtute
pauperius? Testimonium ergo virtutis secutura est profes-
sio paupertatis. Vnde Apostolus loquebatur: Tanquam 2. Cor. 6.
nihil habentes, & omnia possidentes. Quid igitur hæc 10.
paupertate ditius, aurum & argentum non habeo? Sed
quid habet, qui argentum non habet? Eloquium vehe-
mens, eloquium igne purgatum. S. IOAN. CLIMA- C. grad. 16.
CVS: *Nuditas rerum, omnium curarum est depositio, se-*
curitas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, mœroris
alienatio, mandatorum fides. Nudus monachus mundi
totius est Dominus. Deo enim curam sui credidit, & per
fidem omnes possidet seruos. Non dicet homini necessitatẽ
suã, sed quæ afferuntur, quasi de manu Domini suscipiet.

Nudus

Nudus operarius totius mortalis affectionis inimicus, quæ sibi adsunt, quasi non sint, ita existimat. B. PETRVS Damiani in homilia de S. Benedicto: *Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, amica prorsus confabulatio, & sermo omni oratorio flore venustior. Solenne verbum, magna promissio, opus sanctum, dignum benedictione relinquere omnia, & sequi Christum. Hæc sunt verba voluntariæ persuasoriæ paupertatis, quæ monasteria genuerunt, quæ claustra monachis, anachoretis siluas copiosius repleuerunt.* S. BERNARDVS ad Hattonem Trecensem Episcopum: *Nobilis reuera titulus Paupertatis, quam ipse DEVS ore commendans prophetico: Ego sum, ait, vir videns paupertatem meam. Super omnes regios thesauros, hic vos titulus nobilitat amplius, & reddit illustrem.* Et in sermone de omnibus sanctis: *Quid tam absconditum, quam paupertatem esse beatam? attamen veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere potest, & ipsa est quæ dicit: quoniam beati pauperes spiritu. Sic vos insensati filij Adam diuitias quæritis, diuitias desideratis adhuc, cum iam beatitudo pauperum diuinitus commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus. Quærat eas paganus, qui sine Deo viuit. Quærat Iudæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus diuitias quærit, postquam Christus beatos pauperes esse prædicauit?* Lege nostrum HIERON. Platum lib. 2. de bono Status religiosi cap. 3.

P. hom. 9. tom. 2.

B. ep. 23.

Thren. 3. 1.

Serm. 1.

CAPVT III.

De fructu Voluntariæ Paupertatis.

PRIMVS Fructus est, quod sit meritoria vitę æternæ: clare enim enuntiat Christus Saluator;

Beati

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Felicitas magna, inquit S. AVGVSTINVS de verbis Apoſtoli: *Chriſtianorum, quibus datum eſt, vt paupertatem faciant pretium regni cœlorum. Non tibi diſpliceat paupertas tua, nihil ea poteſt ditius inueniri. Vis noſſe, quam locuples ſit? cœlum emit. Quibus theſauris conferri poſſit, quod videmus paupertati indultum? Vt ad regnum cælorum veniret diues poſſeſſione ſua obtinere non poteſt, nunc obtinet, vt contempta perueniat.* Matt. 5. 3. A. ſer. 28.

Deinde idem Saluator alibi declarat eam non ſolum promereri vitam æternam, ſed etiam magnum & eximium theſaurum in cœlo. Vnde S. CYPRIAN. in libro de lapſis: *Dominus bonorum magiſter, & præmonens & conſulens in futurum. Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade vende omnia tua & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & veni, ſequere me. Si hoc diuites facerent, per diuitias ſuas non perirent, theſaurum in cœlo reponentes eſſet in cœlo & cor & animus & ſenſus, ſi theſaurus eſſet in cœlo. Nec vinci à ſeculo poſſet, qui vnde vinceretur in ſeculo non haberet, ſequeretur Dominum & ſolutus & liber, vt Apoſtoli, & ſub Apoſtolis multi, & nonnulli ſæpe fecerunt, qui & rebus ſuis, & parentibus derelictis indiuiduis Chriſto nexibus adhæſerunt.* Et paulo poſt: *Dominus autem quibus nos præmijs ad contemptum rei familiaris inuitat: parua hæc & exigua huius temporis damna quibus mercedibus penſat? Nemo eſt, inquit, qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum DEI, & non recipiat * ſepties tãtum in iſto tempore, in ſeculo autem futuro vitam æternam.* Si quæras, quantus ſit ille theſaurus in cœlo? Reſpondeo cum Apoſtolo: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit* Matth. 19. 21. * al. cẽties. 1. Cor. 2. 9.

Ch.ho.48. *rauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Vnde CHRYSOST. in Matthæum: *Qui renunciationem bonorum facit, is nullam iacturam, sed quæstuosissimam facit mercaturam.*

II. Fructus est, ingens remuneratio etiam in hac vita, tam temporalis, quam spiritualis. Nam vbi S. Matth. 19. 29. Marc. 10. 30. Matthæus dicit: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, &c. centuplum accipiet:* Marcus ait, *accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus.* Lucas vero: *recipiet multo plura in hoc tempore:* ex quibus verbis S. Lucæ liquet numerum finitum (centupli) pro infinito positum, vt sit sensus infinitis partibus plura accepturum, quàm alios, qui eiusmodi paupertatem non profitentur. Varietate autem suarum interpretationum Prisci Patres facile indicarunt, quanta sit ea remuneratio. Nam Chr. ser. 7. in epist. ad Rom. primo ORIGENES, Chrysost. Auctor imperfecti in Chrysostomo, Theophylactus & Eutymius exponunt centuplum in hac vita ideo accepturum, quia charitas omnia quasi communia inter Christianos facit. Siquidem omnes viros facit fratres, omnes fœminas sorores, omnia bona communia, vt inter primos Christianos factum fuisse legimus Act. 4. 35. in Apostolorum Actis. 2. S. GREGOR. in Ezechielem centuplum accipit pro perfectione vitę Christianæ: G. ho. 18. & 15. mor. cap. 7. *Recte*, inquiens, *per centenarium magna perfectio designatur, sicut de electis dicitur. Omnis qui relinquit domum, vel fratres, aut sorores, &c. Neque enim sanctus quisque ideo terrena deserit, vt hac possidere in hoc mundo multiplicius possit: quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit, sed appetit. Nec qui vnam vxorem deserit centum recepturus est, sed per centenarium numerum perfectio designatur.*

Quia

Quia quisquis pro DEI nomine temporalia atque terrena contemnit, & hic perfectionem mentis recipit, vt iam ea non appetat, quæ contemnit. Centies itaque recepit quod dedit, qui perfectionis spiritum accipiens terrenis non indiget etiamsi hæc non habet. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis.

3. S. BERNARDVS in fine Declarationis ad verba: *ECCE reliquimus omnia*, centuplum interpretatur de spiritualib. Dei donis: *Videtur*, inquit, *fortè nonnullis præsentem sanctorum communionem facultatum pariter & voluntatum hoc loco centupli nomine designari. Et magna quidem hæc ipsa consolatio, sed non adeo generalis, vt possit vniuersaliter omnibus conuenire. Quantos enim Sanctorum aut voluntarie eam deseruisse, vt anachoretas, aut violentia persecutionis, vt Martyres exilio relegatos, humana consolatione nouimus caruisse? Datum optimum est centuplum hoc, desursum descendit à patre luminum. An non denique omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum. An non centuplum habet, qui impletur Spiritu Sancto, qui Christum habet in pectore? Nisi quod longe plus quam centuplum est visitatio paracleti Spiritus & præsentia Christi. Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis* Psa. 30. 20.
tua, Domine, quam abscondisti timentibus te? perfecisti eis, qui sperant in te? Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas & primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est, non Luc. 17.
vtique esca vel potus, sed iustitia, & pax, & gaudium 21.
in Spiritu Sancto. Gaudium sane non modo in spe gloriæ, Luc. 12.
sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis quem voluit 49.
Christus vehementer accendi. Hæc virtus ex alto, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidatibus flectere genua ad

orationem

orationem. Hæc illa pax, quam suis reliquit Christus,
1. Ioan. 2. 27. *quando dedit & suam. Hæc gratia deuotionis, & vnctio docens de omnibus, quam expertus nouit, inexpertus ignorat, quoniam nemo scit nisi qui accipit.* DENIQVE
C.coll.24. c.26. IOAN. CASSIANVS centuplum accipit pro remuneratione temporali & spiritali, quæ temporibus Apostolorum cernebatur in Christianorum cœtibus religiosis, & nunc multis seculis experientia probata est in monasteriis bene institutis. Allegata enim S. MARCI sententia: *Centuplam*, ait, *namque fratrum, parentumve recipiet quantitatem, quisquis patris vnius vel matris, seu filij pro Christi nomine charitate contempta in omnium qui Christo deseruiunt dilectionem sinceriſſimam transit, pro vno scilicet tot inueniens patres, fratrésque feruentiore ac præstantiore sibi affectione deuinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum possessione ditabitur, quisquis vna domo pro Christi dilectione reiecta, innumera monachorum habitacula tanquam propria possidebit in quacunque orbis parte velut in suæ domus iure succedens. Quomodo enim non centuplum, & si Domini nostri sententia superadyci aliquid fas est, plus quam centuplum recipit, qui decem vel viginti seruorum ministeria infida & coactitia derelinquens tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio?* &c. Et infra: *Nonne obsecro etiam in hoc centuplam gratiam euidentissime qui fideliter Christo deseruiunt consequuntur, dum pro nomine eius à summis Principibus honorantur, ac licet ipsi humanam gloriam non requirant, venerabiles tamen etiam in persecutionum angustijs iudicibus cunctis ac potestatibus fiunt, quorum vilitas etiam mediocribus forsitan despicabilis esse potuisset, vel pro obscuritate natalium, vel pro conditione seruili, si in seculari conuersa-*

tione

tione manſiſſent. Per Chriſti autem militiam nobilitatis nemo ſtatus contumeliam commouere, nemo obſcuritatem generis audebit opponere, quin potius illis ipſis viliſſimæ conditionis opprobriis, quibus confundi & dehoneſtari ceteri ſolent Chriſti famuli glorioſius nobilitantur. Quod euidentius in Abbate IOANNE in illa eremo, quæ Lyco oppido adiacet, commoratur, poſſumus approbare. Qui perobſcuris maioribus natus, ita pro Chriſti nomine vniuerſo pœne humano generi admirabilis factus eſt, vt cum ipſi quoque rerum præſentium Domini, qui mundi huius atque imperij gubernacula retinentes etiam potentibus cunctis, regibuſque terrori ſunt, velut dominum venerarentur, & oracula eius de tam longinquis regionibus expetentes imperij ſui apicem & ſtatum ſalutis, illorúmque prouentus illius orationibus meritiſque committerent. Theod. 5. hiſt. c. 24. Sozom. 7. c. 22.

Hæc Caſſianus.

III. Fructus eſt, quod hominem liberet ab inanibus curis & ſolicitudinibus huius ſeculi, vt pecuniæ adaugendæ, agrorum colendorum, vectigalium exigendorum, litium agitandarum, & ſimilium. Vnde LACTANTIVS libro ſexto inſtitutionum; *Quid*, inquit, *tu tam puſillo animo paupertatem times? quam etiam veſtri Philoſophi laudant: nihil hac tutius nihilque tranquillius eſſe teſtatur: Hoc quod times ſolicitudinum portus eſt. Quid verere fluxum & fragile bonum facere ſempiternum, aut theſauros tuos cuſtodi Deo credere, vbi non furem prædonémque timeas? Qui apud Deum diues eſt, pauper eſſe nunquam poteſt. Magni & excelſi animi eſt deſpicere & calcare mortalia.* Lact. c. 12.

S. BASILIVS oratione de diuitiis & paupertate; *In hoc vno*, ait, *nos pauperes diuites longe anteimus, quod ſcilicet curarum minus ſuſtineamus: ludibrio etiam habemus ipſos vigilias habentes, dum nos ſomnum capimus:*

tum etiam rebus intentos, ac anxios, dum nos omni mole-
Chr. ep. 6. *stia caremus, animóque vacuo sumus.* S. CHRYSOST. ad Theodorum monachum; *Non est profecto, non est omnibus curis solutus ac liber, nisi solus ille, qui Christo viuit ac seruit. Ille semper vniuersis quæcúnque sunt malis superior inuenitur: tantum vt seipso aduersum se vti nolit inimico. Alius ei obesse nihil poterit, nullius vnquam Regis captiua colla iugo submittit, non facultatum damnis sollicitatur, quippe qui dicit, quod nihil intulimus in hunc mundum, neque hinc quicquam auferre poterimus, non gloriæ aut honorum cupiditate superatur. Scit enim quod nobis dignitas nostra seruatur in cœlo, non conuiciis, non plagis ad iracundiam commouetur: vnum tantum Christianus iudicat malum, solúmque formidat, Domini cœlestis offensam. Nam illa alia, hoc est, imminutionem pecuniarum, amissionem patriæ, periculum vitæ, quorum omnes etiam memoriam perhorrescunt, perniciosa prorsus esse non credit. Quid enim celsius potest esse, quid tutius quam vnam tantum nos solicitudinem gerere, quemadmodum Deo placere possimus?*

VERVM & fidei expertes Philosophi hunc pau-
Sen. ep. 17. pertatis fructum laudarunt, vt SENECA ad Lucilium; *Proiice*, ait, *omnia ista, si sapis, imo, vt sapias, & ad bonam mentem magno cursu, ac totis viribus tende. Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura, frugalitas autem paupertas voluntaria est.* ZENO,
Naz. orat. 47. teste Nazianzeno, cum in maris tempestate omnia bona sua proiecisset; Gratiam tibi, inquit, fortuna habeo, quæ me ad philosophicum pallium redigis. Melius CRATES Thebanus, qui non neces-
Hier. ep. 13. sitate, sed voluntate, cum ditissimus esset, auctore Hieronymo, magnam auri summam abiecit in mare

mare, quod cum opibus negaret se posse bene philosophari.

IV. Fructus, quod paupertatem voluntariam colentibus nihil desit, iuxta illud Apostoli, *nihil habentes & omnia possidentes.* Vnde S. BERNARD. in Cantica, dictum illud Christi: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, non dubitauit omnibus fratribus suis accommodare, quibus omnia non solum adiiciantur, sed etiam subiiciantur, si mundum cum opibus suis reliquerint; *Quod si ita est*, inquit, *non putent diuites huius seculi fratres Christi sola possidere cœlestia, quia audiunt dicentem. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, non eos, inquam, æstiment sola cœlestia possidere, quia ea sola audiunt in promissione. Possident & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: eo pro certo magis Domini, quo minus cupidi. Denique fideli homini totus mundus diuitiarum est. Totus plane, quia tam aduersa, quam prospera ipsius æque omnia seruiunt ei, & cooperantur in bonum. Ergo auarus terrena esurit, vt mendicus fidelis contemnit, vt Dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo seruat.* Haud secus CHRYSOST. aduersus vituperatores vitæ monasticæ, agēs de monacho; *Studes*, inquit, *id magis addiscere, quonam modo ille diues sit, ac teipso qui tam multa possides longe opulentior? hoc ego modo te docebo, ostendámque te, si illi compateris, id pati, quod illum pati arbitraris, atque extrema in paupertate degere. Nempe enim tu eorum tantum, quæ possides, dominus es, ille vero omnium quæ sunt in toto orbe terrarum. Sin vero tu minus credis, age ad illum adducamus ac persuadeamus, vt de monte descendens, magis autem illic residens, alicui ex his, qui & diuites valde, & religiosi sunt, mandet, sibi*

2. Cor. 6. 10. Ber. serm. 21. Ioan. 12. 32. Matth. 5. 3. Prou. 17. iuxta 70. Chr. lib. 2.

mittat auri pondus, quantum ipse vis, siue quia istud non pateretur, illi vel illi indigēti dare iubeat, videbis diuitem illum sibi deuotius, alacrius, promptius obaudientem, quam faceret nutu tuo quiuis ex dispensatoribus tuis. Nam hic quidem, cum aliquid iubetur impendere, mœrens & tristis id facit: contra ille, cum non impenderit, maxime trepidat atque anxius est, ne forte in aliquo offenderit, quod sibi eiusmodi nihil imperetur.

ACCEDIT, quòd nihil talibus deesse possit, quia omnem suam spem & fiduciam coniecerunt
Psal.33.11. in DEVM, secundum illud Psalmi; *Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum, non*
Chr.hom. *minuentur omni bono.* Vnde CHRYSOST. ad po-
57. pulum Antiochenum; *Deo pascente non opus est nos esse solicitos. Nam sicut Rex si promiserit quotidianum victum ex cellarijs suis se præbiturum, iam in futurum confidis: multo magis cum DEVS præbeat, & omnia tibi tanquā ex fonte fluant, conuenit te omni cura solutum esse.* Si autem possit omnem carnem, multo magis sibi dicatos. Quod dictum Chrysostomi, non ad vtilitatem modo, sed etiam gloriam Paupertatis pertinet. Ingens enim gloria est, talem habere victus nostri quasi œconomum & procuratorem, qui angelis in cœlo præsidet, & sub quo curuantur, qui portant orbem.

V. Fructus est, quod ianuam præcludat omnibus vitiis, tollit siquidem & excindit cupiditatem, radicem scilicet omnium vitiorum. Nam Apostolus in priore ad Timotheum, cum dixisset: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem,*
1.Tim.6. 10.

subiun

subiunxit causam; *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* In quæ verba S. CHRYSOST. *Paulus loquitur*, ait, *imo in eo loquitur Christus. Videamus plane, an ipsa quoq; rerum experimenta testentur. Quid enim mali pecuniæ non faciunt, imo non pecuniæ quidem, sed mala voluntas ipsis vti nescientium? Cuius ergo mali illæ causa non sunt? nónne harum gratia concupiscimus? non rapimus? non eiulatu perstrepimus? non inimicitias subimus, non conserimus rixas? non contentiones perpetuas teximus? nónne illæ ad mortuos vsque impias extendêre manus? nónne inter parentes & fratres sæuierunt? nónne iura naturæ, ac præcepta Dei, & omnia prorsus violarunt, qui illarum tenentur desiderio? Tolle itaque pecuniarum studium, & omnia mala sublata sunt. Conquieuit bellum, inimicitiæ in gratiam redeunt, sedatæ sunt hæreses & lites omnes.* Chr. hom. 17.

VI. Est, quod viam patefaciat omnibus virtutibus; *Paupertas enim*, inquit S. BASIL. in Isaiam, *pædagogus est ad colendam pietatem; contra diuitiæ ansam præbent ad contumeliam & irrogandam iniuriam.* Et in epistola ad Olimpium paupertatis osorem; *Tunc paupertatem, quam sic amanter complector,* Id. ep. 169. *vtpote philosophiæ altricem, abúsque finibus suis exiges, profligabis, depelles?* Et in Psal. 65. *Pecunia iam quibusdam ministra est fucta luxuriæ: contra paupertas multos eorum, qui male sunt instituti, ad sobrietatem reduxit.* S. GREGOR. in epistola ad Helenium, *paupertatem sacram appellat, commodissimum virtutis organum.* Et ipse oratione in Maximum, qui paupertatem probri loco ei obiecerat, paupertatem *vocat suas opes & copias.* S. CHRYSOST. ad populum; *Paupertas innumera vitæ nostræ intulit bona, & sine paupertate inutiles diuitiæ. Ne calumniemur, neque has,* Bas. in c. 2. Gr. Naz. Chr. hom. 15.

neque illam: paupertas enim & diuitiæ sunt arma ad virtutem vtráque ferentia, si velimus. Et vt discas quod hoc
Iob.31.32. *verum est, illius mihi Iob recordare, qui simul & diues & pauper factus est, & vtráque arma tractauit, & in vtrisque vicit. Nam quando diues erat, dicebat: Ianua mea omni venienti fuit aperta. Quando vero pauper fa-*
Iob.1.21. *ctus est, dicebat Dominus dedit, dominus abstulit. Dum fuit diues, multam hospitalitatem: cum factus est pauper,*
Id. hom. 21. *multam patientiam exhibuit.* Et iterum; *Cum iram dimittere oporteat, cum inuidiam extinguere, cum remittere furorem, cum orationem offerre, cum benignitatem & mansuetudinem, cum modestiam & charitatem exhibere, vbi paupertas impedimentum esse valeat? Eleemosyna maxime pecunijs eget, verum & ipsa magis per paupertatem effudit: etenim quæ duos obolos erogauit, omnium*
Luc.21.3. *hominum erat pauperior, & omnes superauit.*

CAPVT IV.

De Proprietatibus Paupertatis.

PRIMA Proprietas Paupertatis, si generalissime sumatur est, vt significet alicuius rei siue temporalis siue spiritualis inopiam. Quo sensu S. GREGOR. Nazianzen. orationem suam de Pauperum amore ita auspicatus est; *VIRI fratres, & mecum paupertate coniuncti (quamuis enim hominum opinione atque iudicio alij alijs si ad exiguam lancem expendantur, antecellant: pauperes tamen omnes in vniuersum sumus, gratiáque diuina indigemus) hanc de pauperibus amandis Orationem accipite.* Et S. AVGVST. in Psal.125. *Aliquando*, inquit, *& dues inuenitur pauper, & à paupere præstatur illi aliquid. Venit nescio quis ad flumen, tanto delicatior, quanto ditior, transire non potest. Si nu*

Si nudatis membris transierit, frigescet, ægrotabit, morietur, accedit pauper exercitatiore corpore, traijcit diuitem, eleemosynam fecit in diuitem. Ergo nolite tantum putare eos pauperes, qui non habent pecuniam. In quo quisque pauper est, ibi illũ vide, quia forte tu in eo diues es, in quo ille pauper est, & habes vnde accommodes. Forte membra tua accommodas, & plus est quam si pecuniam accommodares. Consilio indiget, tu plenus es consilio, in consilio ille pauper, tu diues es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis: das consilium, & præstitisti eleemosynam. EODEM sensu alibi AVGVST. contendit omnes homines esse mendicos Dei; *Petit*, inquit in sermone de Verbis Domini, *te mendicus, & tu es Dei mendicus. Omnes n. quando oramus mendici Dei sumus, ante ianuam magni patrisfamilias stamus: imo etiam prosternimur, supplices ingemiscimus aliquid volentes accipere, & ipsum aliquid, ipse DEVS est. Quid à te petit mendicus? panem. Et tu quid petis à Deo nisi Christum, qui dicit: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi?* Et rursus; *Quantum vis habeas, quicunque diues es? Dei mendicus es. Venitur ad horam orationis, & ibi te proba. Petis. quomodo non pauper es, qui petis? Plus addo. parum petis. An non es dicturus; Panem nostrum quotidianum da nobis?* Aug. serm. 15. Ioan. 6. 51. Id. ser. 41.

II. Proprietas est, & sequitur ex priore, quo quis pluribus eget aut plura desiderat, vt solent valde auari, hoc esse pauperiorem. Vnde CLEMENS Alexandrinus secundo Stromatæo. *Paupertas*, ait ex PLATONE, *est existimanda, non facultates diminuere, sed augere insatiabilitatem. Non enim est paupertas pecuniæ paucitas, sed insatiabilitas. Quæ si recesserit, qui bonus est diues quoque fuerit.* Et S. BASILIVS in diuites auaros, omnibus opibus circumfluentes declamitans; *Pauperẽ*, inquit, *teipsum dicis.* Ber. hom. 7.

Et ego tecum sentio. Pauper profecto est qui multis indiget. Pauperes inquam insatiabilis concupiscentia reddit. Decem talentis totidem addere contendis, deinde vigimti coactis, etiam totidem. Nec solum crescendo non expletur, sed ardentior redditur appetitus. Velut ebrijs occasio sitiendi est vini copia: sic & qui repente ditatus est, plura possidens plura concupiscit, & dum perpetuo cumulum

Ambr. lib. 1. c. 5. *auget, morbum perpetuo nutrit.* Et S. AMBROSIVS de Cain & Abel scribens; *Quid,* ait, *de auaritia dicam, insatiabili pecuniæ cupiditate, quæ quo plura abstulerit, eo magis inopem se esse credit. Omnibus inuida, sibi vilis, in summis diuitijs inops, affectu extenuat, quod censu abundat. Nullus rapiendi modus, vbi nulla mensura cupiendi. Denique Ecclesiastes dicit: Qui diligit argentum, non satiabitur argento, nec est finis acquisitionis eo-*

Baruc. 3. 18. *rum.* Eodem spectat quod in sermone de gula scripsit S. CHRYSOSTOMVS; *Auarus cum ad summum euaserit diuitiarum culmen, tum maxime pauper*

Sen. ep. 2. *est.* Et Ethnicus SENECA ad Lucilium; *Cui cum paupertate bene conuenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plus capit, pauper est.* Et; *Is maxime diuitijs*

Id. ep. 14. Id. ep. 49. *fruitur, qui minime diuitijs indiget. Epicuri est* (dictum) *aut Metrodori, aut alicuius ex illa officina.* Et rursus; *Quis negauerit feriri quibusdam præceptis efficaciter etiam imperitissimos? velut his breuissimis vocibus, sed*

Id. ep. 108. *multum habentibus ponderis: NIHIL nimis. Auari animus nullo satiatur lucro.* Et; *Non vides, quemadmodum theatra consonent, quoties aliqua dicta sunt, quæ publice agnoscimus, & consensu vera esse testamur.*

Desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia:
In nullum auarus bonus est, in se pessimus,
Magus tamen feriuntur animi, cum carmine eiusmodi dicta sunt.

Is mini

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.

M. TVLLIVS quoque extremum suum PARADOXVM his verbis concludit: *Improbi & auari, quoniam incertas, atque in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquã adhuc inuẽtus est, cui quod haberet, esset satis, nõ modo nõ copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimãdi sunt.* Cic. par. 6.

III. Proprietas, Paupertas proprie accepta, vt est inopia pecuniæ aliarumque rerum ad vitam sustentandam necessariarum, adiaphora est, hoc est, natura sua nec bona nec mala, ac proinde nec virtus est, aut vitium. S. AMBROS. in Lucam: *Beati*, ait, *pauperes* dicuntur à Christo: *Non omnes beati pauperes. Paupertas enim media est, possunt & boni & mali esse pauperes, nisi forte ille intelligendus pauper beatus, quem propheta describit dicens: Quia melior pauper iustus, quam diues mendax.* Et S. BERNARDVS in epistola quadam: *Non paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor. Denique beati pauperes, non rebus, sed spiritu.* Et S. HIERON. in Isaiam. exponens quo sensu in Scripturis paupertas aliquãdo numeretur inter mala: *Lazarus*, inquit; *non idcirco mala sustinuit, quia cum egestate passus est tormenta morborum, sed malis quæ putabantur in seculo, vera bona est consecutus. Vnde & diues ille purpuratus, recepit bona sua in vita sua, quæ illi erant bona, quia arbitrabatur bona. Et de Lazaro non econtrario dicitur: Recepit mala sua in vita sua: sed recepit mala in vita sua, quæ mala non illi qui patiebatur, sed alijs videbantur. Vtriusque rei nobis exemplum tribuit beatus Iob, qui nec in bonis, nec in malis seculi victus est, sed omnia pari mentis firmitate sustinuit. Quamobrem Salomon precatur Deum. Diuitias* A. li. 5. c. 6. Prou. 19. 22. B. ep. 100. Matth. 5. 3. H. ad c. 55. Lucæ 16. 25. Iob. 1. Prou. 30. 8.

tias & paupertatem ne dederis mihi: constitue autem mihi, quæ sunt victui meo necessaria & sufficientia, ne saturus mendax efficiar, & dicam. Quis me videt? aut egens furer, & periurem nomen Domini. Si autem hoc deprecatur, vt nec diuitias habeat, nec paupertatem, de quibus

1. Tim. 6. 8. *& Apostolus dicit: Habentes victum & vestitum, his contenti simus: perspicuum est diuitias & egestatem, sanitatem & languorem, voluptatem atque cruciatus, nec bona esse, nec mala, sed pro substinentium diuersitate bona & mali fieri.*

IV. Proprietas. Hæc proprie dicta paupertas, etsi ex se nec bona nec mala est, tamen conueniens, imo necessaria est Reipublicæ: *Paupertate enim sublata,* vt bene ratiocinatur S. CHRISOST.

Ch. ho. 5. in homiliis de fide Annæ: *vitæ totius constitutio tollitur, & omnis viuendi ratio perturbatur. Nam neque nauta erit, neque gubernator, non agricola, non cæmentarius, non textor, non sutor, non materiarius, non ærarius, non coriarius pistórve, nec alius vllus opifex; quibus si nobis carendum sit, omnia pessum ibunt: nunc enim quasi magistra quædam optima necessitas paupertatis singulos ad opera vel inuitos perurget. Quod si omnes essent diuites, omnes etiam in otio viuerent, atque ita omnia corrumperemur, & nihil non periret; præterea suis ipsorum verbis conuinci possunt, & ad nihilum redigi.* DEINDE fœlicior fere istorum paupérum est conditio quam diuitum, quoad corpus: *Nam nemo dicere,* subiungit idem Chrysostomus: *potest aut ostendere, quod pauperes soli ægrotent, diuites semper prospera vtantur valetudine. Contrarium quidem videre licet, pauperes non facile insanabilibus morbis capi, sed eos passim in diuitum corporibus prouenire. Certe podagra, grauedines, dissolutiones neruorum, aut contractio-*

nes

ues, varij fluxus vitiosi & corrupti delicatos illos magis infestant, eos qui vnguenta olent, non eos qui laborant & exercentur, & quotidiana opera sibi victum quaeritant. Quapropter mendicis quoque miseriores sunt, qui in deliciis viuunt, id quod nec ipsi inficiari possunt. Frequenter quippe diues molli lectulo cubans, inter omnimoda seruorum ac ancillarum obsequia, audito mendico per vicum clamore panem petente ingemuit, & lachrymis precatus est, vt talis fieret, dummodo sanus potius, quam in diuitijs aduersa laboret valetudine. Et S. AMBROSIVS libro 6. hexæmeron: *Respice*, inquit: *in sepulchra hominum, & vide quid ex te nisi cinis & ossa remanebunt, hoc est, ex corpore tuo: respice, inquam, & dic mihi, quis ibi diues, quis pauper sit? Nulla distretio inter cadauera mortuorum, nisi forte, quod grauius fœtent diuitum corpora distenta luxurie. Quem audisti pauperem eruditate defunctum? Prodest illi inopia sua: exercet corpus, non opprimit.* Et S. AVGVSTINVS ad pauperem *Nunquid, ait, patrimonium tuum sanitas est?*

Ambr. c. 8.

A. in Psal. 51.

V. Proprietas, eadem proprie dicta paupertas, quatenus voluntaria est, bona est, & nomen virtutis obtinet, vt docuit paulo ante S. BERNARDVS, & reuocari potest ad virtutem Temperantię. SVNT autem varij eius gradus. Primus gradus est eorum, qui secundum consilium Christi omnia sua vendunt, & dant pauperibus, pauperésque ac nudi Christum sequuntur. 2. Eorum, qui non quidem vendiderunt, sed ne Christum amitterent, vltro deseruerunt, cuiusmodi multi sunt hoc seculo exules ex Anglia, pauperem trahentes vitam extra natale solum, eo quod signum bestiæ accipere noluerint. 3. eorum, qui cum diuites malis artibus

B. ep. 100.

artibus esse possent, timorem tamen Dei caducis anteponẽtes opibus pauperes esse malunt, & cum Tobia dicunt: *Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recessserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* 4. eorum, qui nec sunt, nec possunt, nec volunt diuites esse, panem à Deo petentes quotidianum, & habentes victum & vestitum his contenti sunt. 5. eorum, qui vellent, si possent sine cuiusquam iniuria diuites fieri, sed cum non possint, æquo propter Christum animo paupertatem ferunt. Tob. 4. 23.

VI. Proprietas. Quod ad primum gradum attinet, certum est multo melius esse, magisque meritorium, quicquid homo possidet simul relinquere, vitámque Euangelicæ paupertati dicare, quam retinere sua eo consilio, vt paulatim erogentur in pauperes. Nam priùs illud tanquam perfectioni consentaneum consuluit Christus, non posterius, eique consilio, omnibus vna vice relictis, paruerunt Apostoli, & primi Christiani. Vnde S. HIERONIM. contra Vigilantium ita scribit: *Quod asseris eos melius facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt, quam eos, qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur, non à me, sed à Domino respondebitur. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, & nauiculam & rete dimittit. Iste quem tu laudas, secundus & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus, prima secundis & tertijs præferenda.* Et in epistola ad Iulianum, qui prolixe in pauperes liberalis erat, eum ad omnia potius deserenda hortatur. Hortatur & Lucinium Matth. 19. 29. Act 4. 34. Matth. 19. 21. H. ep. 34.

in

in alia. Et in vita S.Hilarionis inducit dicentem S. Hilarionem: *Neminem melius erogare, quam qui sibi nihil reseruat.* Id.ep.26.

S. AVGVSTINI libro de bono coniugali sententia est: *Benefaciebant, qui de sua substantia Christo, & discipulis eius necessaria subministrabant: sed melius, qui omnem substantiam dimiserunt, vt expeditiores eundem Dominum sequerentur.* Idem docet CASSIANVS coll.21.& S.GREGORIVS 32. moralium. C. cap.33. G.c.17.

VII. Proprietas est dicti primi gradus, vt paupertas huiusmodi voueatur & promittatur Deo, vt fit ab omnibus fere religiosis. Ita enim S. Patres consilium Christi: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia,* &c. intellexerunt. Parum enim prodesset dare omnia pauperibus, si postliminio tandem rediretur ad opes, & lucra. Certe S. AVGVSTINVS epistola 87.& in Psalmum 109. dicta Christi verba, cum S. BERNARDO, in Declamatione super eadem verba, retulit ad professionem monasticam. Deinde primi Christiani, quam professi sunt paupertatem Actorum 4. capite, eandem quoque voluerunt, teste eodem Augustino sermone 1. de vita communi clericorum. Et liquet exemplo Ananiæ & Sapphiræ ob violatum votum morte multatis. Nam Actorum 5. dicitur de Anania: *Fraudauit de pretio agri, conscia vxore sua.* nec enim fraudauit, nisi quia quod Deo promiserat, non præstitit. Quod autem promiserit DEO, liquet ex verbis Petri: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto & fraudare de precio agri?* quid enim est mentiri Spiritui Sancto, nisi violare fidem datam DEO? Accedit, quod tam seuera pœna puniri non potuissent, nisi mendacio & auaritiæ grauius Act. 5.

peccatum

peccatum sacrilegij accessisset. Denique S. Patres testantur eos voluisse paupertatem de omnibus relinquendis, vt Chrysostomus in Acta. Hieron. ad Demetriadem. August. de verbis Apostoli. Fulgent. de debito coniugali. Gregor. ad Venantium. VIDE PANARIVM, V. violatio votorum.

Ch.ho.12. Hier.ep.8. Aug. ser. 27. Gr. l.11.ep. 33. F.c.8.

VIII. Proprietas est, quod Religiosi in professione huius paupertatis Deo promissæ nõ eo contenti sint, vt superflua abiiciant, aut se ad eum statum redigant, de quo dixit Salomon; *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria.* Et Paulus; *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* verum his quoque necessariis se exuũt, & in quadam rerum omnium nuditate constituunt: nec aliqua tantum resecant, aut etiam multa, quod tamen ipsum laudabile & mirabile esset, sed plane omnia, & in omni genere, & in perpetuum. Imo non solum nihil habent, sed in eo statu se collocant, vt ne habere quidem possint aliquid proprij, cum omnem dominij facultatem à se præciderint. Declarant hoc Theologi iumentorum exemplo. Vti enim ea quidem vti possunt stabulo, stramini bus, fœno, auena, nec tamen hæc possident, cùm potius possideantur ab hominibus quia scilicet ratione carent, quę est causa dominij: Sic religiosi singuli, cibo, vestitu, domo reliquisque ad vitam necessariis vtuntur illi quidem, sed tanquam alienis, quia vsum tantum sibi vendicant, non dominium. Vnde consequens est neminem posse dicere aliquid esse suũ. Qua de re multa in PANARIO V. Proprietas religios.

Prou. 30 8. 1. Tim. 6. 8.

IX. Inter religiosos profitentes & vouentes Voluntariam paupertatem, multiplex est forma & modus,

modus, præcipue autem duplex. PRIOR & antiquior forma est, quæ seruata est à S. BASILIO, Augustino, Benedicto, Brunone & Bernardo, qui nihil quidem priuatim possederunt tanquam proprium, tamen annua vectigalia vel redditus habuerunt, & sæpe tam copiosos, vt Ioannes Trithemius de solo suo ordine Benedictino libro primo de viris Illustribus sui ordinis non dubitauerit affirmare, si omnes possessiones ei adhuc manerent, futurum, vt S. Benedictus tertiam Christiani orbis partem possideret. Certe in vita S. Placidi habemus eum tantas possessiones secum in ordinem S. Benedicti transtulisse, vt solus magnam regni Siciliæ partem obtinuerit. Quo respexit S. BERNARDVS epistola 1. scribens; *Ostenditur terra, quæ cum illo & pro illo dicitur data fuisse.* Et S. AVGVST. in epistola ad sanctimoniales, monet eas, vt quæ aliquid habuere in seculo, id velint deinceps esse commune. Et exstat IVSTINIANI constitutio, qua iubet, vt monachorum bona attribuantur monasterio quod ingressi fuerint. Et in Actis Apostolorum primis Christianis, ex communibus bonis, diuidebatur, prout cuique opus erat, qui tamen nihil suum esse dicebant. POSTERIOR forma, & perfectior est, qua nihil omnino nec priuatim, nec communiter possidetur, quam primum S. Franciscus, eiusque exemplo permotus Dominicus, deinde alij complures secuti sunt. Vnde GREGORIVS V. cap. nimis praua, de excessu Prælatorum, ait Fratres Prædicatores & Minores in altissima paupertate Christo pauperi famulari, & NICOLAVS Papa c. Exiit, de verborum significatione, docet hanc formam abdicandi omnia

T. cap. 2.

A. ep. 109.

Auth. coll. 1. const. 5. § illud. Act. 4.

nia esse sanctam & meritoriam, quamque Christus verbo docuerit & exemplo. Et S. THOMAS Opusculo 17. & S. Bonauentura in opusculo de Christi paupertate,& in Apologia pauperum docent maioris perfectionis esse posteriorem hanc formam,quam sit prior,& exemplo Christi, Apostolorúmq; magis consentaneam.Nostra SOCIETAS vtramque formam sequitur:priorem in Collegiis,posteriorem in Domibus professis.

RESTABAT, vt ageremus,de Mediis vel Adiumentis, quibus accendi in nobis queat Amor Paupertatis, sed ea inuenies in PANARIO nostro, V. *Impatientia in Paupertate.*

VIDE de Statu Eremitarum, Monachorum, Virginitatis, Vouentium.

DE PEREGRINORVM AD LOCA SACRA STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Peregrinationis intelligatur.

PEREGRINATIONIS vox non vnam habet significationem etiam in diuinis literis. Primo enim significat commorationem in hac vita,vt in Genesi; *Dies peregrinationis,* Gen.47.9. ait Iacob Patriarcha, *vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali, & non peruenerunt vsque ad dies Patrum meorum,quibus peregrinati sunt.* Et Apo- 2.Cor.5.6. stolus in altera ad Corinthios inquit: *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino.* Secundo designat 2.Cor.5.8. excessum animæ à corpore,vt cum idem ait: *Audemus*

demus autem', & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Et ideo contendimus siue absentes, siue præsentes placere illi. Tertio, profectionem ad remotas orbis partes ob finem spiritualem institutam, qualis fuit Apostorum ad prædicandum Euangelium. Quo sensu 2. Cor. 8. Paulus in eadē epistola scripsit de S. Luca: *Ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ.* 19. Hvic affinis est peregrinatio, de qua nos hoc loco agimus, nam nomenclatura hac non aliud intelligimus, quam profectionem ad loca sacra vel templa sacris reliquiis Christi vel sanctorum imaginibus vel miraculis illustria, idque pietatis causa initam.

Inter loca autem sacra quæ peregrinatione adiri solent facile principatum obtinet terra sancta, vt liquet ex epistola S. Hieronymi ad Hier. ep. Marcellam. Nomine enim Terræ sanctæ intelligi- 17. mus loca Christi Domini natali, prædicatione, miraculis, passione, resurrectione & ascensione in cœlum: B. Mariæ quoque & Apostolum commoratione & gestis celebrata. Quæ loca maxime post repertā ab Imperatoris Constantini matre S. Helena crucem Domini maximo fidelium concurcursu frequentari cœpere ex orbe toto, vt tradit idem Hieronymus in Isaiam, & alibi. Huic pere- Hier. c. 19. grinationi annexa est alia ad *montem Synai*, de qua S. Gregorivs ad Rusticianam Patritiam. Et Gre. lib. 3. ad *quercum Mambre*, de qua Somozenus. Et in Ara- ep. 43. biam ad fimum B. Iob, de qua Chrysost. ad S lib. 2. c. 5. Chr. hom. populum; *Multi*, inquit, *nunc longam & transmari-* 5 initio. *nam peregrinationē à terræ finibus in Arabiam abeunt, vt fimum illum cernant, & conspicati terram deoscu-*

lentur, quæ illius victoris certamina & cruorem omni auro pretiosiorem susceptit. Omitto ceteras Orientales.

SECVNDVM locum inter primarias obtinet Peregrinatio ad limina Apostolorum Petri & Pauli Romam. De qua S. Chrysostomus multa præclare ad eundem populum Antiochenum dixit, & in epistolam ad Romanos. De frequentatione testatur inter alios NICOLAVS I. Papa epistola ad Michaëlem Imperatorem Cõstantinopolitanum, *Tanta millia*, inquiens, *hominum protectioni ac intercessioni beati Apostolorum Principis Petri, ex omnibus finibus terræ properantium sese quotidie conferunt, & vsque in finem vitæ suæ apud eius limina semet mansura proponunt*, &c.

C.ho.65. C.ho.32.

TERTIVM obtinet Peregrinatio ad S. Iacobum Apostolum in Hispaniã, Compostellam, quæ cœpit circa annum Domini 816. post repertum eius corpus, quo & Rex Alphonsus eidẽ templum exstruxit, teste Vasæo in Chronico Anni 798. De miraculis S. Iacobi ibi factis Callistus II. Pontifex Maximus integrum librum scripsit insertum speculo historiali VINCENTII Bellouacensis.

Vinc. lib. 26. à c. 30.

QVARTVM denique tenet Peregrinatio ad ædem Lauretanam, hoc æuo celeberrima, & notissima, de qua integer liber scriptus est à nostræ Societatis sacerdote HORATIO Tursellino. SVNT & aliæ plures celeberrimæ, de quibus, qui volet legat nostrum P. Iacobum Gretzerum Theologum Ingolstadiensem in libris 4. de sacris & religiosis Peregrinationibus recens in lucem editis.

CAPVT II.

Peregrinationes huiusmodi esse religiosas & imitandas.

PERE

PEREGRINATIONES autem huiusmodi ad sacra loca esse religiosas & imitandas, possumus primum probare ex diuinis Scripturis. Nam Deus in Deuteronomio instituit, vt filij Israël ter in anno peregrinarentur ad tabernaculum, vel templum Domini. Quam legem sedulo præstitit, vt est in Regum historia. Helcana & coniux eius. Deinde Christus ipse cum matre sua & S. Ioseph, vt testatur S. Lucas & Ioannes. Ad hæc gentiles, vt est in Actis Apostolorum, è longinquis regionibus ventitabant Hierosolymam orationis & adorationis deferendæ causa, nominatim Eunuchus Æthiops. Sed & Apostolus Paulus accelerabat profectionem, vt in Hierusalem ageret Pentecostem, vt Hieronymus annotauit in epistola ad Marcellam. Sed & Salomon, vt est in tertio Regum, abiit in Gabaon sacrificaturus Domino, vbi & donum sapientiæ impetrauit, & alibi orat pro peregrinantibus ad templum Hierosolymitanum, vt Deus velit eos ibidem exaudire. Ecclesiasticus denique agens de Patriarcha Ioseph: *Ossa*, inquit, *ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerunt.* Sic Epiphanius in libro de Prophetarum vitis, à peregrinis visitata ait ossa Prophetarum Isaiæ, Ieremiæ & Ezechielis. Alij Patres citant pro peregrinatione etiam illud Isaiæ; *Et erit sepulchrum eius gloriosum*, seu, vt Græci legunt, *Et erit requies eius honos.* Et illud regij Psaltis; *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Vnde S. HIERONYMVS ad Marcellam; *Cuius sepulchri gloria, multo antequam excideretur à Ioseph scimus Isaiæ vaticinio prophetatum dicentis: Et erit requies eius honor, quod scilicet sepulturæ Domini locus esset ab omnibus honorandus:* Et EVSEBIVS lib. 3. de

Deut. 16. c. 16. 1. Reg. 1. 3. Luc. 2. 41. Ioan. 12. 12. Act 8. 27. Act. 20. 16. Hier. ep. 17. 3. Reg 3. & 8. Eccl. 49. 18. Isa. 11. 10. Psal. 131. 7. Hier. ep. 17. Euf. c. 42.

de Vita Constantini agens de S. Helenæ peregrinatione Hierosolymam studio precandi & adorandi facta: *Postquam*, ait, *loca seruatoris vestigijs notata debito cultu ac honore affecit, conuenienter illi prophetico oraculo, Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius, pietatis suæ monumenta etiam posteris confestim dereliquit.*

Psal. 131. 7.

Euſ. lib. 6. cap. 9.

PATRES quoque veteres peregrinationes religiosas laudarunt. Nam EVSEBIVS iam citatus in historia Ecclesiastica commendat Alexandrum Episcopum Cæsarienſem (qui 100. annis ante Constantinum Magnum vixit,) quod precationis, rerúmque à Christo & Apostolis gestarum causa peregrinatus sit Hierosolymam. Eiusdem meminit & S. HIERON. libro de viris illustribus, & addit, cum ex alio omni orbe, tum etiam ab extrema Britannia religionis ergo homines conuolasse. Idem de obitu Paulæ: *Cuius*, inquit, *gentis homines ad loca sancta non veniunt?* Et ad Marcellam:

Hier. ep. 27.

Hier. ep. 17.

Longum est nunc ab ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat. S. BASIL. homilia in Iulittam Martyrem, dicit plurimos homines ad sepulcrum eius confluere. Et sermone in Barlaam martyrem, & alio in 40. Martyres, scribit nos debere cateruatim ad sepulcra martyrũ aduolare, haud secus, quã apes ad aluearium, eo quod tueantur hominem ab omni infortunio. S. AMBROSIVS de obitu Theodosij Impera

Imperatoris ita scribit de S. HELENA matre Constantini Imperatoris; *Anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat festinauit Hierosolymam, & scrutata est locum Dominicæ passionis.* Deinde subdit de inuenta cruce Christi indicio tituli; *Habeat Helena, quæ legat, vnde crucem Domini recognoscat. Inuenit ergo titulum, regem adorauit, non lignum vtique, quia hic gentilis est error, & vanitas impiorum. sed adorauit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo.* Et in libro contra Auxentium de tradendis basilicis, dicit se Mediolani inter medios hostes non visum, nec tantum Martyres visitasse assidue. S. EPIPHAN. de Vitis Prophetarum commemorat tantam hominum turbam sæpe confluxisse ad Ezechielis sepulchrum, vt Chaldæi timerent ne tandem à peregrinis auferrentur eius reliquiæ. S. GREG. Nyssenus de S. Theodoro martyre scribens, ait nunquam cessasse aduentantium peregrinorum multitudinem, viámque publicam prætulisse formicarum similitudinem, sibi mutuo credentium, dum alij venirent, alij domum redirent. S. CHRYSOSTOMVS in demonstratione, quod Christus sit DEVS: *Roma quæ vrbium est regalissima relictis omnibus ad sepulchra piscatoris & pellionis currunt & Reges, & Præsides, & milites.* Et in epistolam ad Ephesios: *Vellem nunc in illis locis versari, in quibus vincula illa* (Pauli) *manent, & catenas videre, quas timuerunt quidem dæmones & horrent, & angeli venerantur. Si Ecclesiasticis curis essem vacuus, corpúsque robustum haberem, nequaquam tantam peregrinationem facere recusarem, quo catenas saltem viderem, & carcerem in quo Paulus vinctus fuit.* S. PAVLINVS ad SEVERVM: *Non aliter affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi vt* Chr. ho. 8. Paul. epist. 11.

loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus videant atque contingat. Et natali tertio S. Felicis, scribit turbas innumerabiles ex remotissimis locis peregrinari solitas ad corpus S. Felicis, PRVDENTIVS in hymno de SS. Hemiterio & Chelidonio.

Exteri, nec non vt orbis
Huc colonus aduenit.
Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi,
Quos precantes ambiant.

Aug. epist. 137. S. AVGVSTINVS ad Clerum & populum Hipponensem: *Elegi*, inquit, *aliquid medium, vt certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos.* SOCRATES lib. 7. historiæ scribit Eudociam Theodosij iunioris vxorem ex voto Hierosolymitanam peregrinationem suscepisse. BEDA lib. 5. historiæ scribit Regem Ceaduallam peregrinatum ad limina Apostolorum, vt ibi baptizaretur, & moreretur, & vtrúmque imperasse. Regem item Coenredum eodem peregrinatum ibique in ieiuniis & precibus vsque ad vitæ exitum permansisse. Sub idem tempus, quo Beda vixit, C. Cabilonenses Patres docuerunt omnibus probandam esse deuotionem eorum, qui pœnitentiæ causa ad limina Apostolorum, vel alia sancta loca peregrinantur. SIMEON Metaphrastes narrat S. NICOLAVM adolescentem voti causa Hierosolymam peregrinatum. Idem de innumeris aliis Sanctis apud Surium legitur in historiis Sanctorum, vt de Simeone Salo Abbate, de S. Guilhelmo Duce Aquitaniæ, de S. Brigitta, eiúsque maioribus: ac demum de peregrinis Cruce signatis

Socrat. c. penult.

Beda c. 7.

Ib. c. 10.

In eius vita apud Sur.

ab an

ab anno 1096. vsque ad 1291. ad terram sanctam armata manu tanto numero profectis, vt numerus certus iniri nequeat. Quam multi autem pietatis causa post annum illum 1291. ad terram sanctam, etiam cum ab hostibus fidei Saracenis vel Turcis teneretur, profecti sint, liquet ex eorum Hodæporicis in lucem editis, & à GRETZERO nostro libro citato commemoratis.

CAPVT III.

De dignitate sacrarum Peregrinationum.

DIGNITATEM religiosarum Peregrinationum inde cognoscere procliue est, quod apud omnes nationes Christiana doctrina imbutas, nomen PEREGRINI venerabile reputetur & inuiolabile, perinde atque publici Legati, maximè si profectionem ad S. Iacobum, Romam vel Hierosolymam, vel alium locum sacrum instituat, multóque amplius si certo quodam habitu peregrinis sacris vsitato vtatur. Deinde quia iam olim in veteri testamento antiquis Patribus Abraham, Isaac, & Iacob, qui se peregrinos nomine & re profitebantur, Deus peculiari quodam modo se eis ducem & patronum exhibuit, vt testatur Apostolus in epistola ad Hebræos, cum enim de illis dixisset: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus*, cõfitentes, quia peregrini & *hospites sunt super terram*, subiungit: *Ideo non confunditur DEVS vocari Deus eorum, parauit enim illis ciuitatem.* Quæ verba expendens ibi S. CHRYSOST. *O quanta dignitas*, inquit, *vt dignaretur vocari Deus eorum. Quid dicis? Deus terræ vocatur, & Deus cœli, & veluti* Heb. 11. 13. Chr. hom. 25.

magnum aliquid posuisti, quod dicis: Non confunditur Deus vocari Deus eorum. Magnum est hoc, & reuera magnum, & multæ beatitudinis indicium. Quomodo? Quia terræ quidem & cœli vocatur Deus, sicut vocatur & paganorum Deus, quia ipse condidit & construxit omnia. Sanctorum verò illorum non sic dicitur DEVS, *sed sicut amicus aliquis germanus.* Et paulo post; *Intellige, quanta est magnitudo, qui mundi vocatur Deus, non erubescit trium vocari Deus: & merito. Non solum mundo æquales, sed mille talibus æquiparantur meritorum momenta Sanctorum. Melior quippe vnus faciens voluntatem Domini, quam decies mille iniqui.*

EODEM modo DEVS fauit toti populo Israël, cum velut peregrini, lumbos succincti, baculos in manibus tenentes, & pedibus calceati ex Ægypto in terram promissionis tenderent: *Dominus solus,* Deut. 32. 12. teste Moyse in Deuteronomio, *dux eorum fuit, in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis, circumduxit, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Assumpsit atque portauit in humeris suis, & sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos* Exod. 13. 21. *volitans expandit alas suas.* DEINDE vt est in Exodo: *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.*

Exod. 32. 9. FAVIT idem DEVS olim per latas leges commodis peregrinorum: *Peregrino non eris molestus,* inquit, *scitis enim aduenarum animas, quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti.* Et rursus: *Anno tertio* Deut 14. 22. *separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi, veniétque peregrinus, pupillus ac vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur, vt benedicat* Deut. 24. 19. *tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.* Et iterum; *Quando messueris*

segetem

segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris, vt tollas illum, sed aduenam & pupillum & viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Et rursus: Leu.19.10. *Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes.* Et: *Si habitauerit aduena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena, & diligetis eam quasi vosmetipsos, fuistis enim & vos aduenæ in terra Ægypti.* Ib.33. Causa autem harum legum pro peregrinis non est alia, quam quod DEVS singulari amore sit eos prosecutus. Vnde in Deutoronomio dicitur: *Facit* (Deus) *iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum & vestitum.* Deu.10.18.

HAS leges egregiè seruauit pius ille Booz erga Ruth Moabitidem. Cum enim hæc in agrum Ruth. 2.8. eius venisset colligens spicas post terga metentium: *Audi filia*, inquit Booz, *ne vadas in alterum agrum ad colligendum, ne recedas ab hoc loco, sed iungere puellis meis, & vbi messuerint sequere. Mandaui enim pueris meis, vt nemo molestus sit tibi: sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, bibe aquas, de quibus & pueri bibunt, &c.* Illustre profecto in peregrinis exemplum, & maximè imitandum in peregrinis nostris sacris, quando ad sacra loca visenda & adoranda tendunt, quorum illi veteris legis peregrini typi fuerunt: *Omnia enim in figura*, teste Apostolo: *illis contingebant.* 1. Cor.10. 11.

Ex NOVO verò testamento pro dignitate peregrinationis illud quoque facere videtur, quod argenteis illis, quibus IVDAS proditor vendidit Christum, teste B. Matthæo *emptus sit ager figuli in sepulturam peregrinorum.* Nam de eo ita scribit S. Matth 27. 7.

A.ser.51. AMBROSIVS alicubi: *Figuli ager Christi sanguine emptus est peregrinis: peregrinis, inquam, qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exules iactabantur, requies sanguine Christi prouidetur, vt quibus non est in mundo possessio, ijs in Christo sit sepultura. Istos autem peregrinos, quos esse dicimus, nisi deuotissimos Christianos, qui renunciantes seculo, & nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt? Christianus enim, qui mundum non possidet, hic totum possidet Saluatorem.*

TALIS peregrinus fuit Christus, qui non habuit vbi caput suum reclinaret, obiens per triennium vicos, castella & opida, vt verbum Dei prædicaret, & filios Israhel ad vitam æternam adduceret. Tales omnes Apostoli, & inter eos B. PAVLVS, qui relictis omnibus secuti sunt Christum, eiusque iussu ductuque per totum orbem terrarum peregrinati sunt, vt Euangelium annunciarent. Tales fuere nobilissimi quique ex vtroque sexu, qui per hos mille quingentos & amplius annos peregrinationes religiosas ad sacra loca, Hierosolymam, Romam, Compostellam, Lauretum & alia innumera susceperunt, & peregrinationum dignitatem suo exemplo demonstrarunt.

CAPVT IV.

De Proprietatibus vel ritibus Peregrinationis.

PRIMVS Ritus est certus & cinctus habitus Peregrinantium. Fuisse enim iam olim peregrinos certo amictu distinctos ab aliis iter facientibus videtur colligi ex duobus discipulis in Emaus teste B. LVCA profectis, quibus comitem se adiunxit Christus habitu peregrini tectus. Sic enim eum

eum allocuti sunt: *Tu solus Peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus?* Luc.24.13.

VESTIS autem accingenda erat secundum lumbos: *Renes vestros*, mandauit in Exodo Dominus, *accingetis*. Vnde Elisęus ad puerũ suum: *Accinge lumbos tuos & vade*. Et Deus Ieremię: *Accinge lumbos tuos & surge*. Et Christus: *Sint lumbi vestri præcincti*. Vnde GREG. Nyssenus de vita Moysi, *cingulo*, ait, *quodam sursum vestis trahenda est, & coarctanda, ne huc atque illuc circumfluat. Cingulum vero modestia est, & diligens viuendi ratio, qua nos monet ad necessitatem, non ad voluptatem rebus vti*. Et alter GREGOR. Romanus in Euangelia: *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*. Exod. 12. 11. 4. Reg. 4. Ier. 1. 17. Luc. 12. 35. G. ho. 13.

II. RITVS est baculus: nam in Exodo dicitur peregrinis: *Baculos tenentes in manibus*. Et in Genesi Iacob Patriarcha in peregrinatione existens: *In baculo meo, ait, transiui Iordanem istum*. Dauid quoque, vt est in primo Regum singulare certamen cum Philistæo initurus: *tulit baculum suum*, ait Scriptura: *quem semper habebat in manibus*, nempe vt peregrinus. Et S. Marcus: *Et præcepit eis*, (Christus) *ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*, hoc est, baculum vialem. CASSIANVS collatione XI. scribit more receptum fuisse apud Ægyptios monachos, vt baculo & pera instructi profectionem susciperent. Solemne & Philosophis Ethnicis fuit baculi peræque gestamen: nam de Diogene Cynico ita Latinus Poeta canit: Exod. 12. 11. Genes. 32. 10. 1. Reg. 17. 40. Marc. 6. 8. C. cap. 3.

Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici.---

BACVLVS autem spiritualiter denotat spem: nam NYSSENVS loco citato ait: *Baculus verò, quo & feras*

feras repellimus, & nonnunquam sustentamur, spes est. Hac enim sola induimur, vt labores simul & dolores sufferamus, hac fessos animos recreamus. Et S. AVGVST. de verbis Apostoli: *Ipsa spes peregrinationi necessaria est, ipsa est, quæ consolatur in via. Viator enim, quando laborat ambulando, ideo laborem tolerat, quia peruenire sperat. Tolle illi spem perueniendi, continuo franguntur vires ambulandi.*

A. ser. 16.

III. Est pera, in qua reseruntur esculenta, & alia ad iter necessaria. Sic dicitur in 4. Regum quidam Eliæo Prophetæ panes primitiarum & viginti panes hordeaceos in pera sua attulisse. Et Dauid in pera quinque limpidissimos lapides habuit. Et Iudith caput Holofernis in peram misit. Pera hæc spiritaliter est bona voluntas Dei voluntati in omnibus obsequēdi. De qua angeli in Christi Domini ortu cecinerunt: GLORIA *in excelsis Deo, & pax hominibus bonæ voluntatis. Si enim bonus esse volueris*, inquit S. CHRISOSTOMVS in Matthæū: *qui prohibeat nullus omnino est: immò est quidem diabolus prohibens, sed profecto nihil poterit te eligente meliora, magis autem hoc Deo tibi adiutorium copulante. Quod si tu certe nolueris, retrorsum receſſeris, quinam ille te tutabitur? non enim necessitate ac violentia, sed cum tua te vult voluntate saluare. Quemadmodum è regione si solam ad placendum ei ostenderis voluntatem, nunquam te ille destituet, quantalibet aduersus te diabolus moliatur.*

4. Reg. 4. 1. Reg. 17. Iud. 13. 11. Luc. 2. 14. C. ho. 23.

IV. Sunt calcei. In Exodo enim Dominus ad filios Israhel dicit: *Calceamenta habebitis in pedibus.* Quo respiciens Apostolus alicubi dixit: *Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Vnde GREG. Nyssenus: *Ne spinis in hoc arduo viuendi genere pedes ladan*

Exod. 12. 11. Eph. 6. 15. G. de vita Moysis.

læ dantur, non nudis pedibus, sed durioribus calceis muniti iter instituere debemus. Spinæ autem quæ pedibus infixæ iter retardant, peccata sunt, à quibus durities calceorum defendit, dura scilicet, & continentissima vita. Et S. GREG. Romanus in Cantica: *Calceamenta de mortuis animalibus fiunt. Et nos pedes spiritualiter calceamus, quando à Patribus sanctis carne mortuis exempla sumimus, vt ad eorum similitudinem mundi huius tentationes expugnemus.* G. in c. 7.

V. Est viaticum. In Deuteronomio Deus pro seruo libertate donato hoc præceptū dedit: *Quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus, & de area & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.* Deut. 15. 13. Nos omnes vocati sumus in libertatem ab eo, qui apud B. Ioannem dixit: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*; necesse est ergo, vt & de viatico nobis prospiciamus: *Multo siquidem viatico*, inquit S. CHRYSOS. in Ioannem: *opus est, nam & multus labor, multus æstus, magna solitudo peragranda est. Nullum est diuersorium, neque forum, vbi nobis necessaria comparare possimus, nisi hinc omnia nobiscum auferamus. Audi quid dicant virgines: Ite ad vendentes, & euntes non inuenerunt. Audi Abraham. Chaos est inter nos & vos. Sed hæc vtinam nos non audiamus, sed accipientes hinc, quæ ad æternam vitam sufficiant viatica; cum fiducia videamus Christum Dominum.* Ioan. 8. 36. C. ho. 83. Matt. 25. 9. Luc. 16. 26. Inter viatica autem optimum est S. Eucharistia. Nam & in Exodo manducabatur à Iudæis habitum peregrinorum præ se ferentibus cum baculis & calceis agnus Paschalis, qui typus fuit S. Eucharistiæ. Vnde & in extrema cœna Christus manducationi agni Paschalis, ilico consecrationem S. Eucharistiæ subiecit. Exod. 12. 11. Qua de causa

causa consultissimè faciunt, qui non ante peregrinationem inchoant, quam cõfessione peccatorum facta se hoc sacramento communierint.

VI. Proprietas. Frequentatio orationis, quo iter semel inchoatum feliciter vsque ad terminum prosequatur. Cuius exemplum præbuit Regius ille peregrinus DAVID, dicens & orans ad Deum:

Psal.24.4. Psa. 118.5. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me: vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Viam iniquitatis amoue à me,*

Psa.38.15. *&c.* IDEM cum dixisset: *Aduena ego sum & peregrinus apud te, sicut omnes Patres mei*, subiecit hanc precationem meritò tibi imitandam: *Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero,*

A. in psl.38. hoc est, interprete S. AMBROSIO: *Hic mihi remitte, vbi peccaui. Nisi hic remiseris mihi, ibi remissionis requiem inuenire non potero. Quod enim in terra ligatum manserit, ligatum manebit in cœlo: quod solutum in terra fuerit, solutum erit in cœlo.* Quod si Peregrinus etiam cantet hymnos sacros, vel Psalmos, eo leuiorem reddet itineris laborem: vnde & Dauid dicebat:

Ps.118.54. A. in psal. 118. ser.7. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Quæ enim bene tenemus*, ait S. AMBROSIVS, cantare *consueuimus, & quæ melius cantantur, melius adhærent nostris censibus. Hymni nobis, canticum nobis, psalmi nobis iustificationes Domini sint.* Qua de causa cum Moyses canticum: AVDITE

Deut.32.1. *cœli quæ loquor*, filiis Israhel traderet, hoc simul præceptũ adiunxit: *Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israhel, vt memoriter teneant, & ore decantent, & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israhel.*

VII.

VII. Proprietas est, quod peregrinaturi ad remotiora loca soleant curare benedici à sacerdotibus peram & baculum. Vnde Edinerus in vita S. ANSELMI ait, sanctus Anselmus peregrinaturus *peram & baculum coram altari suscepit.* Formulam benedictionis ex Olao Magno recitat GRETZERVS lib. 2. de sacris peregrinationib. cap. 2. Sur. to. 2.

CAPVT V.

De fructu sacræ Peregrinationis.

PRIMVS fructus est, quod ex ea magnus honor & veneratio redundet in sanctos, eoque maior, quo maiori affectu, labore, periculoque itinerum suscepta fuerit. Imò redundat in DEVM ipsum sanctitatis eorum auctorem. *Honor enim*, teste S. BASILIO in 40. martyres, & Damasceno, lib. 4. de orthodoxa fide: *à conseruis in bonos collatus benevolentiæ significationem apud communem Dominum habet.* Et HIERON. ad Ripariu. agens de sanctis: *Veneramur seruos, vt honos seruorum redundet ad Dominum, qui ait. Qui vos suscipit, me suscipit.* Et S. AVGVSTINVS de sanctis. *Quotiescunque fratres martyria celebramus, toties Christi gloriam prædicamus, non enim suspicimus, quod passi sint, sed propter quem passi sunt, admiramur.* D. c. 16. H. ep. 53. Matth. 10. 40. A. ser. 11.

II. Fructus est, quod ex ea magna multaq; commoda redundent in nos, tam corporalia, quam spiritualia. EVSEBIVS libro tertio præparationis Euangelicæ: *Hæc nos quotidie*, inquit, *factitamus sanctos Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari* Euseb. c. 7.

iuuari profitemur. S. CHRYSOST. in S. Lucianum Martyr. *Noli, dilectissime, loci huius frequentationem contemnere: siue enim mœror aliquis negotium facessat, hic relegatur: siue curæ seculares, aufugiunt, siue alienæ à ratione perturbationes, sedãtur, à foro autem & theatris, ac ceteris profanis conuentibus multis accumulatis curis ac mœroribus, animæq; morbis, domum redimus. Si hic continuo verseris, prorsus etiam ea, quæ foris contraxisti mala depones: Sin autem resilias, fugiasq;, tum illa etiam, quæ sacrarum ope Scripturarum bona tibi comparasti prorsus amittes, tuæq; omnes diuitiæ à profanis illis consessibus & colloquijs subripientur. Qui huc cum fide ac studio ventitat, innumeris thesauris ditatus abscedit: & si os tantum aperuerit, omni odorum suauitate continuo ac spiritualibus opibus complebit illos, qui congressu eius fruuntur, & si sexcentæ ingruerint calamitates, omnes æquo animo feret, &c. Neque vero tantum ex admonitione, sed etiam ex precibus, paterna benedictione, ex communi conuentu, fratrumq; charitate, atque alijs sexcentis ex rebus multa vtilitate, atque animi oblectatione percepta solet discedere, atque innumera bona domum reportare. Perpende itaque hodie, quanta vos benedictione cumulandi sitis, quanto illi damno mulctandi. Nam vos quidem martyrum percepta mercede discedetis: illi verò præterquam quod lucro isto priuabuntur, alio quoque damno afficientur, quod ex futilibus occupationibus multis solicitudinum sordes contrahant. Quemadmodum enim is qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui iustum recipit, mercedem accipiet iusti: Sic & is, qui recipit martyrem in nomine martyris, mercedem martyris accipiet. Tum verò quis martyrem recipit, cum ad eius memoriam conuenit.*

Matth. 10. 40.

III. Fru

III. Fructus, quod non solum ob peregrinationem re ipsa ad sacra loca institutam, sed etiam ob votum solum de illa factum multa magnáque miracula & olim facta sint, & in hodiernum vsque diem fiant, vt liquet ex historia Lauretana nostri P. HOKATII Torsellini, & ex Trithemio à me nuper edito, de Miraculis Dittelbacensibus & Heilbrunensibus in Franconia. ac denique ex Iusto Lipsio V. CL. de Diua Hallensi, & Aspricolli. Ex veteribus Patribus. Mogunt. anno 1604.

S. AMBROSIVS de SS. Geruasio & Protasio ita scribit: *Cognouistis, imò vidistis ipsi multos à dæmonijs purgatos, plurimos etiam vbi vestem sanctorum manibus contigerunt, ijs quibus laborabant debilitatibus absolutos. Quanta oraria iactitantur, quanta indumenta super reliquias sacratissimas, vt tactu ipso medicinalia reposcantur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, saluus erit.* Ambr. ser. 91. & ep. 85.

S. CHRYSOST. in S. Iulianum: *Sume quempiam à dæmone correptum ac furentem, & ad sanctum illud sepulchrum deduc, quo reliquiæ martyris continentur, tum resilientem planè, atque fugientem videbis. Vt enim si per prunas incessurus esset, sic ab ipso vestibulo statim exsilit, & ne oculos quidem aduersus ipsam thecam audet attollere. Vides vt astris cœlestibus martyrum vulnera splendidiora sint, maioríque virtute polleant?*

S. AVGVSTINVS libro nono confess. agens de corporibus SS. Geruasij & Protasij: *Cum enim, ait, propalata & effosa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam, non solum quos immundi vexabant spiritus confessis eisdem dæmonibus sanabantur, verum etiam quidam plures annos cæcus ciuis, ciuitatiq; notissimus, cum populi tumultuantis lætitiæ causam* Aug. c. 7.

quæsisset, atque audisset, exiliuit, eóque se vt duceret, suum ducem rogauit. Quo perductus impetrauit admitti, vt sudario tangeret feretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum. Quod vbi fecit, atque admouit

Amb. ser. 91. *oculis, confestim aperti sunt.* Vnde S. AMBROS. in serm. de inuentione corporum S. Geruasij & Protasij: *Negant (Ariani) cæcum illuminatum* (à reliquiis) *sed ille non negat se sanatum. Clamat, quia vt contigit fimbriam de veste martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit.* THEODORETVS in historia religiosa de Marana & Cyra fœminis sanctis ita scribit: *Cum aliquando desiderassent salutarium Christi passionum sancta loca videre, venerunt Æliam* (Hierosolymam) *cum in via nihil cibi sumpsissent. Sed postquam in illam vrbem venerunt, & adorationem impleuerunt, cibum sumpserunt, & reuersa sunt, rursus à ieiunis confecto itinere. Est autem iter non*

Beda c. 7. *pauciorum, quam viginti dierum.* S. BEDA lib. 5. historiæ Anglicanæ: *Ceadualla rex occidentalium Saxonum cum genti suæ duobus annis strenuissime præesset, relicto imperio propter Dominum regnúmque perpetuum venit Romam, hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipisci, vt ad limina Apostolorum beatorum fonte baptismatis ablueretur: in quo solo didicerat generi humano patere vitæ cœlestis introitum: simul etiam sperans, quia mox baptizatus carne solutus ad æterna gaudia iam mundus transiret. Quod vtrúnque, vt mente disposuerat, Domino adiuuante completum est. Etenim illo perueniens Pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto Sabbathi Paschalis anno ab incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimo nono, & in Albis adhuc positus languore correptus duodecimo Kalendarii Maiarum die solutus est à carne, & beatorum est consortio sociatus*

sociatus in cœlis. Addam postremum miraculum de peregrinis ad S. IACOBVM in Hispaniam. LVCIVS Marinæus Siculus libro 5. de rebus Hispaniæ: *In antiquissima*, inquit, *ciuitate quam S. Dominici Calciatensis vulgus appellat, gallum vidimus & gallinam, qui dum vixerunt, cuius coloris fuissent, ignoramus: postea verò cum iugulati fuissent, & assi, candidissimi reuixerunt, magnam Dei potentiam, summumque miraculum referentes. Cuius rei veritas & ratio sic se habet. Vir quidam probus & amicus Dei, & vxor eius optima mulier cum filio eius adolescentulo magnæ probitatis ad S. Iacobum Compostellam proficiscentes, in hanc vrbem itineris labore defessi ingrediuntur, & quiescendi gratia restiterunt in domo cuiusdam, qui adultam filiam habebat. Quæ cum adolescentem pulchra facie vidisset, eius amore capta est. Et cum iuuenis ab ea vexatus eius voto repugnasset, amorem conuertit in odium, & ei nocere cupiens, tempore quo discedere volebant, eius cucullo crateram sui patris clam imposuit. Cúmque peregrini mane discessissent, exclamauit puella coram parentibus crateram sibi fuisse surreptam. Quod audiens Prætor satellitem confestim misit vt peregrinos reduceret. Qui cum venissent, puella conscia sui sceleris accessit ad iuuenem, & crateram eruit è cucullo. Quare comperto delicto iuuenis in campum productus sine culpa laqueo suspensus est, miserique parentes cum filium deplorassent, postea discedentes Compostellam peruenerunt. Vbi solutis votis, & Deo gratias agentes, subinde redeuntes ad locum peruenerunt, vbi filius erat suspensus, & mater multis perfusa lachrymis multum dissuadente marito ad filium accessit. Cumque filium suspiceret, dixit ei filius: Mater mea noli flere super me, ego enim viuus sum, quoniam Virgo*

*Dei genitrix,& S.IACOBVS me sustinent,& seruant incolumem. Vade ad iudicem,qui me falsò condemnauit, & dic ei me viuere propter innocentiam meam,vt me liberari iubeat,tibique restitui. Prætorem conuenit in mensa sedentem, qui gallum & gallinam assos scindere volebat. Prætor,*inquit,*filius meus viuit, iube solui obsecro. Quod cum audisset Prætor,existimans eam somniare, respondit subridens: Quid hoc est,bona mulier? Ne fallaris,sic enim viuit filius tuus, vt viuunt hæ aues. Et vix hoc dixerat, cum gallus & gallina saltauerunt in mensa, statimque gallus cantauit. Quod cum vidisset prætor,attonitus continue egreditur,vocat sacerdotes & ciues,proficiscuntur ad iuuenem suspensum,& inuenerunt incolumem, valdéque lætantem, & parentibus restituunt, domúmque reuersi gallum capiunt & gallinam, & in Ecclesiam transferunt magna solemnitate. Quæ ibi clausa res admirabiles & Dei potentiam testificantes obseruantur,vbi septennio viuunt. Hunc enim terminum DEVS illis constituit, & in fine septennij antequam moriantur pullum relinquunt, & pullam sui coloris & magnitudinis. Et hoc fit in ea Ecclesia quolibet septennio. Omnes autem peregrini hanc vrbem transeuntes, qui sunt innumerabiles,quod mirum est,galli huius & gallinæ plumam capiunt, & tamen nunquam plumæ illis deficiunt. Hoc ego testor, propterea quod vidi & interfui, plumámque mecum fero.* Hæc ille.

IV. Fructus est, quod mirificè valeat ad excitandam & inflammandam in homine pietatem sola inspectio locorum sacrorum: *Nam si bellatoris arma cruentata quis cernens,*inquit CHRYSOSTOMVS in S.Iulianum,*Clypeum,hastam & loricam, licet omnium sit ignauissimus, statim exardescit & ad bellum promptus emicat: nos qui non arma, sed corpus*

ipsum

ipſum cernimus ſancti quod dignum habitum eſt, vt ob Chriſti confeſſionem cruentaretur, qui poſſumus non ad ſummam promptitudinem animi exardeſcere, cum hic aſpectus veluti ignis quidam in mentem noſtram incidat, & ad idem nos certamen inuitet? Propterea nobis Sanctorum corpora vſque ad tempus reſurrectionis commendauit DEVS, vt maximæ Philoſophiæ materiam & occaſionem haberemus. Et iterum: *Neque verò tantum miracula operatur, ſed philoſophari etiam ſuadet: ſiue enim dines ſis ac ſuperbias, cum huc veneris ac martyrem intuitus fueris, quantúmque ſit inter opes tuas, & huius diſcrimen, tecum reputaueris, elatos animos ſubito deprimes, & poſito faſtu multa cum animæ ſanitate diſcedes. Si verò pauper & deſpectus videaris, cum huc veneris, & diuitias martyris videris contemptis ſeculi opibus, multa inſtructus Philoſophia diſcedes.* Concludam cum teſtimonio domeſtico & recentiori Nobilis D. Bernardi BREIDENBACHII quondam Metropolitanæ Eccleſiæ Moguntinæ Decani, qui peregrinationem Hieroſolymitanam iniit ſub annum Domini 1483. eámque diuulgauit: *Sacrorum locorum,* inquiens, *deuota viſitatio ad emendationis vitæ propoſitum concipiendum, hauriendámque ſuorum compunctionem criminum, nonnihil confert pio & fideli peregrino: ita vt meo quidem arbitratu, atque plurimorum mecum conſentientium cenſura, nullus pœne ſit, vel perrarus, qui non melior inde regrediatur, quam ante fuerit ingreſſus. Neque ob id hoc in loco gentili conceſſerim Poetæ dicenti:*

Cœlum, non animũ mutant, qui trans mare currunt.

Quis equidem Chriſticola has ingreſſus terras ſacratiſſimas non mox amaras ſoluatur in lacrymas? quis compunctionis non præ ſe feret indicia etiamſi adaman-

tino esset pectore, vbi & petræ scissæ sunt, & saxa ingentia diruta (quæ hodie sub aspectum ibi monstrantur) atque terra tota funditus mota Christo moriente in cruce? Quis non alterum mutaretur in virum, perditus quantumuis ante fuisset? quandoquidem, vt de pleniſſimis illis remissionibus & indulgentijs copiosissimis taceam, mox vbi mare egreditur, & pedem terræ Sanctæ infigit, quando, inquam, quod pluris facio, veneranda Saluatoris sui vestigia, ac omnium pœne passionum, ceu victoriarum suarum erecta ibi vexilla, terrámque suo pretioso rubricatam & perfusam sanguine, copia sibi datur sub oculis conspirare, deoscularíque ore, terere pedibus, manibus & corpore toto complecti. Quando licet villulam Christi ingredi, intrare MARIÆ *diuersorium, atque præsepe illud dignissimum contingere, adorare paruum hoc terræ foramen, in quo cœlorum conditor natus est, in quo inuolutus pannis visus à pastoribus, stella demonstratus, à Magis fuit adoratus, &c.* Breidenbachio consentit illustrissimus Princeps Nicolaus Christophorus RADZIVILLIVS, qui anno Domini 1583. sacra Hierosolymorum loca adiit, cuius exstat Hodæporicum latinè & germanicè: *Cum sacrosanctus iste locus, ait, hoc proprium habeat, vt maximos etiam peccatores peculiari quadam ratione, cum omnium sensuum stupore ab omnipotenti* DEO, *pro innumeris beneficijs, quæ in homines contulit, agendas gratias excitet: præsertim verò etiam vehementer hominem inflammet ad meditandum perquam acerbos dolores & angores mortis hic locorum Christus Dominus & Saluator noster redemptionis nostræ opus voluit perficere.*

VIDE De Statu Processionum sacrarum, quem ob similitudinem argumenti hic proxime subiicio.

DE

DE PROCESSIONIS SACRÆ STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Processionis Sacræ intelligatur.

PROCESSIO sacra non est aliud, quam pia cleri, vel Christiani populi, vel vtriúsque precabundi, cum certo ritu ac ceremonia progressio. SIDONIVS libro quinto epistolarum, vocat *Supplicationem.* GRÆCI persæpe λιτανείαν : λιτανεύειν enim idem est, quod processionem facere : *Notandum*, ait VVALAFKIDVS Strabo libro de incremento rerum Ecclesiasticarum : *Litanias non tantum dici illam recitationem nominum, qua Sancti in adiutorium vocantur infirmitatis humanæ, sed etiam cuncta quæ in supplicationibus fiunt.* Sid. ep. 14. Auth. coll. 9. tit. 15. §. si quis. Val. c. 28.

SVNT autem variæ huiusmodi Processionum formæ & modi. Aliæ enim sunt statæ & perpetuæ, totíque Ecclesiæ communes, vt est Processio LITANIÆ, quæ dicitur *Maior vel Minor*, & processio sanctissimi Sacraméti in festo Corporis Christi. Aliæ verò sunt temporales & arbitrariæ pro diuersitate temporum, locorum & causarum à Magistratu Ecclesiastico politicóve decretæ.

EX STATIS LITANIA MAIOR illa dicitur, quæ instituitur VII. Kalendas Maij in Festo S. MARCI Euangelistæ: cuius auctor fuit S. GREGORIVS Papa, teste Ruperto libro 8. de diuinis officiis, Beda & Adone in Martyrologio. immò S. Gregorius ipse lib. 7. epistolarum, appellat *Maiorem*, & libro 11. cap. 2. *septiformem.* Causam autem R. c. 5. Gr. ep. 76.

huius Litanię S. GREGORIO dedit honesta lues,
Paul. c. 11. quam narrat PAVLVS Diaconus libro 3. de ge-
Greg. c. 1. stis Longobardorum, & GREG. TVRONICVS libro decimo historiæ Francorum: ANNO, inquiens, *quintodecimo Childerici Regis Diaconus noster ab vrbe Roma Sanctorum cum pignoribus veniens sic retulit, quod anno superiore mense nono tanta inundatione Tyberis fluuius vrbem Romam obtexerit, vt ædes antiquæ diruerentur, horrea etiam Ecclesiæ sint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Multitudo etiam serpentum cum magno Dracone in modum trabis validæ per huius fluuij alueum in mare descendit. Sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus littori eiectæ sunt. Subsecuta est eueſtigio clades, quam inguinariam vocant. Nã medio mense 11. aduenies primum*
Ezech. 9. 6. *omnium iuxta illud, quod in Ezechiele Propheta legitur. A sanctuario meo incipite, Pelagium Papam perculit: quo defuncto magna strages populi de hoc morbo facta*
Anno 590. *est.* Tantis malis vt occurreret eius successor GREGORIVS Magnus, indixit dictam LITANIAM vel Processionem, quæ MAIOR est dicta, quod omnes totius anni supplicationes, & viæ longitudine, & precum prolixitate, & populi concursu superabat. Constabat enim septem diuersis procedentium è diuersis locis hominum classibus: vnde & *Septiformis* dicta est. Sermonẽ eo die à B. GREG. habitum habes apud Greg. Turonicum loco citato, & ipsum nostrum Gregor. lib. 11. epistolarum cap. 2. Accidit tunc teste eodem Turonico, *vnius horæ spacio, dum voces plebs ad Dominum supplicationis emisit, octoginta homines ad terram corruisse, & spiritum exhalasse. Sed non destitit*, inquit, *sacerdos tantus prædicare populo, ne ab oratione cessarent.*

MINOR

MINOR Litania appellatur, quæ triduo ante festum Ascensionis, qui dies iam dicuntur Rogationum, celebratur, cuius primus auctor fertur S. MAMERCVS Viennensis in Gallia Episcopus: nam S. GREGOR. Turon. libr. 2. histor. ita scribit: *Appropinquante ascensione maiestatis Dominicæ indixit* S. MAMERCVS *populis ieiunium, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem,* & ibidem allegat testimonium S. AVITI, cuius homilia extat in Bibliotheca Patrum. Deinde SIDONIVS Mamerci æqualis libro 5. epistolarum; *Rogationum,* ait, *nobis solemnitatem primus Mamercus Pater & Pontifex, reuerendissimo exemplo, vtilissimo experimento inuenit, instituit, inuexit.* Idem testantur alij scriptores, qui de officiis Ecclesiæ scripserunt. Occasionem autem dedit huic Processioni creber terræmotus, & incursus ferocium in vrbem luporum, ac ignis subterranei eruptio, teste eodem Turonico & Sidonio. Quoniam vero perfuncti periculis Viennenses quotannis easdem supplicationes repetiuerunt, paulatim eorum exemplum omnes Occidentis Ecclesiæ sunt secutæ: *Cessantibus,* inquit idem Turonicus, *exinde terroribus, per cunctas prouincias dispersa facti fama cunctos sacerdotes imitari commonuit, quod sacerdos fecit ex fide, quæ vsque nunc in Christi nomine per omnes Ecclesias in compunctione cordis, & contritione spiritus celebratur.* TERTIA ex statis & perpetuis processionibus est illa CORPORIS Christi, quam instituit VRBANVS Quartus, de qua multa noster NICOLAVS SERARIVS libr. 2. de Processionibus, cap. nono. & PETRVS THYRÆVS in disputatione de festo CORPORIS Christi, Moguntiæ edita. De

Anno Do. 452. G. c. 34. A. Tom. 7. p. 338. S. cp. 14.

cæteris, quia variæ & peculiares sunt, nihil attinet dicere.

CAPVT II.

S. Processionis Antiquitas & dignitas.

PROCESSIONVM sacrarum Antiquitas & dignitas demonstrari potest exemplis illustribus tum Veteris, tum Noui testamenti. EX VETERI primo habes exemplum apud Iosuam processionum amburbalium, à Deo mandatarum his verbis: *Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem. Sic facietis sex diebus. Septimo autem die Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in Iubilæo, & præcedent arcam fœderis, septiesq; circuibitis ciuitatem, & Sacerdotes clangent buccina.*

Ios. 6.

1. Reg. c. 4. II. Habes in primo Regum, vbi cum Israhelitę fugati cæsique essent à Philistæis, maiores natu dixerunt: *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis, vt veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubin.* Cum autem veniisset arca fœderis Domini in castra: *vociferatus est omnis Israhel clamore grandi & personuit terra*; cur vero tanto gaudio perfusi sunt Israhelitæ ob adductam arcam, nisi in eius præsentia salutis suæ spem collocassent?

III. Habes in 2. Regum, vbi Rex Dauid, post debellatos Philistæos, & occupatã Hierosolymam duplicem vno anno instituit processionem. Vnam, qua arcam Domini è Cariathiarim in domum Obededom Gethæi traduxit. Alteram, qua ex domo Obededom in ciuitatem, & tabernaculum honorificè

2. Reg. 6.
1. Par. 13.

ficè paratum, idque cum omni genere sacrarum ceremoniarum, hoc est vario Psalmorum cantu, Musicorum instrumentorum mirifico sonitu, Sacerdotũ & Leuitarum singulari ordine, & ornatu. atque adeo ipso Rege religionis ergo ante arcam saltante.

IV. Habes lib. 2. Esdrę, vbi Nehemias, post solutã captiuitatem Babylonicam, & Hierosolymam reędificatam, dedicationem murorũ ita perfecit, vt ab interiore vrbis parte super muros ipsos duę, quę sibi mutuo tandem occurrerent, precantiũ, Deumq́; collaudantium classes procederent, murosq́; circuirent & lustrarẽt, cũ canticis, odis & organis variis. Textus vocat: *choros duos laudantium & euntiũ*, id est, procedentiũ. Quæ omnes processiones vti sunt simillimę nostris, quę nũc in Ecclesia Catholica celebrantur; ita non dubiũ est, q. typum earum fuisse: *omnia enim in figura*, teste Apostolo, *contingebant illis*. 2. Esd. cap. 12. 27. 1. Cor. 10. 11.

Ex Novo verò testamento primum habemus exemplum Ioseph & Mariæ cum puero Iesv ascendentium ad diem festum Hierosolymam: tenebantur enim omnes Iudæi quotannis secundum legem Moysis ter reuisere Hierosolymitanum templum, nempe in festis trib. Paschæ, Pentecostes, & Scenopegiorum, idque Primo vt agerent gratias pro tribus Dei beneficiis. In Paschate quidẽ pro liberatione ex Ægypto. In Pentecoste, pro data cœlitus lege. In Scenopegiis pro dato terræ sanctæ promissæ dominatu. 2. Vt sua vota & sacrificia offerrent. 3. Vt benedictionis summi Pontificis fierẽt participes. Itaque verisimile est eos iter illud sacrum cum precibus & hymnis confecisse. Quod autem primis trecentis annis in Christiana Luc. 2. Exod. 23. & 24. Deut. 16.

Ecclesia

Ecclesia non floruerint huiusmodi processiones, causa manifesta est, quia glisscentes id temporis persecutiones illam libertatem piorum exercitio-
2. Exempl. rum impediebant. Quamprimum autem Imperatores fidem Christi amplecti cœperunt, sacræ processiones in lucem prodierũt. Nam, CONSTANTINVS Magnus post Concilium Nicænum, teste
E. c. 47. EVSEBIO lib. 3. Vitæ eius, Constantinopolitanam vrbem à se extructam Beatissim. Virgini MARIÆ dedicauit, idque non sine sacra processione, signi crucis prælatione, hymnis & canticis perfe-
N. c. 26. ctum esse, nõ obscure significat NICEPHORVS libro 8. historiæ suæ his verbis: *Supplicis more rogauit Imperator Episcoporum conuentum, vt precationibus suis munitiones & muros nouæ Vrbis firmarent.* Et paulo post: *Constantinopolim veniunt, Encænia & consecrationis diem festum celebrant, incruento sacrificio operantur, precibus, votisq; Vrbem abundè prosequuntur & firmant.*

3. EXEMPLVM habemus in Reliquiis S. BABYLÆ, quæ cum tempore IVLIANI Apostatæ è Daphne Antiochiam referrentur, publicè per plateas cantati sunt Psalmi, in processione non virorum modo, sed etiam fœminarum & puerorum, teste S. CHRYSOSTOMO in oratione contra
Soc. 3. cap. 16. Gentes, Socrate, Sozomeno & Theodoreto in Ecclesiastica historia.

Soz. 5. cap. 19. Th. 3. c. 10. R. c. 33. 4. In Imperatore THEODOSIO, de quo cum Eugenio Tyranno bellum illaturus esset, ita scribit RVFFINVS lib. 2. historiæ: *Præparatur* (THEODOSIVS,) *ad bellum, non tam armorum, telorúmque, quam ieiuniorum, orationumq; subsidijs, nec tam vigiliarum excubuis, quam obsecrationum pernoctatione muni-*

tus

tus circumibat cum Sacerdotibus & populo omnia orationum loca. Ante martyrum & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat.

5. Exemplum habes in THEODOSIO Iuniore, qui cum in maxima quadam tempestate populum monuisset, vt è Circo ad Ecclesiam tenderet: *ipse in media*, inquit SOCRATES: *populi frequentia priuati hominis habitu incedens, hymnos recitare exorditur.* Et NICEPHORVS: *Litania*, inquit, *instituta est. supplicantes processere, laudibus Deum vexere, atque vna concors Ecclesia ciuitas tota facta, & ipse Imperator medius hymnis canendis præiit, habitu priuato incedens.* Idem factum est sub eodem Imperatore, cum terræmotu quateretur Constantinopolis, teste eodem NICEPHORO, Cedreno, & aliis. Ann. 408. S.li.7.c.22. Nic. l. 14. c.3. N.ib.c.46. Cedr. in Theod.

6. Exemplum sit MARTIANI Imperatoris, qui successit Theodosio, *qui multa*, teste eodem Nicephoro: *religione & sanctitate vir in supplicationibus publicis alijs præibat, & maximam indigentibus pecuniam præbebat.* Idem teste THEODORO Lectore Anatolium Episcopum cohortatus est, vt tales decerneret supplicationes. Sub idem tempus & S. MAMERCVS suas supplicationes in Galliis inchoauit, de quo supra actum. Ann. 450. N.l.15.ca. 15.

CAPVT III.

Processionum Sacrarum Vtilitas.

QVANTA fuerit processionum in veteri testamento celebratarum, de quibus paulo ante actum, vtilitas, manifestum est. Prima enim illa IOSVANA, Hiericho vrbs regia, muro præsidioq; Ios.6.

firmis

2.Reg.6. firmissima disiecta est. Altera tempore regis Dauidis summam domui Obededom ob arcæ præsentiam felicitatem inuexit. Tertia verò quæ tempore
Neh.12. Nehemiæ celebrata est Hierosolymitanam Vrbem reddidit diuino Numini gratissimam, eiusque auxilio & fauore tutissimam. IN Nouo testamento THEODOSIVS senior beneficio processionum
Ruff.lib.2. & precum, teste RVFFINO, obtinuit victoriam contra Eugenium Tyrannum.

N.l.14.c.3. 2. THEODOSIVS Iunior, teste Nicephoro, densissimis imbribus finem imposuit: *ita vt summam rei frumentariæ inopiam ingens frugum copia & vbertas consequeretur.* Idem trisagium cœlitus meruit accipere, & Constantinopolim maximo ter-
M.24.Sep. ræmotu liberare. Ita enim habet MENOLOGIVM
Nic.l. 14. c.46. Græcorum: *Cum Imperator Theodosius & Proclus*
Damas. de Trisagio. *Patriarcha, cum toto populo (in terræmotu) Litanijs & supplicationibus diuinam opem implorarent, repente puerulus quidam de media turba in aerem raptus est. Omnibus autem præ timore clamantibus, Kyrie eleyson, descendit puer, & voce magna populum compellans, petit vt Trisagion in hunc modum decantent SANCTVS DEVS, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis. Quæ cum dixisset animam Deo reddidit, & terræmotus quieuit.*

3. S. MAMERTVS à Viennensi vrbe incursus immanium ferarum, ignes cœlitus delapsos, aliaq; mala beneficio processionum & Litaniarum auer-
G.l.2.c.34. tit, teste GREG. Turonico, & Sidonio.
S.l.7.e.pl. G.T.10. hist. 4. S. GREGORIVS MAGNVS, teste eodem, pestilentissimam contagionem, qua quotidianis cadaueribus Roma complebatur, omniumque ciuium domus exhauriebantur, per Litanias extinxit.

xit. Idem, vt formidabile quoddam dæmonis spectrum, teste Ioanne Diacono, per eiusmodi precationes abigeretur à quodam loco, auctor fuit.

5. S. EVTHYMIVS in summa siccitate, teste Cyrillo, copiosissimos imbres à Deo impetrauit. Contra cum nimis crebræ essent pluuiæ Romæ & fulgura, quibus homines & pecora enecabantur, tanta calamitas sublata est per supplicationes & Litanias, teste Anastasio Bibliothecario in Adeodato. Qui idem refert, S. GREGORIVM II. cum Tyberis alueum suum egressus muros Vrbis superasset, domos euertisset, mortales multos sustulisset, tanto malo solis supplicationibus sacris subueniisse. 1. D. in vita eius l. 4. c. 93. Cyr. in vita.

6. De S. ARNOLEO BEDA in eius vita scribit: *Eo tempore, quo quatriduanum ieiunium vniuersalis celebrare consuevit Ecclesia, vir sanctus extra ciuitatem cum crucibus, atque promiscua populi multitudine orandi gratia secundum morem Vrbis processit: & ecce mulier ex medijs cateruis vocem emisit in cœlum. Quod audiens vir Domini, cum cognouisset eam arreptam à dæmonio, oppositio crucis vexillo liberauit eam ab hoste maligno.*

7. Et postremum exemplum addo ex Actis S. GAVGERICI Cameracensis Episcopi: *Cum pro Galliarum consuetudine*, ait Scriptor: *Litaniæ, id est, supplicationes vel Rogationes triduano conuentu fierent, atque vir sanctus veneratione plenissima ieiunijs, eleemosynis & psalmodijs eas excoleret, atque basilicas cum suo clero psallente, & cruces deferente, multo populo prosequente visitaret, ac circumiret, contigit eum transire obiter carcerem, in quo tres viri tenebantur iussu Valachary tribuni vinculis implicati. Solita igitur humanitate Tribuno præsenti supplices obtulit preces,*

vt

vt miseros illos ipsi ad meliorem frugem reuocandos largiretur. Negat ille. Gaugericus ante fores carceris prosternitur: orat aliquantisper, vt omnipotentis Dei clementia præstet, quod Iudex superbus, & ira ebrius recusat. Surgit inde ab oratione, & protinus vincti nutu præpotentis DEI nexibus suis expediuntur. Adhibet tum illis venerandus Præsul animarum medicinam, & sic mente & corpore absolutos, ad propria remittit.

CAPVT IV.

Ritus aliquot, vel Proprietates Processionis.

PRIMVS Ritus est, Prælatio Crucis, qua palam contestamur salutem omnem, meritáq; omnia & commoda spiritalia nos per passionem Christi obtinuisse. Nicephorus ex Socrate & Sozomeno agens de processione tempore CHRYSOST. celebrata: *Præcessionem*, inquit, *cruces argenteæ cereos incensos habentes præibant, Eudoxia Imperatoris coniuge impensas ad eam rem præbente, quæ hoc Brisoni cubiculi sui præfecto iniunxit, vt hymnorum cantus procuraret, & ad eum vsum quam plurimum lucernarum pararet.* MARCVS diaconus in vita S. Porphyrij, agēs de processione rogatu Gazensium pro impetranda pluuia instituta: *Facto mane*, ait, *accepto signo venerandæ crucis, quod nos præcedebat, egressi sumus cum hymnis ad antiquam Ecclesiam, quæ est à parte occidentali ciuitatis. Cum psallentes*, ait GREGORIVS Turonicus de Ecclesia *egressi ad Sanctam Basilicam properarent, Rucculenus post crucem præcedentibus signis equo superpositus ferebatur.* Hinc V. SYNODO contra Seuerianos & Acephalos à Patribus acclamatum: *Vadimus crucem portantes.* σταυροφόρον da nobis.

N. libr. 13. c. 7.

Sur. tom. 1.

G. li. 5. c. 4.

nobis. Hinc Imperator IVSTINIANVS in Authentica quadam, *Sacerdotes*, inquit, *cum venerabilibus crucibus in supplicationibus egredi*. Hinc apud Germanos processiones Rogationũ, vocãtur itiones cum crucibus: *Mit dem Creuk gehen*, & hebdomada, qua habentur, dicitur crucis, *Creukvvoch*, & circuitus templi, per quem sæpe fiunt, crucis itio, *Creuk gang*.

II. Ritus est, Vexillorum deportatio, in signum victoriæ Christi, iuxta illud: *Vexilla Regis prodeunt*, id est, signa triumphalia victoriæ, quam Christus contra Dæmonum copias sua passione & resurrectione obtinuit. Initium dedit Constantinus Magnus primus Christianorum Imperator, qui labarum prægestari copiis suis curabat, teste EVSEBIO lib. 9. historiæ. Euseb. c. 9.

III. Facium & cereorum accensio. Sic GREG. Naziãzenus scribit S. Athanasio ab exilio redeũti occurrisse honoris ergo Christianos. Et victor Vticensis testatur idem factum Episcopis & Sacerdotibus Catholicis ab exilio regressis. NICEPH. agens de processione contra Arianos instituta à Chrysostomo Constantinopoli. *Processionem*, ait, *cruces argenteæ cereos incensos habentes præibant*. Gr. orat. de Athan. V. l. 2. Vãd. persecut. Niceph. l. 13. c. 8.

IV. Comprecatio, Sanctorum inuocatio, Hymnorum & Psalmorum aliorúmq; canticorum spiritalium etiam cum musicis instrumentis decantatio. Nam à precibus nomen habent *Supplicationum*: ab Inuocatione Sanctorum dicuntur *Litaniæ*. Musica instrumenta etiam in veteri Testamento in processionibus vsurpata fuere, vt diximus. NICEPH. ante citatus: *Eudoxia Imperatoris coniux*, inquit, *in processione Orthodoxorum opposita Arianæ* Niceph. l. 13. c. 8.

iniunxit cubiculi sui præfecto, vt hymnorum cantus procuraret. Et MARCVS in vita S. Porphyrij agēs de processione ab eo instituta: *Euntes autem,* inquit, *psallebant, & in versiculorum psalmi intercisione dicebant, Alleluia. Erat autem Psalmus, quem dicebant: Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.*

Socr. c. 22. SOCRATES li. 7. historiæ scribit ipsum THEODOSIVM iuniorem, cum tempore tempestatis exortæ alios ad precandum hortatus esset, exorsum recitare hymnos. Et MENELOGIVM Græcorum addit à puero in aërem sublato, & delapso edoctum populum, de cantando Trisagio: SAN-

Greg. c. 1. CTVS DEVS, &c. GREG. TVRONICVS lib. 10. hist. Francorum, agens de processione in festo S. MARCI, & GREG. Magno. *Hæc,* ait, *eo dicente congregatis clericorum cateruis psallere iussit per triduum, ac deprecari Domini misericordiam. De hora quoque tertia veniebant vndique chori psallentium ad Ecclesiā clamantes per plateas Vrbis, Kyrie eleyson.* Nec aliunde processiones ante ascensionem Domini Rogationū nomen mutuati sunt, quam à rogationibus vel precibus ad DEVM vel sanctos factis.

V. Ritus est S. Reliquiarum deportatio, Euangeliorum item, Statuarum & imaginū sacrarum, quorū omnium typus fuit arca Mosaica in veteri Testamento, quam tanto honore affecit Rex DAVID. S. HIERON. in Vigilantium ita scribit de Imperatore ARCADIO: *Arcadius ossa B. Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam. Omnes Episcopi dissolutos cineres in serico & vase aureo portauerunt. Omnium Ecclesiarum populi occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta lætitia quasi præsentem viuentemq; prophetam cernerent, susceperunt, vt de Palæstina vsque*

vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent. Sic reliquiæ S. Babilæ Martyris è Daphne Antiochiam in processione publica sunt delatæ, teste Theodoreto libro 3. historiæ & Euagrio lib. 1. Quod idem testatur de S. Meletij reliquiis eodem allatis Socrates libro 5. MARCVS agens de processione S. Porphyrij: *Ipse vero,* inquit, *sequebatur portans sanctum Euangelium, & circa se habens pium clerum.* GLYCAS agens de imperio Michaëlis Paphlagonis: *Cum totis sex mensibus,* ait, *non pluisset, supplicatum est à fratribus Imperatoris, Ioanne sacrum mantile, Magno Domestico scriptam ad Augarum Christi epistolam, sacrasq; cunarum fascias gestantibus, peditesq; à magno palatio vsque ad Blachernas processerunt.* ANASTASIVS Bibliothecarius de STEPHANO III. Papa: *In vna dierum,* inquit, *cum multa humilitate Stephanus procedens in Litania cum sanctissima imagine Domini Dei, quæ acheropeta, non manu facta nuncupatur, simulq; & cum ea alia diuersa ministeria recipiens propio humero ipsam sanctam imaginem cum reliquis sacerdotibus idem sanctissimus Papa gestans, nudis pedibus tam ipse, quam vniuersa plebs incedentes in Ecclesiam S. DEI genitricis, quæ ad præsepe nuncupatur, posito in omnibus capitibus populorum cinere, cum maximo eiulatu pergentes misericordissimum Dominũ nostrum deprecati sint, alligans connectensq; adorandæ cruci Domini DEI nostri, pactum scilicet illud, quod nefandus Rex Longobardorum disrupit.* T. c. 10. E. c. 16. S. c. 8. & 9. M. in vita. Aristulphus.

VI. Est Aquæ benedictæ circumlatio & aspersio, quæ est veluti symbolum nostræ regenerationis semel per baptismum factæ. Per hanc autem lustrantur plateæ, domus, agri, templa, vt omnes

dæmonum abigantur præstigiæ, vis ac nequitia. Horrẽt enim dæmones aquæ illius, qua peccatum in nobis mergitur, ipsiq; in nobis quasi suffocantur, memoriam. Lege de ea CLEMENTEM Romanum lib. 8. Constitutionum, Theodoretum lib. 5. historiæ, & Epiphanium hæresi 30.

Cl. c. 35. T. c 21. E. lib. 1.

VII. Campanarum pulsus, cymbalorum, sistrorum, tubarum, quæ non modo ad necessariam populi euocationem, sed etiam ad quandam excitationem, Deiq; venerationem adhibentur. Typum horum gessere sacerdotales tubæ in amburbalibus processionibus vrbis Hierichuntinæ vsurpatæ.

VIII. Est ORDO procedentium. Solent enim ad processiones admitti omnium hominum genera, pueri, puellæ, iuuenes, senes, viri, fœminæ, Laici, clerici & monachi, aliquando etiam sanctimoniales. Sic enim seruatur illud Dauidicum: *Iuuenes & Virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini:* Et, *Omnis spiritus laudet Dominum.* hoc est, omnes qui spiritum ducunt, vt Hebræa phrasis indicat. Atque illud Apostoli: *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis.* Vnde S. GREGOR. processionem Litaniæ minoris in 7. classes hominum, (inter quas vna erat Abbatissarum cum monialibus) distinxit, quæ & Septiformis dicta est, vt docet S. GREGOR. Turonicus lib. 10. historiæ Francorum. Procedere autem solent fere bini vel terni, cuius rationem reddit S. BERNARDVS in festo Purificationis: *Merito*, inquiens, *sane bini & bini procedimus: sic enim ob commendationem fraternæ charitatis, & socialis vitæ missos à Saluatore discipulos Euangelia sacra testantur. Turbat processionem, si quis solitarius incedere curat, nec sibi soli nocet, sed etiam*

Psal. 148. Psal. 150. 1. Cor. 14. 40. Greg. c. 1.

cæteris

cæteris est molestus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales spiritum non habentes, nec soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.

IX. Ritus est, vsurpare ieiunia, nudipedalia, diuerberationes vel disciplinas, cineres, saccos, lachrymas ad auertendam citius DEI iram in aliqua calamitate magna. De quibus etiam exempla suppetunt in Testamento veteri, vt in libris Regum, Esther, Ioel. *Ascendebat clinum olinarum scandens* (Dauid, ait textus in 2. Regum) *& flens, nudis pedibus incedens.* S. AVGVS. epist. 121. *Orate*, ait, *certatim concordi sanctoq; certamine, &c. in ieiuniis & vigiliis, & omni castigatione corporis quamplurimum adiuuatur oratio.* SIDONIVS Apollinaris lib. 5. epistol. agens de Processione Rogationum Maiorum: *Primus*, inquit, *Mamercus Pater & Pontifex reuerentissimo exemplo, vtilissimo experimento inuenit, instituit, inuexit*, &c. *in his ieiunatur, oratur, psallitur, fletur.* De gestis CAROLI Magni lib. 2. auctor scribit. *Tempore Litaniarum de palatio discalceatis pedibus ad Ecclesiam pastoralem, vel ad S. Hemmerannum, siquidem esset in Regenspurg, Crucem sequi solitus erat.* Loquitur autem de rege Lodouico Caroli Crassi patre. Et THEODORIC. in vita S. Elizabethæ Landtgrauiæ Thuringiæ. *In dieb. Rogationum*, ait, *cum quidam contra Sanctorum decreta facientes prætiosis & delicatis vestib. decorarentur, ipsa Princeps Regis filia laneis induta nudis pedibus processionem Crucis, & Sanctorum reliquias deuotissime sequebatur.* De diuerberationibus tempore processionis vsurpatis, habes in vita S. ANTONII de Padua & S. VINCENTII Ferrerij apud Surium, & nunc sunt in Italia, Hispania, Indiis, & Germania vsitatæ.

2. R. 5. 15. 3. Reg. 20. 4. Reg. 19. Esth. 4. Ioel. 3.

S. ep. 14.

Extat to. 1. antiq. lect H. Canisij.

DE POENITENTIVM STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Pœnitentium intelligatur.

POENITENTIVM nomine hoc loco solos publicos pœnitentes, siue veteres, siue nouos intelligimus. Nam de Pœnitentia, vt est virtus interna contritionis, vel Sacramentum egimus in VIRIDARIO. Nouos pœnitentes publicos vocamus, qui nunc vocantur DISCIPLINANTES, & disciplinis, id est, flagellis in sua terga pœnitentiæ agendæ causa defæuiunt. QVOD ad Veteres attinet, sciendum est olim in Ecclesia Catholica Christianos in duos ordines distributos fuisse: *Fideles & Catechumenos. Catechumenis,* inquit S. AVGVSTINVS in Ioannem, *Sacramenta fidelium non produntur.* Fidelium autem tres erant classes, vt diligenter notauit Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Pœnitentia. PRIMA Clericorum, quo nomine omnes Ordines Ecclesiastici intelligebantur. ALTERA Fidelium Laicorum. TERTIA Pœnitentium, qui etsi fideles essent: tamen ob noxam aliquam à ceteris fidelibus segregati, & quasi in sentinam Ecclesiæ reiecti erant. Hinc vetus auctor PACIANVS in sua paræneſi ad Pœnitentiam distinguens pœnitentes à fidelibus: *Catechumenis,* inquit, *ne in hoc transeant, & fidelibus ne in hoc redeant prouidendum est: ipsis vero Pœnitentibus, vt celeriter ad huius operis fructum perueniant, laborandum.* Et S. AVGVST. lib. 50. homiliarum: *Quod*

Aug. tract. 96.

Bell. c. 22.

Aug. hom. 49.

Quod dico Competentibus & fidelibus, audiant Pœnitentes: quod dico, Fidelibus dico, & Competentibus & Pœnitentibus. Et libro de S. Virginitate. *Omnes*, ait, *Christianos ab Apostolis vsque ad vltimos Pœnitentes, quasi à summis cœlorum vsque ad terminos eorum, docuit orare, &c.* Ac S. HIERON. in epistol. ad Oceanum de obitu Fabiolæ, scribit eam stetisse in Ordine Pœnitentium. Concilium autem TOLETANVM declarauit non dici proprie Pœnitentes omnes, qui quoquo modo pœnitentiam agunt, sed eos tantum, qui publicam, & vt nostri loquuntur, solemnem Pœnitentiam agunt.

A. cap. 48
H. ep. 30.
T. 1. can. 1.

CAPVT II.

De Discrimine Pœnitentiæ publicæ & solemnis.

PVBLICA Pœnitentia dicebatur olim, in qua peccatum commissum publicabatur, & coram Ecclesia pro eo commisso satisfactio peragebatur, vt distingueretur à priuata omnibus communi, in qua peccatum soli detegitur sacerdoti, ac satisfactio vel pœnitentia iniungitur priuatim vel occulte peragenda. Vnde sequebatur, vt publica peccata ad pœnitentiam publicam, occulta ad priuatam pertinerent. Neque enim licet peccatum occultum publicare, aut pro occulto ita publicam pœnitentiam imponere, vt ex ea peccatum ipsum deregatur. Nam S. LEO in epistola ad Episcopos Campaniæ, reprehendit eos qui peccata occulta priuatim in Cõfessione audita coram Ecclesia publicabant.

L. ep. 80.

INTER publicam tamẽ & solennem pœnitentiam olim magnum erat discrimen. Nam solennis, quam AVGVSTIN. vocat humillimam, non nisi

A. ep. 54.

pro grauissimis criminibus, quæ totam Rempub. turbassent, imponebatur, vt docet ORIGENES in Leuiticum & S. AMBROS. libro 2. de Pœnitentia. & Conc. Carthag. 3. & Toletanum primum. Publica autem imponebatur quidem pro magnis, sed non ita scandalosis. 2. Solemnis semel tantum in vita concedebatur, vt liquet ex Patribus citatis. Causam reddit AVGVST. dicta epistola; ne medicina vilis minus vtilis esset ægris, quæ hoc solet esse salubrior, quo minus contemptibilis. Aliam insinuat S. AMBROS. quia Pœnitentia solemnis est quasi solemnis professio non redeundi iterum ad publica scandala: sicut baptismus est solemnis professio non redeundi ad infidelitatem: & ideo sicut vnum est baptisma, ita vna Pœnitentia solemnis. 3. Solemnis imponi non poterat sacerdotibus; & qui semel eam egissent, non poterant promoueri ad ordines sacros, vt tradit SYRICIVS Papa ad Himerium Tarrac. Episcopum. Et habetur in Conc. Carthag. 4. can. 68. Et Tolet. 1. can. 2. & S. LEONE ad Rusticum Epicopum Narbonensem. Certum quidem est sacerdoti publicam potuisse imponi pœnitentiam, quia potuit excommunicari, & ad Monasterium pœnitentiæ loco amandari. Sed non potuit publica ei imponi pœnitentia, nisi crimen esset publicum, vt decreuit CLEM. III. cap. Quæsitum. de Pœnitent. & Remissi. 4. Solemnis, non poterat imponi coniugatis sine mutuo consensu. Ratio erat, quia pœnitentibus interdicebatur officium coniugale, & si innupti erant, etiam nuptiæ, vt habet Con. Arelatense 2. can. 21. & 22. & Toletan. 6. can. 8. 5. à solo Episcopo indicebatur, non à presbytero nisi in absentia

O.ho. 15. Am. c. 10. C. Car. can. 32. C. Tol. can. 2.

S. cap. 14.

L. ep. 92. c. 2.

sentia eius. Non solemnem autem presbyteri iniungere poterant, sicut & pœnitentes reconciliare. Ita C. Carth. 2. can. 4. & Carth. 3. can. 31. & 32.

CAPVT II.

De ritibus Pœnitentiæ solemnis.

INTER Ritus primum erat certus HABITVS. Is autem fuit olim pulla vestis, cilicium, caput detonsum, vt testatur TERTVL. lib. de Pœnitentia. Pacianus in paræneſi ad pœnitentiam. Optatus lib. 2. Ambr. ad Virginem lapsam. Hieron. in Epitaphio Fabiolæ. Conc. Agathense iubet non admitti ad pœnitentiam qui comam non deposuerint, vel habitum non mutarint. Conc. Tollet. 3. idem iubet, sed excipit mulieres, quæ non tondere, sed velare caput debent. A. cap. 8. C. A. can. 15. C. T. tom 12.

II. Ritus erat LOCVS pro criminum varietate varius. GREG. Neocæsarienſis in epistola Canonica Photij canonibus adiuncta quinque loca fuisse scribit. Primus erat infimus extra Ecclesiæ portas à fletu dictus, quod pro foribus flerent, & orationes fidelium postularent. 2. intra Ecclesiam ab audiendo dictus, quia verbum Dei cum catechumenis audire poterant. 3. intra eandem ad audiendum & orandum cum Catechumenis cõcessus. 4. cum fidelibus ad audiendum Sacrificium Missæ. 5. eorum qui pœnitentia expleta feriam V. Cœnæ Domini expectabant, qua sola reconciliabantur.

III. Ritus erat TEMPVS. nam solẽnis Pœnitentia iniungebatur feria 4. ante primam Dominicam Quadragesi. quæ dicitur in capite ieiunij, vt habet Conc. Agathense cap. 15. Vestigium huius Grat. dist. 50. can. in capite.

ritus apparet adhuc in consecratione & aspersione cineris, & quamuis aliis breuius præscriberetur, aliis longius tempus Pœnitentiæ, etiam decennij, tamen quotannis in V. feria Maioris hebdomadæ omnes reconciliabantur, & communicabant, vt habet INNOCENT. I. ad Decentium Episcopum Eugubinum, & idem indicat S. HIERON. in epitaph. Fabiolæ.

I.cap.7. H.ep.30.

IV. Ritus erat pœnitentiarum vel pœnarum varietas. 1. erat grauissima, abstinere à participatione diuinorum mysteriorum. Cuius meminit S. CYPRIANVS serm. de lapsis, vbi arguit eos, qui ante expletam pœnitentiam corpus Domini, vt ipse loquitur, inuadebant. 2. vt Pœnitentes non promouerentur ad Ordines sacros, vt patet ex epistola prima Siricij. 3. vt abstinerent à nuptiis, de qua etiam dictum est. Adolescentibus tamen interdum ad vitandam fornicationem id concedebat, vt patet ex epistol. 92. Leonis. 4. vt ad militiam secularem non accederent, sed soli Deo seruire satagerent, vt liquet ex eadem epist. 5. vt non essent susceptores in Baptismo aut Confirmatione. Ita Concil. Parisiense libro 1. capit. vltim. 6. vt Vnctione infirmorum carerent, teste INNOCENTIO I. epistola ad Decentium. 7. vt singulis ieiuniorum diebus venirent ad Ecclesiam & capita submitterent Sacerdotibus, qui eis manus imponerent, & pro eis orarẽt, vt monet Concilium IV. Carthagin. can. 80. 8. vt mortuos sepelirent ex eodem Conc. can. 81. 9. vt cum fideles stantes orabãt diebus Dominicis, & tempore Paschali, ipsi genua flecterent ad orãdum, ex eodem Conc. can. 82. 10. vt non irent ad balnea, neque ad conuiuia,

S. cap. 14. L. cap. 12. Ib. cap. 11. I. cap. 8.

uiuia,& inuitati recusarent,vt indicat Pacianus in sua paræneſi, ſed ieiuniis, cineri, orationi assidue incubarent,vt S. AMBROS.ad Virg.corruptam, & Tertull. libr. de Pœnitentia, & passim alij docent. VERVM quoniam hic Pœnitentium status exoleuit, transeamus ad nouum, qui potest dici Disciplinantium,& maxime viget feria 4.Maioris hebdomadæ ROMÆ & alibi. Amb.ca.8.

CAPVT III.

De nouo genere Pœnitentium,id est,publice se diuerberantium,& de voce Disciplinæ.

POTEST antiquæ illi Pœnitentium consuetudini, quæ paulatim in Ecclesia, frigescente feruore & zelo Christianorum exoleuit, videri successisse noua consuetudo diuerberandi in publicis supplicationibus corporis, in Vrbe Romana, & alibi recepta in feria Maioris hebdomadæ. Voco nouã,quia etsi à 300.annis & amplius multis in locis vsitata fuerit, hoc tamen tempore in Germania noua censetur, etsi reipsa intelligamus vsitatam & frequentatam iam non solum in Italia & Hispania, sed etiam in Polonia, Indiis, Belgio, Gallia,& Germania. Quoniam autem Pœnitentes illi vocantur Disciplinantes, primum indicabimus vnde nomenclatura illa desumpta sit,deinde ostendemus rem nominis significato subiectam licitam esse,& piam,semperque fuisse. DISCIPLINANTIVM ergo, id est, corpora sua pœnitentiæ agendæ causa pro peccatis diuerberantium, vox originem sumpsit ex diuinis Scripturis,vt ex illa sententia DAVIDIS Regis: *Apprehendite* Psal. 2.12.

hendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus & pereatis de via iusta, hoc est, exigite à vobis ipsis
Prou. 22. 15. pœnam, ne gratia DEI excidatis. Clarius ex prouerbiis Salomonis: *Stultitia*, inquit, *colligata est in*
Prou. 23. 13. *corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Et iterum: *Noli subtrahere à puero disciplinam: Si enim percusseris eum virga non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Ecce hic virgam, & disciplinam pro eodem vsurpat. Con-
Eccl. 33. 25. sentit Ecclesiasticus, dum ait: *Cibaria, & virga,*
Ib. 27. *& onus asino: panis & disciplina, & opus seruo.* Et; *Iugum & lora curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ. Seruo maleuolo tortura & compedes.* Vbi pro eodem accipiuntur, disciplina, virga, lorum, tortura, quæ sunt instrumenta flagellationis. Eodem referri potest illud Apostoli in
Eph. 6. epistola ad Ephesios de educatione filiorum: *Educate illos in disciplina, & correptione Domini.* id est, seueriore institutione verborum, & verberum, idque, vt Domino placeatis, qui *disciplinam pacis*
Isa. 53. 5. *nostræ* in se suscepit, vt loquitur ISAIAS, cuius
Heb. 12. 6. *& liuore sanati sumus.* Et in epistola ad Hebræos, cum dixisset, *Deum flagellare omnem filium quem recipit*, nec esse apud homines *filium quem non flagel-*
Ib. 11. *let pater*, tandem concludit generatim: *Omnis autem disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris.* IN hac autem significatione, ante annos quadringentos sæpenumero vsurpauit PE-
P. serm. 6. TRVS BLESENSIS in epistolis, aliisque opusculis à me nuper in lucem editis. Vt in sermone de natiuitate Domini: *Macera carnem tuam, assume disciplinam. Sed quam pauci, qui ista faciunt? Cum præcipitur ieiunare, ipse se excusat. Quomodo ieiunarem,*

& alij

& alij comederent? Et si præcipitur assumere disciplinam, ipse respondet: Non potest pati natura mea, statim morerer. Considera si placet Deo creatori tuo, si propriæ contradicas dispositioni. Vide quia pater flagellat filium quem recipit. Et epistola 126. describens adolescentiam ODONIS Parisiensis Episcopi, regis Francorum & Anglorum consanguinei. *Cum*, ait, *vas suum in sanctificatione & honore ab infantia possedisset, insolentiam tamen carnis & extraordinarios eius motus quadam præeminentiæ auctoritate cohibens, ipsam vigiliis, ieiuniis, disciplinis ancillari cogebat.* Sed & B. PETRVS Damiani S.R.E. Cardinalis seculo vno Blesensi vetustior in eadem significatione vsus est voce disciplinæ, vt in vita S. Dominici Loricati. *Cum eorum vnam manum in disciplinis agendis exerceant*, inquit, *iste* (S. Dominicus) *contra rebelles carnis illecebras vtráque manu infatigabiliter pugnat.* Et in epistola ad Petrum cerebrosum monachum. *Quia tympanum est pellis arida, ille iuxta prophetam in tympano Dominum veraciter laudat, qui confectum ieiunio corpus per disciplinam verberat.*

Sur. to. 5. Dam. li. 6. ep. 115.

Psal. 49. 3.

CAPVT IV.

Licitam, & diuinis literis consentaneam esse diuerberationem disciplinâ factam.

LICITAM esse, Deoque gratam & animæ salutarem flagellationem proprij corporis, disciplinæ instrumento, siue vlmeo, siue è funiculis texto factam, probant illa Scripturæ diuinæ oracula, quæ hortantur nos ad imitandum Christum, in cruce ferenda, vt cum CHRISTVS ipse apud Matthæum dicit: *Si quis vult post me venire,*

Matth. 16. 24.

venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, &
Luc.14. 27. sequatur me. Et apud Lucam: *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* S. PAVLVS quoque ad Romanos, fore nos
Ro.8.17. *hæredes Dei, cohæredes autem Christi* promittit, sed cum apposita conditione: *Si tamen compatimur, vt*
1 Pet.2. 21. *& conglorificemur.* Et S. PETRVS in priore epistola: *Christus*, inquit, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*, &c. &
Ib. ca.4.1. mox subiungit, *cuius liuore sanati estis.* Et iterum: *Christo igitur passo in carne, & vos eadē cogitatione armamini.* At flagellatio Christi pertinuit ad passionem; flagellatio attulit corpori eius liuorem, cur ergo pro modulo nostro, si non violentam, saltem voluntariam verberationem in carne non suscipiamus? 2. probant ea testimonia, quæ hortantur ad mortificationem & crucifixionem carnis, eamve commendant: *Mortificate*, inquit Apostolus ad Colossenses, *membra vestra, quæ sunt super terram.* Et ad Galatas: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Et in epistola posteriore ad Corinthios: *In omnibus*, ait, *patimur, sed non derelinquimur, semper mortificationem IESV in corpore nostro circumferentes.* Quomodo autem circumferebant eam, nisi ex flagellatione,
Gal. 6. 17. ex qua remanserant cicatrices & stigmata? *Ego enim stigmata Domini IESV*, ait idem ipse, *in corpore*
Ro.8.13. *meo porto.* Et in Epistola ad Romanos: *Si spiritu* inquit, *facta carnis mortificaueritis, viuetis.* 3. probat
1.Cor.9. 27. illustre exemplum B.P AVLI diserte in hæc verba scribentis: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauero ipse reprobus ef-*
Gal.2.19. *ficiar.* Et, *Christo confixus sum cruci*, quanto magis

colum

columnæ cum est flagellatus? Et iterum, *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Certe verbū, *castigandi*; & quod ei respōdet in textu græco ὑπωπιάζειν, proprie significat contusionem per ictus & verbera. Vnde & veteres latini patres, vt IRENÆVS libro 4. aduersus hæreses, Augustinus ad Dardanum, & S. Paulinus epistola ad Augustinum verterunt: *Ego corpus meum liuidum facio.* S. CHRYSOTOMVS hunc subiecit his verbis commentarium: *Non dixit punio & perdo, non enim inimica caro est, sed castigo, & redigo in seruitutem, quod Domini est, non hostis, magistri non inimici, pædotribæ non aduersarij:* at Domini seruos, magistri discipulos, pædotribæ pueros verberibus subigunt, cum officio suo non faciunt satis. Subiiciam hic luculentum eiusdem Patris locum, quo etiam quotidianā corporis diuerberationē suadet. Agens enim de examine conscientiæ quotidie sub vesperam instituendo: *Sedeat,* inquit, *mens atque cogitatio tua iudex in animam atque conscientiam tuam, adducas omnia delicta tua in medium, scrutare quæ animo commisisti, & pone dignas singulorum pœnas, dicas tecum assidue: Quare hoc atque hoc ausus es? quare illud & illud perpetrasti? Sic assidue ipsam ad hunc terrorem reuoca; deinde si causam suam dicere non possit, sed balbutiat atque stupescat, quasi superbam ancillam & de fornicatione corruptam cæde, verberibus ac flagellis dilania. Hoc iudicium quotidie tibi diligenter constituatur. Venenosum vermem propone, cæteraque omnia tormenta ostende, neque dimittas in posterum cum diabolo fornicari, neque patiaris, si impudenter dicit, diabolum ad ipsam venire, insidias sibi ab eo strui: Sed dic*

Gal. 6.14.

Aug. ep. 57. Paul. ep. 58.

Chr. hom. 23.

Chr. ho. 43. in Matth.

ad

ad eam. Superflua sunt hæc omnia, si tu velis. Quod si hæc audiens doleat, non subtrahas manum, non enim morietur percussa, sed mortem effugiet. Hæc omnia cum agis, nemo adsit, nemo pertubet, sed quemadmodum iudices semotis arbitris sententiam conscribunt, pariter tu quoque ad occasionem tranquillitatis secretiora loca require. Itaque lectum atque quietem petiturus hoc iudicium ineas: idoneum enim ad hanc rem hoc tempus est, & consentaneus locus camera & lectulus, quod propheta quoque denotauit dicens. Quæ dicitis in cordibus

Psal. 4. 5. *vestris, in cubilibus vestris compungimini. Hoc modo*

1. Cor. 11. 31. *Paulus seipsum mundauit, ac ideo dicebat: Si nos ipsos iudicauerimus, non vtique iudicaremur.* Hęc Chrysostomus. VERVM, quia exempli PAVLI Apostoli mentionem fecimus, plura ex tota antiquitate subiiciemus exempla.

CAPVT V.

Exemplis variis eadem sui diuerberatio illustratur.

PRIMVM sit DAVIDIS Regis & Prophetæ,

Psalm. 37. 18. qui psalmo 37. canit, *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annunciabo.* In quæ verba hoc scholium est S. BASILII. *Dignum me peccatum fecit, qui flagellet. Quare me ipse supliciis subiicio. Curari námque cupio peccati doloribus stimulatus. Propter*

A. in Psal. 37. *quam causam, & mei ipsius accusator fio.* Et S. AMBROSIVS in eadem: *Amicus Dei, propheta DEI, Rex ab ipso electus Deo, & vnctus in regnum, flagellis se sponte offerebat, nec erubescebat, & tu erubescis? Nō multum tibi illa verecundia opitulabitur, cum ad iudicium DEI veneris, sed pudoris te istius pœnitebit, cū in con-*

spectu

spectu non solum hominum, sed etiam angelorum, & omnium potestatum cœlestium constitutus cœperis peccata propria non negare.

II. Exemplum sit eorum, qui cilicio, vel quod idē est, sacco, aliáve re asperiore pœnitentiæ agendæ causa corpora sua afflixere; parum enim interesse videtur, siue pungendo, siue feriendo, vel vt ita loquar, siue punctim siue cursim carnem diuexes. S. IRENÆVS certe Apostolis proximus non dubitauit hanc laudem tribuere primis nostris parentibus; *Per succinctorium*, inquit, *in facto ostendit* (Adam) *suam pœnitentiam foliis ficulneis semetipsum contegens, existentibus & alijs foliis, quæ minus eius corpus vexare potuissent, condignum tamen inobedientiæ amictum fuit, conterritus timore DEI, & retundens petulantem carnis impetum. Quoniā, inquit, eam, quam habui à spiritu sanctitatis stolam, amisi per inobedientiam, & nunc cognosco, quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem & pungit corpus. Et hoc videlicet semper habuisset indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est misericors tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induisset eos.* PRO cilicio, hoc est, veste ex pilis caprinis, equinisve contexta, plurima sunt exempla in veteri Testamento, Rex Dauid ait, *posui vestimentum meum cilicium.* Et; *Ego autē cum mihi molesti essent, induebar cilicio.* De Rege Achab, in tertio Regum scribitur; *Operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco.* Et de filio eius rege Ioram in libro quarto; *Vidit omnis populus cilicium, quo Rex vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Clamat Ieremias; *Accingite vos cilicijs, plangite & vlulate, quia nō est auersa ira furoris Domini à vobis.* Et; Iudith *habens super lumbos*

Iren. lib. 3. c. 37.

Gen. 3. 7.

Adæ cilicium.

Psal. 68. 12.

Psal. 34. 13.

3. Reg. 21. 4. Reg. 6.

Ier. 4. & 6.

Iud. 4 8.

suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter
1.Mac.2. *Sabbatha.* In primo Macchabæorũ Antiocho rege
sequiente, Matathias & filij eius operiunt se ciliciis:
2.Mac.10. Idem in 2.Machab. fecere mulieres. Christus quo-
Luc.10.13. que apud S. LVCAM affirmat Tyrios & Sidonios
olim in cilicio & cinere pœnitentiam acturos fuis-
se, si apud illos tanta miracula patrata fuissent,
Matth.3. quanta in Corozain, & Betsaida. Sed & præcursor
4. Christi, veste ex camelorum pilis confecta vsus
est, hoc est, cilicio, & post illum innumerabiles alij,
vt liquet ex Sanctorum historiis. Denique natura
ipsa docuit Niniuitas gentiles regémque ipsorum,
Ion.3. vt post prædicationem Ionæ, pœnitentiam omnes
induti saccis ad placandum Deum agerent, quem
& placarunt.

III. Exemplum est eorum, qui doloris testandi causa pectora sua percusserunt: parum siquidem refert, quam corporis partem pro pœnitentia agenda, pectus an tergum diuerberes, vti est publi-
Luc.18.17. cani apud LVCAM, qui *à longe stans nolebat, nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum di-*
Luc.23.48. *cens. Deus propitius esto mihi peccatori.* Et eorum qui tempore crucifixionis Christi deficiente sole sub cruce stabant, & *percutientes pectora sua reuertebantur in Vrbem Hierosolymam.* Ita S. HIERON. de S.
Hieron. in vita. Hilatione; *Iratus*, inquit, *sibi & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere. Ego, inquit, asselle faciam, vt non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis fame te conficiam & siti, graui onerabo pondere.* Idem & de se fatetur in epistola ad Eustochium, tempore tentationis diem precando se crebro iunxisse cum nocte, *nec prius à pectoris ces-*
H.ep.21. *sasse verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas.*

quillitas. S. IOANNES Climacus describens quosdam pœnitentes à se conspectos; *Vides*, ait, *nonnullos in pauimento strato cilicio & cinere sedentes, ac faciem genibus operientes, frontémque in terram collidentes. Alios iugiter pectora tundentes, animámque suam ac vitam suspirio ingenti reuocantes. Ex his alij quidem pauimentum madefaciebant lacrymis, alij vero quia lacrymarum imbres non haberent seipsos miserabiliter lamentabãtur*, quæ postrema verba alij rectius verterunt: *Alij vero, qui non poterant lacrymari, verberabant se disciplinis*: nam de lamentis iam locutus fuerat Climacus. Et scholiastes Climaci ELIAS Cretensis exponit; *Seipsos stupendum in modum verberantes atque mulctantes.* Quam versionem nostri quoque, vt Gretzerus & Raderus priori, quæ est Ambrosij Camaldulensis, anteponunt. Clim. gr. du 5. G. lib. 1. de discipl.

IV. Exemplum est eorum, qui ante annos quingentos flagris in terga sua sæuire cœperunt, de quibus multa B. PETRVS Damiani Cardinalis. Nam in vita B. Romualdi Abbatis, describens asperitatem vitæ discipulorum eius: *SED cur ego*, inquit, *de monachis loquor, cum & ipsi monachorum famuli, ipsi quoque custodes pecorum ieiunarent, silentium tenerent, disciplinas inter se inuicem facerent, & de quibuslibet verbis pœnitentiam flagitarent. O aureum Romualdi seculũ, quod etsi tormenta persecutorum non nouerat, spontaneo tamen martyrio non carebat!* Deinde in epistola ad Alexandrum II. Romanum Pontificem plura exempla pertexit. Primum S. RODVLPHI Eugubini Episcopi: *Ferreo*, inquiens, *circa pectus circulo iugiter cingebatur. Nunquam scilicet Capitulo Confessor intererat, in quo non acciperet disciplinam, & tunc festiuus exultabat, si non ab* Petr. c. 64. Tom. 2. 9.

vno tantum, sed à duobus flagellari fratribus iuberetur sæpe pœnitentiam centum suscipiebat annorum, quam scilicet per viginti dies allisione scoparum ceteriſque pœnitentiæ remedijs persoluebat. 2. Exemplum est S. Dominici LORICATI, ita dicti quod loricam ferream ad nudam carnem gestabat, de quo ita scribit: *Ipso referente cognoui, quod sæpe duo psalteria cum disciplinis stando continuet, ita vt neque interim sedeat, neque vel ad momentum à percussionibus incredibili mentis feruore quiescat.* 3. Est eorum, qui etiam in seculo eius exemplum sunt imitati; *Huius*, inquit, *Sancti senis exemplo faciendæ disciplinæ mos adeo in nostris partibus inoleuit, vt non modo viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorij genus inhianter arriperent. Nam & relicta Thesbaldi, sublimis vtique generis, & non infimæ dignitatis mihi aliquando retulit, per præfixam huius disciplinæ regulam centum annorum se pœnitentiam peregisse.* Quid autem sit 100. annorum pœnitentia, habes in vita eiusdem S. Dominici apud SVRIVM, & in epistola citata, & alia ad Teuzonem.

Ep. 29. libri 6.

V. Exemplum eorum, quos PETRVS Blesensis ab hac virtute commendat. Nam in inuectiua aduersus deprauatorem operum suorum ita scribit de sui temporis monachis: *Vitam Religiosorum, quorum diuersæ sunt species, tota cordis affectione veneror. Scio enim quia præ cunctis secularibus, & clericis & laicis tanto differentius virtutum titulos referunt, quanto impressioribus vestigijs Apostolorum regulis inhæserunt. Hi carnem deprimunt, spiritum erigunt, vitam in terra ducentes angelicam, Christo militant in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliarum excubijs, in Psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, in confessionibus, in disciplinis & lacrymis, in cœlestium*

suspirijs,

suspiriys, in ignitis compunctionibus, in amplexibus sponsi. Et infra de clericis; *Putas*, inquit, *eos omnes ita elongatos à Deo, ita salutis suæ immemores, vt eos, aut gehennalis miseriæ timor, aut cœlestis gloriæ beatitudo non excitet? Nunquid disciplinæ, & pœnitentiæ & ceterorum, quæ ad spirituale pertinent exercitium, penitus sunt ignari? nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?* Et in epistola 27. de S. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo & Martyre; *Sane*, ait, *à primitiuis adolescentiæ moribus cœpit morum maturitate senescere, atque carnalis insolentiæ motus, vigiliys, ieiuniys, disciplinis, cilicio, & iugis continentiæ balteo cohibere. Elegit igitur eum Dominus in sacerdotem sibi, vt esset in populo eius ductor & doctor, vitæ speculum, pœnitentiæ forma, & sanctitatis exemplum.* Quoties autem se flagellari in dies singulos voluerit, testatur auctor vitæ apud Surium; *Venerabilis*, inquiens, *Robertus Moritonensis eius capellanus testatus est*, (post mortem S. Thomæ) *sanctum virum ab eo die, quo Episcopus ordinatus est, nullum prætermisisse diem, quo non quinquies, vel quater aut certe ter die quolibet graniter flagellaretur.* Cogebat autem Capellanum ad id faciendum. Nam nocte *excitato*, ait, *Capellano, quem solum habebat secum in cubiculo, vbi ipse quiescebat, amouebat cilicium à dorso, cogebátque inuitum illum flagello cædere vsque ad sanguinem, ita vt sacellanus corpore nonnunquam delassaretur.* Ier. 8. 22. Tom. 6.

VI. Exemplum est S. DOMINICI, Ordinis Prædicatorum fundatoris. De eo ita scribit THEODORVS de Apoldia lib. 3. c. 12. *Non sat habuit vir Dei perpetuis vigiliys carnem macerasse suam, sed etiam quamuis innocentem & virgineam multis verberibus & castigationibus attriuit. Singulis enim noctibus* Syr. to. 4.

ter catena ferrea se flagellauit primo pro seipso, tum propter peccatores in mundo degentes, tertio pro animabus pœnas in Purgatorio luentibus. Idem lib.6. c.4. & 5. scribit de discipulis eius, nempe quod post Completorium, & SALVE regina decantatum, in varios angulos monasterij se receperint, *actúsque suos seuero examine discutientes nodosis loris corpora sua dirè lacerarint.*

VII. S.FRANCISCI Ordinis Minorum institutoris, de quo ita scribit S.BONAVENTVRA: *Quodam tempore grauis ipsum carnis tentatio apprehendit, quam vt præsensit castitatis amator deposita veste corda cœpit se verberare fortissime. Eia, inquiens, frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Corpus suum* addit idem, *fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo sustentandum.*

Bonau.c.5. Vitæ SVR. tom.5.

VIII. S.LVDOVICI Episcopi Tolosani Caroli Siciliæ regis filij, de quo auctor Vitæ apud Surium; *Sobrietate cibi ac potus corpus suum castigabat assidue, seque frequenter manu sua, quandoque autem alicuius fratris consocij, cum catenis ferreis disciplinans, vestiendo pro camisia rude stamen & deferendo ad nudum pro cingulo chordam grossam, ipsam carnem in seruitutem redigebat.*

Sur. to.4.

IX. S.NICOLAI Tolentinatis apud eundem: *Nec ieiunio duntaxat*, inquit auctor, *& inedia, sed etiam verberibus & cruciamentis corpus suum redegit in seruitutem. Tunicas habebat asperas, & consutas corporisque delitias vitans ferrea catenula carnem castiganit.*

S.tom.5.

X. S.ELIZABETH regis Hungarorum filiæ & Landtgrauiæ Thuringiæ, apud eundem: *Sanctiones Ecclesiasticas*, ait auctor Vitæ, *cum semper*

S.tom.6.

Elizabeth,

Elizabeth, tum Quadrageſimæ diebus religioſe mancipabat effectui, non modo precibus, eleemoſynis, ieiunio dedita, verum etiam corpuſculum crebris virgarum verberibus caſtigans.

XI. S. ELZEARII Comitis Ariani in Galliis, S.tom.5. *qui*, vt eſt apud eundem, *ſæpe catenulis ferreis ſe flagellauit, dicenſque Pſalmum quinquageſimum, memor vulnerum Chriſti ad quemlibet eius Pſalmi verſum tergorſum fortiter verberauit.*

XII. S. HEDVVIGIS Ducissæ Poloniæ, de S.tom.5. qua apud eundem, *quæ ad nocturnas preces ſæpe ante ſignum ſurgebat, peruigilque in orationibus permanens, ſcoparum verberibus corpus ſuum acerrime flagellabat. Nec contenta plagis, quas ſuis ipſa manibus ſibi inferebat, etiam quaſdam familiares feminas permouit, vt ipſam crebro vſque ad ſanguinis effuſionem verberarent, ſicut poſtea illæ cum lacrymis retulerunt.*

XIII. S. MARGARETHÆ regis Hungariæ S.tom.1. filiæ, quæ, vt eſt apud eundem, *corpus ſuum multis ictibus flagellabat. Nam nocte qualibet poſt diſciplinam cum alijs communiter acceptam, ſecedentibus ceteris rurſus ipſa ſe cædebat virgis vel virgultis ſpinoſis, vel iubebat ſe ab alijs verberari vſque ad ſanguinis effuſionem.*

XIV. S. VINCENTII Ordinis prædicatorum S.tom.2. ante annos 200. *Illud*, ait auctor Vitæ, *pro edomanda carne à prima adoleſcentia obſeruauit, quod ſingulis noctibus quibuſdam flagellis è funibus confectis corpus ſuum cum multis lachrymis cædebat. Et ſi forte alicuius ægritudinis impedimento id facere nequiuiſſet, hoc à fidis ſocijs ſuis fieri volebat, eos per IESVM Chriſtum obteſtans, ne quid dubitarent, ſed eum validis ictibus cæderent.* Eodem æuo S. BERNARDINVS Ordinis S.tom.7.

Minorum apud eundem, adhuc adolescens Senis confraternitati Disciplinatorum nomen dedit, vt occasionem haberet sæpius in domesticum hostem disciplinis animaduertendi. Cætera sunt huius æui exempla.

Lib.6. XV. CAROLI Borromæi Cardinalis, qui, vt habet auctor vitę eius, cum ad montem Varallium paulo ante obitum se contulisset, *in ligneis tabulis somnum capiebat, lodice tantum instratis. Consueto vtebatur panis & aquæ alimento: durius quam antea corpus flagellabat, id quod ex interula deinde, flagellisque sanguine aspersis apparuit, licet ipse studiose occultasset.*

XVI. B. PHILIPPI Nerei Congregationis Oratorij Fundatoris, *qui*, vt in vita eius, quæ exstat Moguntiæ edita, refertur, *vitam complures annos eremiticam propemodum duxit, lachrymis se magis, quam pane reficiens, singulis diebus sese flagellis quam acerrime cædens super nudam humum cubans, &c.*

XVII. B. P. IGNATII auctoris & parentis Societatis IESV, de quo PETRVS Ribadneira agens libro primo de initiis conuersionis eius sic scribit: *TER se diebus singulis acriter verberabat, septem horas in oratione fixis humi genibus ponebat, idque magno studio & ardenti; cogebat quotidie stipem, aqua & pane vitam tolerabat, carnibus vinóque semper abstinens, omnibus diebus præterquam Dominico ieiunans, humi cubitans, noctis maximam partem vigilans singulis diebus Dominicis peccata sua confessione eluens, & sacra Synaxis præsidio se confirmans, tam impense corpus suum in seruitutem redigens, vt quicquid oblectationem vllam corpori posset adferre, studiose refugeret.*

Hor. lib. 4. c. 9. XIX. B. P. FRANCISCI Xauerij Indiæ Orientalis Apostoli, *qui adolescens* adhuc, teste HORATIO Turselli

Turſellino in eius vita, *ad edomandam laſciuientem ætatem nudos artus funiculis ſepe ac diu conſtrictos habuit cum agri ſenſu doloris, & in omni vita, tum frequentibus ieiunijs, tum crebris verberationibu corpus afflictauit ſuum, & certis auctoribus compertum, flagella, ex funiculis à pio quodam neophyto aſſecurata ſanitatem quibuſdam reddidiſſe, aliaque mira patraſſe.* Id.c.6.

CAPVT VI.

De multiplici fructu huius pœnitentiæ.

PRIMVS fructus eſt, quod valeat ad coercendam petulantiam canis, eiuſque motus in ordinatos. Hunc aperte indicauit Apoſtolus in priore ad Corinthios, cum poſtquam dixit: *Caſtigo corpus meum*, mox adiecit: *Et in ſeruitutem redigo.* Et ante eum ſapiens, cum dixit: *Iugum & lorum curuante collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ.* Ita laſciuiam carnis excuſſit paulo ante S. FRANCISCVS; ita pronitatem ad riſum noſter B. IGNATIVS initio conuerſionis ſuæ, teſte Ribadneira, coercuit. Eodem antidoto, vt experientia quotidiana docet, puerorum adoleſcentumque petulantiæ & leuitates cohibentur. 1.Corin.9. 27. Eccleſ. 33. 27. R.lib.5.ca. 10.

II. Fructus eſt, quod præſeruet hominem à reprobatione æterna. Huius quoque meminit Apoſtolus loco citato dixit: enim ſe ideo corpus in ſeruitutem redigere in verberibus: *ne cum alijs prædicauero ipſe reprobus efficiar.* Eodem collimant verba illa Salomonis: *Tu virgâ percuties eum* (puerum) *& animam eius de inferno liberabis.* Exemplum habemus apud Theodoretum, qui cum Thaleleum eremitam percontatus eſſet, cur tam durũ vitæ genus, Prou. 23. 13. T. in hiſt. religioſa. c.28.

quod excogitarat, sectaretur, respondit ille: *Ego multis peccatis obnoxius, & credens supplicijs, quorum minæ sunt intentatæ, hoc vitæ genus excogitaui, hoc agẽs, vt castigetur corpus pœnis mediocribus, vt eripiar à magnitudine earum quæ expectantur: Sunt enim illæ grauiores non solum quantitate, sed etiam ipsa qualitate; Sunt enim inuoluntariæ. Quod autem ab inuito fit, id est valde molestum. Quod autem est voluntarium, etiamsi sit laboriosum, minorem affert dolorem: sponte enim suscipitur.* Dicitur autem disciplina liberare ab inferno, non immediate, hoc est, sine contritione & confessione, sed quia reuocat hominem à grauioribus sceleribus, quæ sunt causa inferni. Neque enim ille tantum quempiam à peste liberat, qui iam peste correptum sanat, sed etiam qui studio suo cauet, ne peste corripiatur.

III. Fructus est, quod eius beneficio homo ex iustitia, vel de condigno satisfacere possit pro pœnis luendis in purgatorio, si existat in gratia Dei, iuxta illud Apostoli: *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur*; quem locum allegat Chrysost. hom. 43. in Matthæum. Si vero non sit in gratia, etiamsi non valeat ad pœnam illam expiandam, valet tamen ad multa alia; vt ad impedienda peccata, ad mitigandas inferni pœnas, quatenus à consuetudine peccati abstrahitur, ad impetrandam mercedem temporalem, & si ex auxilio gratiæ diuinæ disciplinam faciat, vt aliud auxilium Dei impetret, quo adiutus conuertatur & iustificetur. Accedit, quod & hæc satisfactio prodesse possit, non secus ac cetera bona iustorum opera satisfactoria, animabus Purgatorij, si eis applicetur. Vide titulum de *Satisfactione*.

1. Cor. 11. 31.

IV. Fru

IV. Fructus est, quod eiusdem beneficio homo, si sit in gratia Dei, promereatur vitam æternam: *Id enim*, inquit Apostolus in altera ad Corinthios: *quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et ad Timotheum: *Bonum*, ait, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*; at Paulus tũc maxime certauit, cum castigauit corpus suum: ait enim in priore ad Corinthios: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi auram verberans, sed castigo corpus meum.* Plura in Titulo, *Bonorum operum* in VIRIDARIO. 2. Cor. 4. 17. 2. Tim. 4. 7. 1. Cor. 9. 26.

V. Fructus, quod nobis seruiat loco instructionis, & reddat sapientiores; Nec enim tantum vox latina *Disciplinæ*, sed etiam Græca παιδείας proprie significat institutionem, vel eruditionem. Vnde Salomon: *Virga atque correptio tribuit sapientiam.* Et rursus: *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Si fugat stultitiam, accersit quoque sapientiam. Et, *Flagellum equo, chamus asino, & virga in dorso imprudentium*; proculdubio, vt fiant prudentiores. Et ecclesiasticus, *Flagella & doctrina in omni tempore sapientia.* Prou. 29. 15. Prou. 22. Prou. 26. Eccl. 22. 6.

VI. Quod valeat ad extirpanda vitia, & defectus quibus in examine quotidiano conscientiæ nos deprehendimus obnoxios, ac proinde etiam ad vitæ emendationem. Ita docet S. Chrysostomus in Matthæum, cuius verba supra descripsimus cap. 2. Ch. hō. 43.

VII. Fructus, quod quasi Tyrocinium ineamus ad Martyrium, hoc est ad sanguinem profundendũ pro Christo, quod inter opera virtutum est præstantiss

Ioã.15.13. stantissimum & maxime meritorium : *Maiorem enim hac dilectionem*, teste Christo, *nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*; vnde B. PETRVS Damiani li.6. epistolarum ad Petrum monachum: *Sanctos Apostolos*, ait, *in Concilio cæsos, & beatos martyres legimus sæpenumero verberatos. Quæcunque autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Quid absurdum est, quid ineptum, si nunc sancta Ecclesia in pacis otio vtitur, quo dudum vtebatur in bello? Porro dum manus carnificis nunc ab infligendo Martyribus verbere cessat: quid obest, si sancta deuotio ipsa sibimet, vnde sanctis Martyribus particeps fieri mereatur, exhibeat? Nam cum sponte me proprijs manibus ante conspectum DEI verbero, deuotionis ingenuæ desiderium, si carnifex accurreret, promptus ostendo. Quia si pro amore Christi tam dulcis est mihi pœna, cum deest, quo susciperetur animo, si persecutor offerret? Vellem pro Christo subire martyrium: non habeo cessante studio facultatem: ipse me verberibus asserens ostendo saltem feruentis animi voluntatem.*

P.epist.27. tom.1.

Act. 5.40. Ro.15.4.

CAPVT VII.

De Proprietatibus vel Ritibus Disciplinæ.

PRIMVS Ritus sit, quod sit vel voluntaria & sponte susceptа, de qua hactenus locuti sumus: vel coacta, vti fuit flagellatio Apostolorũ & Martyrum, quæ non secus ac voluntaria potest eximij esse meriti, si æquo & libenti animo propter Christum sustineatur, sicut eam sustinuere Apostoli, cum irent *gaudentes à conspectu Concilij, quod digni habiti essent pro nomine IESV contumeliam pati.* Et B. Paulus: *qui gloriabatur in infirmitatibus suis*, quod scilicet

Act. 5.41.

2. Cor.12. 6.

scilicet ter virgis cæsus esset,& quinquies quadragenas vna minus excepisset plagas.

2. Vt sit priuata, vel publica. Priuatæ exempla complura retulimus capite 3. Hæc consentanea est consilio Christi, cum monet apud Matthæum, ne *iustitiam nostram faciamus coram hominibus, vt videamur ab eis:* & si orandum est, cubiculum intremus, ne mercede cœlesti excidamus: ad cauendam enim inanem gloriam præstat priuatim & clam, quam publice & palam disciplinam facere. PVBLICA tamen respuenda non est, & priuatæ sæpe præferenda quando abest vanæ gloriæ periculum: generatim siquidem Christus dixit: *Sicluceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Si enim laudabile est ad maiorem DEI gloriam precationes publicas in Ecclesiis instituere, eleemosynas publice in egentes erogare, cur laudabile non sit opus pœnitentiæ publicæ? quod tot mortales permouet nõ solum ad veram vitæ emendationem, sed etiam ad imitandam castigandi corporis seueritatem; vt experiẽtia quotidiana & nunc docet in Italia, Hispania, Germania, Gallia, Polonia, Indiis, vbi maximo apparatu, supplicationeq́; solenni idque fere hebdomade sancta ante Pascha, eiusmodi diuerberationes frequentantur: & iam olim docuit ante annos ducentos tempore S. Vincentij Fererij Ordinis Prædicatorum, vel etiam trecentos tempore S. Antonij Paduani Ordinis minorum, vt est in eorum vitis apud Surium. Nam auctor vitæ S. Vincentij agens de processione disciplinantium ab eo instituta: *Iter quæ*, inquit, *flagella, tanta cordium deuotio, tantus erit omnium luctus, tanta contritio, vt ipsi quoque incolæ*

Matt. 6.1.

Matt. 5.16.

Sur. to 2.

incolæ locorum non solum in lachrymas soluerentur, sed etiam complures ex eis flexi talibus exemplis virum Dei sanctámque societatem eius per multa terrarum spatia religiose sequerentur. Ex quo factum est, vt aliquando supra numerum decem millium hominum peruenerit religiosa illa societas, nempe se flagellantium publice. NEQVE vero hæc de superstitione possunt esse suspecta, quia quotannis in Vrbe Romana in Summi Pontificis & Cardinalium conspectu huiusmodi publicæ diuerberationes fiunt.

3. Ritus est, vt quisque vel in se animaduertat, vel ab alio in se animaduerti sinat. Vterque modus est licitus & salutaris. Pro priore stant omnia exempla capite 3. commemorata. Deinde ratio manifesta: licet enim cuique pœnitentiæ agendæ causa pectus tundere, totúmque corpus cilicio, sacco, ieiunio, vigiliis, χαμευνίαις, æstu, frigore, magnisque laboribus, vt omnes sancti fecerunt, affligere, cur non liceat aliquam corporis partem flagello? Adhæc Apostolus proculdubio in se animaduertit, cum dixit: *Castigo corpus meum*; & Corinthiis idem suasit, cum ait: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur*; vt cum Chrysostomo ante citato exponit B. PETRVS Damiani, in epistola ad Clericos Florentinos. PRO posteriore modo, vt quis disciplinam accipiat ab alio, faciunt multa ex exemplis capite tertio enarratis, vt S. Rodulphi, Eugubini Episcopi, S. Dominici Loricati. S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis & martyris, S. Dominici auctoris ordinis Prædicatorum, S. Ludouici Episcopi Tholosani, S. Elizabeth Landtgrauiæ, S. HEDVIGIS, S. Vincentij Fererij, & Comitis Elzoarij

1. Cor. 9.
2. Cor. 11.
Pet. libr. 5. ep. 8.
Sur. to. 5.

zoarij:de quo comite hoc singulare in eius vita refertur, quod per quietem catenula ferrea,qua ipse vti solebat, ab ipso Christo sit cæsus, trib.ictibus datis,ad singulos Psalm.50. versus,propterea quod bellicis rebus se miscuisset. Nunquid & Christus voluit ab aliis flagellari,sicut & crucifigi? *Oblatus est enim*,inquit Propheta Isaias, *quia voluit*. Ille in typo Dauidis regis dixit:*Cõgregata sunt super me flagella*.Et:*Ego in flagella paratus sum*.Deniq; iam olim receptum est in monachorum cœnobiis, vt in eorum Capitulis accipiantur ab aliis disciplinę,quod obierit ante annos plusquam quingentos PETRO Cerebroso monacho,qui grauiter ferebat seueriores quasdam diuerberationes. B. PETRVS DAMIANVS: *Dic*,inquit, *obsecro frater,vt cum pace tua loquar,detestaris illas, quæ ex more fiunt in capitulo disciplinas?damnas fortassis & hoc,quod sæpe fratri de leui qualibet offensione confesso vicenas fortasse, vel vt multum quinquagenas verberum plagas subire præcipimus? Sed quia disciplinæ istæ ad tolerandum leues sunt & exiguæ, atque inter fratres regulariter assuetæ, perspicuum est,quia non derogas, non reprehendis,ne contra communem sancti Ordinis consuetudinem venire videaris*.PETRVS Damiani autem fuit Ordinis S. Benedicti.

Isa. 53.7. Psa.34.15. P.lib.6.ep. 27.

4. RITVS est, quod disciplina vel flagellum, sit vel ex pluribus funiculis nodosis contextum, vel betula, vel catenula ferrea. Nam omnium horum vsus fuit apud sanctos, vti liquet ex dictis;receptissimus vero nunc,maxime in publicis processionibus,est ex funiculis. Cuius typum gessisse videtur, flagellum à Christo confectum: nam S. IOANNES in Euangelio ita scribit.*Cum* IESVS *fecisset* Ioan.2.15.

quasi

quasi flagellum de funiculis, omnes (ementes & vendentes) *eiecit de templo, oues quoque & boues, & numulariorum effudit æs*; quod enim ille fecit de templo corporali Hierosolymitano, hoc nos de corpore
1. Cor. 6. 19. nostro, quod teste Apostolo: *templum est Spiritus Sancti*, facere debemus, vt hoc flagro sacro omnes belluinas cupiditates ab eo depellamus, & consequenter omnia peccata, quæ ex iis originem trahunt. Vnde
Petr. c. 1. PETRVS Blesensis, in opusculo, quod inscripsit COMPENDIVM in Iob, non dubitauit ita scribere: *DVO sunt, quæ hominem mirabiliter à peccato conseruant: scilicet frequens Confessio, & frequentior disciplina.*

5. Ritus est, quod in publicis diuerberationibus disciplinantes prodeant cum talaribus lineis, cuiusuis coloris, secundum faciem tecti, & sæpe pedibus nudatis. Quod fit tum ob honestatem maiorem, tum ad cauendam vanam gloriam, atque etiam vt quadantenus repræsentent eorum mores, qui in sacco, & cilicio pœnitentiam egerunt, immo Christi, qui in veste nunc alba, nunc purpurea sub tempus flagellationis irrisus est, & nudis creditur pedibus ad montem Caluariæ ascendisse: cuius figuram
2. Reg. 15. olim gesserat Rex Dauid, qui, vt est in sacra Regum historia, fugiēs à facie Absolonis cliuum oliuarum nudis pedibus conscendit. PLVRA vide apud nostrum IACOBVM Gretzerum in tribus libris de Disciplina editis, eorumque Apologia aduersus hæreticorum calumnias.

VIDE in Viridario V. Pœnitentia.

DE

DE PONTIFICIS SVMMI STATV.

CAPVT I.

De variis Nominibus S. Pontificis.

PONTIFICIS Summi nomine intelligimus ROMANÆ Vrbis, & Christiani ORBIS supremum Episcopum, licet à nata religione Christiana varia obtinuerit nomina. Quod ad vocem PONTIFICIS attinet, ea ab Ethnicis sumpta est. VARRO linguæ latinæ lib. 4. de eius origine sic loquitur: *Pontifices, vt Q. Scævola Pontif. Maxim. dicebat à posse & facere. Pontifices ego à ponte arbitror, nam ab his sublicius factus est primum.* Verum quia prius Pontifices fuerunt, quam sublicius ille ab Anco Martio factus est, probabilior est Scævolæ sententia, Pontificem à posse facere dici, eáque nomenclatura ius quoddam amplissimum faciendi designari. Quanta autem Pontificibus supra Consules fuerit auctoritas, explicat M. TVLLIVS lib. 2. de natura Deorum. Horum ius vocatur *Pontificium* à veteribus Patribus, & in Imperatorum rescriptis. Gelasius Pontifex ad Episcopos Dardaniæ; *Satis*, inquit, *constat nullũ habuisse Pontificium sententiam sedis Apostolicæ sine eius notione soluendi.* Et in festo S. PETRI Ecclesia vtitur hac oratione; *DEVS qui B. Petro Apostolo tuo collatis clauibus regni cœlestis ligandi atque soluendi Pontificium tradidisti*, &c. Ita iam olim factum est, vt nomen Pontificis cum proprietate sui sensus transierit in vsum Christianæ religionis, & Episcopi dicerẽtur

Pontifices, ius autem quo vtebantur Pontificium. Nec solum omnes Episcopi Pontifices, sed etiam SVMMI PONTIFICES dicti sunt, eo quod Episcopatus summum sacerdotium vocaretur. S. AMBROSIVS epistola ad Felicem Gomensem Episcopum. *Suscepisti*, ait, *gubernacula summi sacerdotij*. ZOZIMVS Papa ad Hezychium Episcopum Salonitanū: *Iure inde Summi Pontificis locum sperare debebit*. GELASIVS ad Episcopos Lucaniæ. *Nec sibi meminerit vlla ratione concedi sine Summo Pontifice subdiaconum ius habere faciendi*, &c. per summum Pontificem Episcopum intelligens. Et in præfatione Concilij Toletani VI. *Conuenientibus nobis Hispaniarum Galliæque Pontificibus summis*, &c. Eodem sensu S. HIERONYMVS ad Asellam scripsit: *Omnium pœne iudicio dignus summo sacerdotio decernebar*. Cum autem Episcopi dicantur summi sacerdotes, docet S. AVGVSTINVS in quæstion. ex vtroque mixtis: *Quid est*, ait, *Episcopus, nisi primus presbyter, hoc est, summus sacerdos?* Tandem tamen in Ecclesia consuetudo magis propria obtinuit, vt diceretur is maximus, vel SVMMVS Pontifex, qui ceteris præest Episcopis, & vniuersalis Ecclesiæ moderatur habenas, id est, Christi VICARIVS præcipuus, & successor PETRI, Romanus Episcopus, qui non tantum Vrbi, sed & Orbi præest, de cuius sede S. PROSPER libro de Ingratis.

A.l.8.ep.6. edit.Rom.

G.c.8.

H.ep.99.

A.q.16.

Sedes Roma Petri: quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet, &c.

II. est PAPÆ nomen, quod nunc soli Summo Pontifici Romano tribuitur, & olim attributum aliis Episcopis certissimum est ex CYPRIANI epistolis,

stolis, & aliis Cleri Romani ad ipsum, tum ex multis epistolis Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Rufini, & aliis autoribus, licet crebrius semper sit tributum Episcopo Romano, vt liquet ex epistolis CASSIODORI. Cum autem Schismatici in odium Præsulis Romani fastu superbo hanc nomenclaturam sibi vindicarent, sub annum Domini 1073. GREG. VII. Papa Romæ Synodum instituit contra Schismaticos, in qua statuit, vt PAPÆ nomen vnicum esset in vniuerso Orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum, vel alium eo nomine appellari. Hæc in Registro epistolarum GREC. VII. quod in Bibliotheca Vaticana seruatur. Ex NICETE quoque Coniatæ scriptis apparet nomine PAPÆ apud Græcos, tantum Papam Romanum intelligi. Quod ad originem vocis attinet, quidam à græca voce πάππας, id est, pater, deducunt, alij à παππὸς, id est, auus, sed prima origo vsitatior est, & euphoniæ causa à Latinis videtur tantum vnum π sublatum. Si ARIANO scriptori Ethnico credimus Bithyni ea voce Iouem appellare soliti sunt, cum quo conuenit, quod HERODOTVS memorat à Scythis Iouem Pappeum nominari. Vide Notationes Cardinalis Baronij in Martyrologium Romanum, & tertiam controuersiam Cardin. Bellarmini libro 2. capite 31. B 11. Ian. & 9. April.

III. nomen est PATER Patrum. nam Stephanus Archiepiscopus Carthaginēsis, nomine trium Conciliorum Africæ, ita scripsit ad Damasum; *Beatissimo Domino, & Apostolico culmine sublimato S. Patri Patrum, Damaso* Papæ, &c. & Synodus Prouincialis Epiri veteris; *Synodus veteris Epiri, Ioānes, Matthæus, Constantinus, &c. Domino nostro per*

cuncta sanctissimo & Beatiss. Patri Patrum, Comministro, ac Principi Episcoporum, HORMISDÆ Papæ. Vnde & illud colligis, nomen PAPÆ non esse quasi compositum ex vocibus PATER PATRVM, quia vtráque nomenclatura vni datur.

IV. Nomen est, PRINCEPS sacerdotum, de quo in epistola Valentiniani ad Theodosium, quæ præfixa est C. Calcedonensi tom. 1. Conciliorum; *Beatissimus*, ait, *Romanæ Vrbis Episcopus, cui principa-*
Prosp. c. 6. *tum sacerdotij super omnes antiquitas contulit.* S. PROSPER lib. 2. de *Vocatione gentium, Roma*, inquit, *propter sacerdotij principatum, amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.*

V. Est VICARIVS Christi, quo vtitur S. BER-
P. ep. 144. NARDVS lib. 2. de Consideratione. & PETRVS Blesensis epist. ad Cœlestinum Papam nomine Aleonoræ Reginæ Angliæ data, & Conc. Lugdunense sub GREG. X. vt habetur in 6. titulo de Electione, c. vbi periculum.

VI. CAPVT Ecclesiæ, quo vtitur Conc. Chalcedonense epistola ad Leonem; *Quibus tu velut membris caput præeras.* Et Act. 1. eiusdem dicitur Ecclesia Romana caput omnium Ecclesiarum, & S. GREGORIVS lib. 11. epist. 54. *Sedes Apostolica omnium Ecclesiarum caput est.*

VII. Apostolicæ sedis Præsul. Etsi enim Antiochena, Hierosolymitana, Ephesina etiam sint Apostolicæ, quando tamen absolute nomen sedis Apostolicæ ponitur, tantum intelligitur Romana, vt liquet ex epist. 106. Augustini; *Missæ sunt*, air, *de hac re ex duobus Conciliis Carthaginensi & Mileuitano relationes ad Apostolicam sedem.* Constat autem ex epist. 90. & 92. illas ad Innocentium Papam missas.

missas. Deinde Augustinus epist. 162. docet principatum Apostolicæ sedis à Romano Papa teneri. Imo officium & munus Papæ vocatur Apostolatus. Ita S. BERNARDVS ad Innocentium; *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæq; & scandala emergentia in regno Dei.* Et Episcopi Galliæ epistola Leonis 51. *Det*, inquiunt, *Apostolatus vester nostræ veniam tarditati.* Ber. ep. 90.

VIII. Episcopus VNIVERSALIS. Nam in C. Chalcedonensi sic incipiunt tres epistolæ Græcorum ad LEONEM Papam; *Sanctissimo & beatissimo vniuersali Archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ, Leoni.* Nec mirum, quia vt notauit B. GREGORIVS, Petro Ecclesiæ totius cura commissa est à Domino, quod est idem ac Petrum vniuersalem Episcopum à Christo institutum. Vnde & multi Pontifices vocarunt se Episcopos Ecclesię vniuersalis, vt SIXTVS I. LEO I. Quo sensu autem D. Gregorius acriter ob vsurpatum talem titulum, reprehenderit Ioannem Episcopum Constantinopolitanum. Vide in Cardin. Bellarmino lib. 2. de Romano Pontifice cap. 31. Gre. lib. 4. ep. 32. Ioan. 21. Sixtus 1. ep. 2. Leo 1. ep. 62.

CAPVT II.

De Excellentia Pontificij Status.

EXCELLENTIA Status Summi Pontificis ex variis capitibus demonstrari potest. Et primo ex PRIMATV B. Petri Apostoli, qui primus fuit Summus Pontifex vrbis & orbis. Nam Christus Saluator noster apud Matthæum promisit PETRO totius Ecclesiæ primatum sub duabus metaphoris, altera *Petræ* vel fundamenti, quod enim Matth. 16. 18.

in ædificio est fundamentum, id est in corpore caput, in ciuitate Rector, Rex in regno, Paterfamilias in domo. Altera *Clauium*, cui enim traduntur claues, ille instituitur gubernator ciuitatis, vel Dominus. Quod enim ibi Christus PETRVM appellarit petram Ecclesiæ, docet C. Chalcedonense actione 3. ORIG. hom. 5. in Exodum. ATHAN. epist. ad Felicem, BASIL. libro 2. in Eunomium, NAZIANZ. de moderanda disputat. EPIPHAN. in Ancorato, CHRYSOST. hom. 55. in Matth. CYRIL. libro 2. in Ioan. cap. 2. TERTVLL. de Præscript. CYPRIAN. epist. ad Quirinum. HILAR. in cap. 16. Matth. AMBROS. sermone 47. HIERON. in Matth. 16. AVGVSTIN. in Psalmum contra partem Donati. Et libro 1. Retract. cap. 21. testatur iam suo tempore Hymnum Ambrosij in Ecclesia cœptum cani, in quo dicitur, *HOC ipsa petra Ecclesiæ canēte culpam diluit.* LEO I. sermone 2. de anniuersario assumptionis suæ. GREGOR. libro 6. epist. 37. ad Eulogium. Iam verò super PETRVM tanquam super Petram ædificari Ecclesiam, non dubium est aliud non designari, quam Petro totius Ecclesiæ regimen commissum, vt iidem S. Patres exposuerunt. AMBROSIVS enim citato sermone sic loquitur; *Petra dicitur PETRVS, eo quod tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molēque continear;* Et CHRYSOST. illa hom. 55. *Hieremiam quidem vni genti Patet, Petrum autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit.* Et GREG. li. 4. epistolarum; *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto & omnium Apostolorū Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Tu es Petrus, & super hanc*

A. 5. 47.

C in Matthæ.

G. cp. 32.

hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dicuntur quidem alibi, vt in epistola ad Ephesios & in Apocalypsi omnes Apostoli fundamenta Ecclesiæ: quia omnes fuerunt pastores Ecclesiæ vniuersæ, sed nõ eodem modo, quo PETRVS; *Licet super omnes Apostolos,* inquit HIERON. libro primo in Iouinianum, *ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Psal. 86. 1. Eph. 2. 20. Apoc. 22. 14.

II. PRIMATVM Petri Christus ostendit apud Matthæum sub metaphora CLAVIVM, dicendo ei: *TIBI dabo Claues*: id est, dabo tibi potestatem in vniuersam Ecclesiam. Nam primo apud Isaiam depositio vnius põtificis summi, & institutio alterius describitur his verbis. *Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te, vocabo seruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, &c. & dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat.* vbi per CLAVES aperte intelligitur principatus Ecclesiasticus. Accedit communis consuetudo; cum enim vrbs aliqua deditur Principi, offeruntur ei claues in signum subiectionis. Et ei qui instituitur Oeconomus in domo claues tradi solent. Deinde CHRYSOST. hom. 55. in Matth. hanc promissionem exponens dicit PETRO commissum vniuersum orbem terrarum, & ipsum factum pastorem & caput totius Ecclesiæ. Idem ante probauimus ex GREGORIO. Isa. 22. 21. G. l. 4. ep.

III. PRIMATVM Petri Christus ostendit his verbis: *SIMON Ioannis pasce oues meas.* ac primo quidem dicit, *Simon Ioannis*, vt intelligamus, tunc reuera dari illi, cui erat promissus Matth. 16. Io. v. 15. 32.

CHRYS.quoque Cyrillus & Augustſ.hunc locum exponentes, dicunt hæc ei dicta, qui ter Chriſtum
Luc.ep.89. negarat. & AMBROS. in cap. vltimum Lucæ ait, Ideo,inquit,quia ſolus profitetur ex omnibus omnibus antefertur. Et LEO I. ad Epiſcopos Viennenſis prouinciæ;*Cui cum*,ait,*præ cæteris ſoluendi & ligandi poteſtas tradita ſit, paſcendarum tamen ouium*
Matth.24. *cura ſpecialius mandata eſt*.2.dicit Chriſtus PASCE,
45. qua voce CHRYSOST. lib.2.de Sacerdotio,non ſemel indicat ſignificari præfecturam,eóque affert illud ex Matthæo:*Fidelis ſeruus & prudens,quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Et S. AVGVSTINVS in hunc locum; *Oues ipſas*,inquit,*paſcendas,id eſt,docendas,regendáſque committit*.& S. GREGORIVS libro de Cura Paſtorali,paſſim Paſtores vocat Rectores: & Curam Paſtoralem Regimen, imo culmen Regiminis, & ipſum Paſcere,Regere ac præeſſe. 3. ait, *PASCE OVES meas*, id eſt, omnes Chriſtianos,ita vt intelligãtur & Apoſtoli, tanquam ouiculæ Petro commendati. Vnde S. LEO in ſerm. 3. de anniuerſario aſſumptionis ſuæ ait, *PETRVM à Chriſto præpoſitum omnibus gentibus, Patribus & Apoſtolis*.Gentes enim agni ſunt.Patres ouiculæ.Apoſtoli oues magnæ atque perfectæ.His enim vocibus in textu græco & latino appellãtur. Et S.BERN.lib.2.de Cõſiderat.*Cui*,inquit,*non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolute & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre,paſce oues meas. Quas?illius vel illius populos ciuitatis,aut certe regionis,aut certe regni?Oues meas,inquit,cui non planum eſt,non deſignaſſe aliquas,ſed aſſignaſſe omnes?nihil*
Greg. ep. *excipitur,vbi diſtinguitur nihil*.Et ante ipsũ S.GREG.
32. in lib.4.epiſtol.cum dixiſſet totius Eccleſiæ curam

eſſe

esse commissam PETRO, rationem hanc reddidit: *Ipse quippe dicitur PASCE oues meas.*

CAPVT III.

Eadem excellentia ostenditur ex Priuilegijs S. Petri ex nouo Testamento collectis.

PRIMVM D. Petri Priuilegium est *Mutatio nominis. Tu es Simon filius Iona*, ait Christus: *tu vocaberis CEPHAS*; vbi Chrysost. notauit Deum non imponere nomina noua, nisi ad significanda priuilegia concessa iis quibus mutantur, vt accidit Abrahæ. Constat autem ex omnibus Apostolis soli Petro nomen fuisse mutatum: nam Boanerges fuit potius cognomen filiorum Zebedæi, quam nomen, idque non perpetuum. Deinde singulare fuit illud nomen PETRI: nihil enim crebrius in scriptura Christo tribuitur, quam nomen Cephæ vel petræ. Isa. 8. & 28. Psal. 117. Danielis 2. Matth. 21. Roman. 2, 1. Cor. 10. Ephes. 2. 1. Petr. 2. Quare Christus non obscure indicauit velle Petrum esse fundamentum & caput suæ Ecclesiæ. Ioan. 1. 42. Gen. 17. 5. Mar. 3. 17.

II. Priuilegium est, quod Petrus primo loco semper nominetur inter Apostolos, siue plures, siue pauciores numerentur: *Duodecim autem*, inquit Matthæus, *nomina Apostolorum sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur PETRVS.* Nec propter ætatem primus fuit, quia ANDREAS eius frater & ante eum vocatus & fortior eo fuit, teste Epiphanio in hæresi Alogorum. S. Patres quoque inde deducunt Petri primatum: nam S. AMBROSIVS, ad 1. Corinth. 12. sic loquitur: *Prior Andreas secutus est Saluatorem, sed primatum non accepit Andreas,* Matt. 10. 2. Mar. 3. 13. Luc. 6. 13. Act. 1. 13. Epi. 51.

A.trac.vlt. *sed Petrus.* Et S. AVGVST. in Ioannem; *Petrus*, ait, *propter Apostolatus sui primatum.* Inde videmus aliorum Apostolorum ordinem plerumq; in Scriptura mutari, Petrum autem semper poni primo loco. Denique S. Petrus non solùm primo loco ponitur, sed etiam passim ponitur quasi paterfamilias & dux reliquorum. Vt enim in Apocalypsi dicitur, Apo. 12.7. *Diabolus, & angeli eius.* Sic apud Lucam & alios Luc.8.&9. Act. 5. 29. dicitur; *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* & in Actis; Matth.19. 27. *Petrus & Apostoli dixerunt.* Vnde B. IGNAT. in epistola ad Smyrnenses dicit Christum venisse Luc.12.41. ad eos, qui circa Petrum erant. Accedit quod Petrus fere semper loquitur nomine omniũ, vt apud Ch.ho.55. Matthæum; *Ecce reliquimus omnia*: & ideo Chry- Matth.14. 29. sost. in Matthæum vocat eum *os Apostolorum.*

III. Priuilegium est, quod solus Petrus cũ Chri- Ioan.21.7. sto ambularit super aquas. de quo S. BERN. 2. de Consideratione; *Instar Domini*, ait, *gradiens super aquas, vnicum se CHRISTI VICARIVM designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet, siquidem aquæ multæ populi multi.* Et rursum; *Quid istud? nempe signum singulare Pontificij Petri, per quod non nauem vnam vt cæteri quisque suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum, mare enim sæculum est, naues Ecclesiæ.*

IV. Est quod PETRVS primus fuerit à Deo edoctus summa duo fidei mysteria, nempe distinctionem personarum in Deo & incarnationem. Matth.16. 17. Vnde Christus ad eum dixit: *Beatus es Simon Bar-* A. serm.4. C. in c.16. Matth. *Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Et S. ATHANASIVS contra Arrianos, dicit Petrum omnium primum Christi diuinitatem confessum ante alios discipulos. Item

Chrysost.

Chryſoſt. Cyril. Auguſtinus. HILARIVS in Pſal. 131. ideo vocat eum primum filij DEI confeſſorem. Et in cap. 16. Matthæi, dignum factum, qui quod in Chriſto Dei eſt, primus cognoſceret. Cyr. 12. in Ioan. c. 64. A. ſer. 124. de Temp.

V. Eſt, quod ſedi Petri promiſſum ſit nunquam eam ruituram, *Et portæ inferi*, ait Chriſtus, *non præualebunt aduerſus eam.* quam promiſſionem, ſi aliæ ſedes Apoſtolorum habuiſſent, non iam ruiſſent. Hinc AVGVSTINVS in Pſalmum contra partem Donati, *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa ſede Petri: ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Matth. 16. 18.

VI. Eſt, quod Chriſtus ſoluerit tributum pro ſe & Petro, vnde ipſi collegerunt Apoſtoli, Petrum à Domino aliis prælatum, vt obſeruarunt Origenes, Chryſoſt. & Hieron. in c. 16. Matthei. Imò quia hoc ad Petri honorem aperte pertinebat, ideo inquit Chryſoſt. in Marci Euangelio iuſſu Petri ſcripto omiſſum eſt. Matth. 17. 27.

VII. Eſt, quod Chriſtus intrauerit in nauiculam Petri & ex ea docuerit, vt intelligeremus in ea tãtùm Eccleſia docere Chriſtum, cuius gubernator eſt PETRVS. Vnde AMBROS. *Hanc ſolùm Eccleſiæ nauem aſcendit Dominus, in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus.* Luc. 5. 3. A. ſer. 11.

VIII. Eſt, quod Chriſtus ſingulariter pro fide Petri rogauerit, *Simon Simon*, ait apud Lucam, *ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Vnde collegerunt Patres Petrum fore principem ſuorum fratrum. Sic Theophylactus hic: *Quia te habeo*, inquit, *vt Principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleueris, confirma cæteros. hoc enim te decet, qui poſt*

Luc. 22. 31.

me

L. serm. 3. *me Ecclesiæ petra es & fundamentum.* Et S. Leo de anniuersario assumpt. suæ: *pro fide Petri,* ait, *proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.*

IX. Est, quod à resurrectione Christus primo de viris se præbuerit visendum S. Petro, vt collegit ex illis verbis Lucæ: *Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni.* S. Ambrosius. & Chrysostomus ex verbis Pauli: *Quia visus est Cephæ. Itaque,* ait, *non omnibus initio visus est, nec pluribus simul, sed vni tantum, & ei principi, & fide maxime digno.* Et infra: *Itaque Petro primo apparet: nam qui Christum primus confessus erat, non ab re etiam primus resurgentem videt.*

A. in Luc. 24.

1. Cor. 15. 5.

Ioan. 13. 6. X. Est, quod Christus primo ei pedes lauerit, vt habet S. Augustinus in cap. 13. Ioannis.

Ioã. 21. 18. XI. Quod soli Petro mortem crucis similem suę prædixerit: *Cum senueris,* inquit, *extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quo tu non vis; hoc autem dixit, (addit Euangelista,) significans qua morte esset clarificaturus DEVM.*

Act. 1. 15. XII. Quod ipse Petrus iam exercens primatum, Actorum primo tanquam pater familias colligat in vnum cœtum discipulos, vt eligatur alius in locum Iudæ: vbi Chrysost. *Quam,* inquit, *agnoscit Petrus commissum sibi gregem? quam in hoc choro princeps est?*

Act. 2. 41. XIII. Quod post acceptum Spiritum Sanctum primus omnium promulgarit Euangelium, & prima concione tria millia hominum conuerterit: vbi Chrysost. *Petrus,* inquit, *omnium erat os, sed astabant illi vndecim, testimonio suo comprobantes ea, quæ ab illo dicebantur.*

XIV.

XIV. Quod omnium primus cœperit prædicare gentibus, sicut primus omnium prædicauerat Iudæis: soli ipsi visio ostensa est de prędicatione ad gentes inchoanda. Vnde HIERON. epist. ad Saluinam, de Cornelio loquens: *Primus*, ait, *ab Apostolo baptizatus salutem gentium dedicauit.* Et CHRYSOST. de Cornelio loquens: *Vides vnde initium sit gentibus à viro pio, qui operibus dignus est habitus.* Act. 10. 18. C. ho. 2. in Act.

XV. Quod pro PETRO existente in carcere, *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia.* Vnde etiam insigni miraculo liberatus est. In eodem carcere fuerat IACOBVS Apostolus, & postea occisus, & tamen non legimus pro eo ita oratum: quia membrum erat, non caput omnium. Vnde CHRYSOST. hoc loco: *Magni amoris indicium Oratio, Patrem omnes quærebant.* Act. 12. 12.

XVI. Quod in Concilio primo Hierosolymitano primus locutus sit sententiamque eius Iacobus, omnesq; alij secuti sint, vt docet HIERON. epist. ad Augustinum, quæ est 11. inter epist. August. & THEODORETVS in epist. ad Leonem. Act. 15. 7.

XVII. Quod etiam Paulus Apostolus visendi Petri causa ierit Romam, nam in epist. ad Galatas dicit: *Post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum.* Vnde CHRYSOST. in Ioan. *Os erat Apostolorum & Princeps, propterea & Paulus eũ præter alios visurus ascendit.* Et AMBROS. *Dignum fuit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum.* HIERON. in epist. citata ad Aug. *Tanta Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epistola sua scripserit. Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.* Hæc de Priuilegiis vel prærogatiuis ex Scriptura collectis. Gal. 1. 8. C. ho. 87. A. in Gal. 1. H. ep. 89.

CA

CAPVT IV.

Eadem excellentia ostenditur ex prærogatiuis Petri extra Scripturam notatis.

PRIMA extra Scripturam prærogatiua S. PETRI est, quod solus à Christo sit baptizatus, ita teste EVTYMIO, & Niceph. libro 2. historiæ scribit EVODIVS Petri Successor, in epistola, quæ inscribitur τὸ φῶς. Nam Andreas, Ioannes & Iacobus à S. Petro baptizati sunt, vt ab iis cæteri, vt iidem dicunt.

E. in ca. 3. Ioan. N. c. 3.

II. Est, quod solus Petrus à Christo ordinatus fuerit Episcopus, cæteri à Petro. Vel enim Dominus nullum ordinauit Episcopum, vel omnes, vel aliquos, vel vnum. Non nullum, quia nullum haberemus Episcopum, nemo enim potest dare quod non habet. Deinde quis ordinauit Petrum Episcopum, & alios? Nec omnes Apostolos, nam Paulum saltem de cœlo vocatum iussit ordinari per ministros Ecclesiæ, vt est in Actis, & exponit ibi Chrysost. & S. LEO. epist. ad Dioscorum. ANACLETVS quoque epistola 2. dicit Iacobum minorem, Episcopum ordinatum à PETRO, Iacobo Maiore & Ioanne, vt & Clemens Alexandrin. tradit apud Eusebium. & HIERON. de viris illustrib. in Iacobo. QVOD autem aliquos Dominus ordinauerit, alios non ordinauerit, inde satis probatur, quod Apostoli excepto Petro essent inter se æquales. Vnde sequitur solum PETRVM ab eo ordinatum. DEINDE passim docent veteres Romanam Ecclesiam esse matrem omnium Ecclesiarum, & omnes Episcopos ab ea habuisse suã consecrationem, quod non videtur verum, si Petrus,

Act. 13. L. ep. 81. E. l. 2. hist. c. 1.

qui

qui Episcopus fuit Romanus, omnes Apostolos, aliósque Episcopos omnes per se, vel per alios non ordinauit. Cùm enim Apostoli plurimos Episcopos in variis locis cõstituerint, si Apostoli ipsi non facti essent Episcopi à Petro, maxima pars Episcoporum non haberet originem à Petro, & tamen ANACLETVS epistola prima dicit; *In nouo Testamento post Christum à Petro sacerdotalis cœpit Ordo.* Nec loquitur de presbyteris, nam Apostoli omnes simul in Cœna extrema sunt ordinati sacerdotes, ergo de Episcopis. Vnde INNOCENTIVS in epistola ad Conc. Carthaginense, quę est 91. ex epistolis Augustini. *A quo*, Petro, ait, *ipse Episcopatus & tota auctoritas nominis huius emersit.* Idē habet S. LEO epist. 89. Plures rationes vide apud IOANN. Turrecrematam lib. 2. Summæ de Ecclesia cap. 32.

III. Est, quod Petrus primum hæresiarchā SIMONEM Magum primum detexit, damnauit & extinxit. Eum autem fuisse omnium hæreticorum parentem ait IRENÆVS, & August. lib. de hæresibus cap. 1. Act. 8. 20. Ir. lib. 1. ca. 20. & initio lib. 3.

IV. Quod PETRVS potissimum ROMÆ suam sedem diuino iussu collocauerit. Vnde S. LEO ser. 1. de natali SS. Petri & Pauli; *Nã cùm duodecim*, inquit, *Apostoli accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent, beatissimus PETRVS princeps Apostolici Ordinis ad aram Romani destinatur imperij, vt lex veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundum effunderet.* Et S. MAXIMVS de natali SS. Petri & Pauli; *Vbi mundus caput habebat imperij, ibi regni sui Principes collocauit.* M. ser. 1.

V. Quod

V. Quod Christus ipsi Petro sub finem vitę apparuit, & roganti, DOMINE QVO VADIS, respondere dignatus sit: *Venio Romam iterum crucifigi.* Id narrat EGESIPPVS de excidio Hierosol. c. 2. AMBROS. oratione contra Auxentium. ATHANAS, in apologia pro fuga. GREGOR. in Psal. 4. pœnitent. Quid autem significavit Dominus, in Petri crucifixione se iterum crucifigi, nisi Petrum suum esse Vicarium?

VI. Quod solę illæ Ecclesiæ habitæ sint Patriarchales & primæ, quas Petrus fundarat, Romana, Alexandrina & Antiochena, vt liquet ex Conc. Nicæno can. 6. Ex Chalcedonensi act. 16. epistola 3. Anacleti, Leonis epist. 53. ad Anatolium. Gregor. 37. lib. 6. ad Eulogium. Nam demum tempore Iu-
Anno D. à Christo. stiniani Imper. permittente Romano Pontifice, & Imperatore petente, Cōstantinopolitanus & Hierosolymitanus ceperunt in numero Patriarcharum haberi nullo amplius reclamante.

VII. Prærogatiua est festum Cathedræ PETRI, quale de nullis aliis Apostolorum cathedris celebratur, vt indicetur ipsam solam & singularem esse cathedram, ex qua totus mundus doceri debeat, vt OPTATVS ait libro 2. contra Parmenianum.
A. s. 15. de Sanctis. Exstat S. AVGVSTINI sermo de hoc festo, vnde apparet eius antiquitas.

VIII. Est quod in literis formatis, post nomen P. & F. & Spiritus S. nomen Apostolorum Principis antiqui adiunxerint, vt fatetur ATTICVS Episcopus in fine Concilij Chalcedonensis Formatarum meminit OPTATVS libro 2. in Parmenianum. *Cum quo* (SIRICIO) inquit, *nobis totus Orbis commercio formatarum in vna communionis societate*

commu

communicat. Et Conc. MILEVITANVM can. 20. vetat Clericis, ne sine formatis litteris ad Comitatum eant. Vide SIDONIVM Apollinarem lib. 7. ep. 2. & Burchardum lib. 2. c. 227.

CAPVT V.

Eadem Excellentia Sedis B. Petri ostenditur testimoniis S. PATRVM.

PRIMVS sit ORIGENES, qui in ca. 6. ad Romanos ait, *PETRO cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitatis exigitur.* B. CYPRIANVS in epistola ad Quintum dicit Petrum cum à Paulo reprehenderetur noluisse dicere, se habuisse primatum, & sibi obediendum esse: quibus verbis indicat eum habuisse primatum. Nam Augustinus libro 2. de baptismo, exponens hunc locum ita loquitur: *Idem CYPRIANVS in epistola ad Quint. ita loquitur: Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione disputaret, postmodum vindicauit sibi insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere.* Et paulo post: *Ecce*, inquit, *vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum, tam excellenti gratia præeminet,* &c. Et lib. de vnitate Ecclesiæ facit PETRVM caput, fontem & radicem totius Ecclesiæ. Et de eodem ait epist. ad Iubaianum. *Nos vnius Ecclesiæ caput, & radicem tenemus.* Aug. ca. 1.

EVSEBIVS in Chronico anni 44. à Christo

nato : *Petrus*, inquit, *Apostolus, natione Galilæus, & Christianorum Pontifex primus.*

S. BASIL. sermone de Iudicio DEI de Petro loquens: *Ille beatus, qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claues regni cœlestis commissæ.*

S. GREG. NAZIAN. de moderatione in disputat. seruanda : *Vides*, ait, *quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus & excelsis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat, ac reliqui discipuli posthaberi se tranquillo animo ferant.*

S. EPIPHAN. hæresi 51. *Petrum elegit Christus, vt dux esset cæterorum.* & in Ancorato : *Hic est, qui audiuit, Pasce agnos meos, cui creditum est ouile.*

S. OPTATVS lib. 2. contra Parmen. *Cathedra vna est ; & negare non audes scire te PETRO primum in Vrbe Romæ cathedram ésse collatam, vbi sederit omnium Apostolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteras Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra vna est, quæ est prima de dotibus. In ea sedit primus Petrus, succedit Linus, Lino Clemens,* &c.

S. AMBROS. in ca. vlt. Lucæ, vocat PETRVM Vicariũ amoris Christi erga nos, & omnibus prælatum. Et in cap. 1. ad Galatas, dicit Petro curam Ecclesiarum à Domino demandatam. & sermone 11. *Hanc solam Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus est magister constitutus dicente Domino : Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* &c.

S. CHRYSOST. homil. 11. in Matthæum : *PETRVM Ecclesiæ futuræ pastorem constituit.* Et infrà,

DEVS

DEVS concedere solus potest, vt futura Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput homo piscator atque ignobilis. Et rursum, *Ieremiam vni genti Pater, hunc autem vniuerso terrarum Orbi Christus præposuit.*

S. HIERON. lib. 1. in Iouinianum: *Inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.*

S. CYRILLVS Alexand. libr. 12. in Ioannem cap. 64. *Vt Princeps, caputq; cæterorum primus exclamat: Tu es Christus filius DEI viui.*

S. AVGVST. passim dicit PETRVM habuisse primatum, ac præsertim lib. 2. de baptismo cap. 1. vbi addit: *puto, quod sine vlla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantum ad Martyrij gloriam. Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſius existam. Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum? sed etsi distat cathedrarum gratia, vna est tamen Martyrum gloria.*

S. LEO. I. epist. 84. ad Anastasium: *Magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia. Et rursus quidam in maioribus vrbibus constituti solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam PETRI sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluereret, & nihil vnquam à suo capite dissideret.*

S. PROSPER libro de Ingratis.

SEDES Roma Petri quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
Religione tenet, &c.

S. GREG. ad Mauritium lib. 4. epist. 32. *Cunctis*

Euangelium scientibus liquet, quod beatissimo & omnium Apostolorum Principi PETRO Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est.

S. BERNARDVS epistol. 237. ad Eugenium. *Locus, in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius: locus illinc est, quem constituit Dominus, Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.* Et libro 2. de Consideratione: *Age, indagemus diligentius*, ait ad Eugenium Papam, *qui sis, quam videlicet geras pro tempore personam in Ecclesia DEI. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu tãto glorioſius, quanto & differentius, vtrunque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modo ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor.*

CAPVT VI.

PETRO successisse, non solum in Episcopatu Ecclesiæ Romanæ, sed etiam in Primatu totius Ecclesiæ omnes Romanos Pontifices.

PRIMA Probatio sumitur ex veteri Testamẽto. Ibi enim AARONI Summo Pontifici successit Eleazarus, & Eleazaro Phinees, & sic deinceps. at illa successio fuit figura & typus Testamenti noui.

Num. 20. Iud. 20.

II. Su

II. Sumitur ex nouo, nempe ex verbis Christi ad Petrum dictis: *Pasce oues meas*, quibus illū summum Pastorem & Pontificem constituit. Tam diu enim manet ordinariè officium pastoris, quandiu manet ouile. Hoc autem manet & manebit vsque ad mundi consummationem, ergo & successores Petri eo vsque in officio pastorali manebūt. Accedit, quod Christus quādo ei dixit: *Pasce oues meas*, ei omnes oues commisit, non quidem quæ tunc tantum in eo loco erant, alioquin nobis non prospexisset, sed etiam futuris: Nec illi tantum, non diu victuro, sed etiam successoribus dixit, pasce. Vnde CHRYSOST. lib. 2. de Sacerdotio: *Quanam*, inquit, *de causa ille sanguinē effudit suum? certè, vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum PETRO, tum Petri successoribus committebat.* Et S. Leo de anniuersario assumptionis suæ: *Manet dispositio veritatis, & S. Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans susceptæ Ecclesiæ gubernacula non reliquit, perseuerat videlicet Petrus, & viuit in successoribus suis.* Ioan. vlt. 17. Leo ser. 2.

III. Sumitur ex Conciliis generalibus. Nam Generale 2. in epist. ad Damasum Papam Romanum, quæ est apud Theodoretum, dicit se conuenisse Constantinopoli, ex mandato litterarū Pontificis per Imperatorem ad se missarū, Romanam Ecclesiam esse caput, se autem membra. Sic Concilium, vt est apud Euagrium, dicit se deponere Nestorium ex mandato litterarum Cœlestini Papæ Romani. Sic alia Concilia locuta sunt. Theo. l. 5. c. 9. Euag. l. 1. c. 4.

IV. Sumitur ex epistolis ipsorum Pontificum Summorum. Nam primatum asserunt omnes hi. Clemens epist. 1. Anaclet. epist. 3. Euaristus epist. 1.

Alexander epist. 1. Pius ep. 1. & 2. Anicetus ep. 1. Victor ep. 1. Zephyrinus ep. 1. Calixtus ep. 2. Lucius ep. 1. Marcellus ep. 1. Melchiades ep. 1. Marcus ep. 1. & reliqui.

V. sumitur ex S. Patribus. Ita enim loquitur S.

l. l. 3. ca. 3. IGNATIVS ad Romanos: *Ignatius Ecclesiæ sanctificatæ, quæ præsidet in regione Romanorum.* Cur præsidet, nisi quia caput est omnium aliarum? S. IRENÆVS aduersus hæreses: *Maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis ducibus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam omnibus fidem per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, iudicantes, confundimus eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam scientiam, præter quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui vndique sunt fideles: in qua semper ab his, qui sunt, vndique conseruata est ea, quæ ab Apostolis est Traditio.* S. ATHANASIVS in Epistola ad Felicē Papam: *Ob id vos,* inquit, *prædecessoresque vestros Apostolicos videlicet Præsules in summitatis arce constituit, omniumq; Ecclesiarum curam habere præcepit, vt nobis succurratis,* &c.

B. ep. 53. Et S. BASSILIVS ad Athanasium: *Visum est consentaneum scribere ad Episcopum Romanū, vt videat res nostras, & iudicij sui decretū interponat.* S. AVGVSTINVS epist. 162. *In Romana,* inquit, *Ecclesia semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus.* Idem alij omnes.

VI. Probatio sumitur ex auctoritate, quam semper exercuerunt Romani Pontifices in alios Episcopos, vt in iis ponendis, deponendis & restituendis.

tuendis. Ita enim legimus in epist. S. LEONIS in epistola ad Martianum: *Satis sit, quod vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu Episcopatum tantæ vrbis obtinuit.* Et in Con. Chalcedonensi legitur Maximum Antiochenum à S. LEONE confirmatum in Episcopatu. S. GREG. passim in epistolis suis indicat se mittere pallium Archiepiscopatus insigne ad varios Episcopos Græciæ, Galliæ, Hispaniæ, &c. De depositione multa exstãt exempla. S. CYPRIANVS ad Stephanum Papam ita scribit, *Dirigantur in prouinciam, & ad plebem Arelatæ consistentem à te litteræ, quibus absente Martiano alius in locum eius substituatur.* NICOLAVS I. epist. ad Michaelem numerat octo Patriarchas Constantinopoli à Romanis Pontificibus depositos. FLAVIANVM Patriarcham Antiochenũ depositum à DAMASO scribit Theodoretus. DE Restitutis Episcopis sunt etiam exẽpla. Nam S. CYPRIANVS dicit Basilidem ideo Romam profectum, vt restitueretur à Papa in Episcopatum. Deinde IVLIVS I. teste Sosomeno, Athanasium & alios depositos à Synodo Orientali, Episcopatui restituit.

L. ep. 54. C. C. act. 7. C. l. 3. ep. 13. T. 5 hist. c. 23. C. l. 1. ep. 4. S. l. 3. ca. 7.

VII. Sumitur ex auctoritate, qua semper vsi sunt in condendis Legibus & decretis, dispensationibus faciendis, & censuris ferendis. Pro Legibus habes S. LEONEM ad Episcopos Campaniæ ita loquentem: *Omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quam omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus, & Canonum ordinata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, vt si quis illa contẽpserit, veniã sibi deinceps nouerit denegari.* S. GREG. in priuilegio dato monasterio S. MEDARDI:

L. ep. 1. G. in fine ep.

Si quis, inquit, *Regum, antistitum, Iudicum, vel quarumcunque secularium personarum huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, honore suo priuetur.* De DISPENSATIONE exẽplum habemus in epistola GELASII, & GREGORII. De CENSVRIS vero complura & vetusta extant. Nam INNOCENTIVS I. excommunicauit Imp. Arcadium, eiusque vxorem, quod Chrysost. in suam sedem, vt ipse iusserat, non restituissent. cuius epistolam habet Nicephorus in historia sua. NICOLAVS autem I. excommunicauit Lotharium Regem Galliæ, & concubinam eius Valdradam, ac Archiepiscopos Colonienſem & Treuirenſem. Immo VICTOR I. Papa, teste Eusebio, excommunicauit Asianos, quod contra decretum suum pergerent Pascha cum Iudæis celebrare.

G. ep. 1. Gr. ep. 31. lib. 12. Nic. li. 13. cap. 34. E. 5. hist. c. 24.

VIII. sumitur ex Iure Appellationum: ex quauis enim parte orbis Christiani legitime semper prouocatum est ad Pontif. Romanum. Nam in C. Sardicensi generali hic est 4. Canon: *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agẽdum sibi negotium in vrbe Roma, alter Episcopus in eius cathedra post appellationem eius, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata.* Immo ante Concilium Sardicense fuisse morem appellandi ad Papam liquet ex epistola 89. Leonis ad Episcopos Galliæ, vbi dicit hanc esse consuetudinem antiquissimam. Certe anno 142. Christi Pontifice Pio I. Marcion excommunicatus ab Episcopo suo in Ponto venit Romam, vt à Romana Ecclesia absolueretur, teste Epiphanio.

E hær 42.

IX. Su

IX. Sumitur ex eo, quod summus Pontifex à nemine iudicatur, inde enim liquido patet eum nemini subiectum. Ratio præcipua est, quia Princeps est Ecclesiæ totius. Deinde, quia Respub. Ecclesiastica spiritualis est, ac proinde sublimior quauis Repub. temporali. Et idcirco summus Ecclesiæ Princeps, summum Reipub. temporalis Principem potest dirigere & iudicare, & non contra, nisi peruertatur ordo. NAM in Concilio Sinuessano, teste NICOLAO in epistola ad Michaelem, dixerunt Patres: *Prima sedes à nemine iudicabitur.* & in Conc. Romano sub Sylvestro 280. Episcoporum can. vlt. teste eodem dictum est: *Neq; ab Augusto, neque Regibus, neque ab omni clero, neque à populo iudicabitur prima sedes.* Et in Synodo Romana sub SIXTO III. cap. 5. legimus dictum: *Non licet in Pontificem sententiã dicere.* Vnde cum DIOSCORVS Episcopus Alexandrinus in Synodo 2. Ephesina LEONEM I. iudicare & damnare ausus esset, ita hoc factum horruit Ecclesia Catholica, vt C. Chalcedonense in epist. ad Martianum & Valentinianum Imperatores, & in altera ad ipsum Leonem, quæ extat act. 3. eiusdem Concilij, scripserit se damnasse Dioscorum multas ob causas, sed præcipue, quod in primam sedem sententiam ferre præsumpsisset. IDEM liquet ex confessione Imperatorum. Nam RVFFINVS de Constantino scribit eum noluisse Episcopos iudicare, & dixisse, se ab Episcopis potius iudicari debere. Idem dixit BASILIVS Imp. in oratione ab ipso habita in fine VIII. Synodi. Et NICOLAVS in epist. ad Michaelem multis testibus probat pios Imperatores nunquam Pontificibus imperasse, sed obsecrasse R. 10. hist. cap. 2.

solum, vt Patres. AMBROS. quoque in oratione de tradendis Basilicis: *Bonus*, ait, *Imperator intra Ecclesiam est, non supra Ecclesiam.* si non est supra Ecclesiam, minus est, super Ecclesiæ Pastorem. GR. NAZIANZ. in oratione, qua excusat se, quod tamdiu Ecclesiastica functione abstinuerit: *Vos*, inquit, *oues nolite pascere pastores, neque super terminos eorum eleuemini. Satis enim est vobis, si recte pascimini: nolite iudicare iudices, nec leges feratis legislatoribus.* S. BERNARDVS ad Conradum Imperatorem: *Legi*, ait, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quam sententiã cupio vos custodire in exhibenda reuerentia PETRI Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso seruari Imperio.* QVÆRES, an nunquam possit iudicari Papa, vt in causa hæresis? Respondeo, tunc posse, quia esset miserrima conditio Ecclesiæ, si lupum manifestè grassantem pro Pastore agnoscere cogeretur. Et ratio est, quia eo ipso Papa quod hæreticus est, manifestus desinit esse Papa & caput, sicut desinit esse Christianus, & membrum corporis Ecclesiæ. Vnde S. CYPR. *Dicimus*, inquit, *omnes omnino hæreticos atque schismaticos nihil habere potestatis ac iuris.* Similiter OPTATVS lib. 1. contra Parmenianum negat hæreticos claues regni habere posse, sicut & S. Augustin. in Enchirid. c. 65.

B. ep. 183. Rom. 13. 1.

Cypr. li. 1. ep. 6.

CAPVT II.

De Summi Pontificis potestate, temporali & spirituali, & 1. de spirituali.

PONTIFICIS Summi potestas gemina est, Spiritualis, & Temporalis. De Spirituali primo agemus, inter quas prima sit: *Potestas iudicandi de contro*

controuersiis fidei & morum. Quæ proculdubio illi tribuenda est, si enim ostendimus Summum Pontificem esse caput & pastorẽ totius Ecclesiæ, ostẽdimus quoque eum esse summum in Ecclesia iudicem. aut enim nullus esse debet inter homines iudex, aut is debet esse, qui cæteris præest. 2. Iudicium Apostolicæ sedis in controuersiis infallibile est, ergo illi maxime auctoritas iudicij tribuenda. Nam & in veteri Testamento dubia de religione ideirco ad summũ Pontificem relata sunt, vt Deut. 17. *Si difficilè*, inquit Moyses, *atque ambiguum iudicium esse perspexeris, inter causam & causam, lepram & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variare: Surge & ascende ad locũ, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniasq; ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicis veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus.* Quo loco obseruãdum duas personas distingui, sacerdotis & Iudicis, hoc est, Pontificis & Principis, & quidem sacerdoti sententiæ pronunciationem, Iudici autem politico executionem demandari. Quod explicatur sequẽtibus verbis: *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex sententia Iudicis morietur.* Deut. 17. 8. Ib. 12.

DEINDE in Euangelio Christus coram aliis Apostolis Petro dixit: *Simon Ioãnis pasce oues meas,* ne Apostolos quidem ex ouibus excludens. at dubium nõ est, inter munera Pastoris esse discernete bonã pascua à malis. Vnde HIERON. quamuis doctissimus ita ad DAMASVM Papam scribit: *A pastore præsidium ouis flagito, discerne si placet, non timebo* Ioan. 21. 17. H. ep. 57.

timebo tres hypostases dicere (in Trinitate) *si iubebis.* Similiter THEODORETVS doctissimus ad LEONEM I. ita scribit: *Si Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt iis qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant, ab ipso afferret solutionem, multo magis nos, qui abiecti sumus & pusilli ad Apostolicam vestram sedem currimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus.* Et S. GREG. qui omnium iudio humilimus fuit, in epistola ad omnes Episcopos Galliæ. *Si quam vero,* inquit, *contentionem, quod longe faciat diuina potentia de fidei causa euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine sedis Apostolicæ iudicio indigeat, examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.*

G. li. 4. ep. 32.

II. In controuersia fidei, maxime, si toti Ecclesiæ eam tradat Summus Pontifex nullo modo errare potest. Patet ex promissione à Christo facta Petro apud Lucam: *Simon Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Vbi duo priuilegia Petro Dominus impetrauit. Primo, vt ipse nunquam veram fidem amitteret, vt exponit AVGVST. li. de Correptione & gratia, & CHRYSOST. in Matthæum. Secundo, vt nihil doceret contra fidem tanquam Pontifex, vt expositum LVCIVS I. in epist. ad Episcopos Hispan. & Galliæ. FELIX I. in epist. ad Benignum. LEO I. serm. 3. de assumptione sua ad Pontif. Nicolaus I. in epist. ad Michaelem. S. BERNARDVS epist. 190. ad Innocen

Luc. 22. 31.

Aug. ca 8. Ch. hom. 83.

nocentium. 2. probatur idem ex alia promissione facta Petro apud Matth. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* de qua dicit CHRYSOST. solum Deum potuisse facere, vt Ecclesia super vnum piscatorem, & ignobilem virum fundata non caderet, tot irruentibus tempestatibus. Et S. HIERON. ad Damasum, postquam dixerat: *Super istam petram ædificatam Ecclesiam scio*, subiicit: *Obsecro, vt mihi literis tuis siue tacendarum, siue dicendarum trium hypostaseon detur auctoritas, non timebo tres hypostases dicere, si iubetis.* Et S. AVGVST. in Psalmo contra Partem Donati: *Numerate*, ait, *Sacerdotes vel ab ipsa sede Petri in ordine illo Patrum, quis cui successerit videte, ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Et S. GREGOR. ad Eulogium: *Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate fundatam, cui dictum est: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* DENIQ. idem probatur duplici experientia. PRIOR est, quod Pontifex Romanus multas hæreses solus sine Concilio generali damnauit, vt PELAGII, Priscilliani, Iouiniani, Vigilantij, &c. quas pro veris hæresibus tota Ecclesia habuit, quia à Pontifice Romano damnatæ sunt. Posterior, quod constet omnes Patriarchales sedes à fide decessisse excepta sola Romana. Vnde apparet Christum vere orasse, ne deficeret fides eius: *In Ecclesia vrbis Romæ*, ait RVFINVS in expositione *Symboli*, *neque hæresis vlla sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus.* Matth. 16. 18. H. ep. 57. Gr. l. 6. ep. 37. Matth. 16. 18.

III. Non solum Pontifex, vt Pontifex, non potest errare in fide, sed neque Romana particularis Ecclesia. Nam S. CYPRIANVS ait: *Nauigare audent ad Petri cathedram, vt Ecclesiam principalem,* C. l. 1. ep. 3.

palem, &c. nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia non potest habere accessum. S. HIERON. contra Ruffinum : *Scito Romanam fidem Apostolica voce laudatam eiusmodi præstigias non recipere, etiamsi angelus aliter annunciet, quam semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari.* G. NAZYANS. in carmine : *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem quæ toti Orbi præsidet semper de Deo integram fidem habere.* Accedit, quod valde probabile sit Petri cathedram à Romana vrbe non posse separari. Primo, quia cum toties obtulerit se occasio ab ea illam separandi, & vltimo quidem, quando Romani Pontifices per LXX. annos manserunt in Galliis, non tamen separata est. 2. quia Marcellus Papa & Martyr in epistola ad Antiochenos, ait Petrum iubente Domino Romam sedem suam ex Antiochia transtulisse. Et S. AMBROSIVS in oratione de tradendis basilicis, refert Christum omnino voluisse, vt Petrus Romæ moreretur, & ideo ei fugiēti dixisse, *VENIO Romā iterū crucifigi.*

Hier. l. 3. apol.

N. de vita sua.

IV. Summus Pontifex etiam non potest errare in moribus, id est; in præceptis morum Ecclesiæ toti præscribendis, & quæ in rebus ad salutem necessariis, vel in iis quæ per se bona vel mala sunt versantur. Hoc est, non potest fieri, vt Pontifex præcipiat aliquod vitium, vt vsuram, vel prohibeat virtutem, vt restitutionem debiti, vel mandet aliquid contra salutem, vt Circumcisionē, vel veter aliquid ad salutem necessariū, vt Baptismum, vel Eucharistiam. Ratio autē huius doctrinæ est, quia alioquin Papa erraret in rebus necessariis, quod est contra promissionem Christi

apud

apud Ioãnem: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, vt minimum necessariam ad salutem. Deinde quia alioquin DEVS Ecclesiæ suæ tunc deesset in necessariis: imo tunc Ecclesia etiam erraret circa fidem, hæc enim docet omnem virtutem esse bonam, vitium vero malum. Ioan. 16. 13.

V. Pie credi potest, Pontificem summum, etiam vt particularem personam non posse pertinaciter errare, & fieri hæreticum. Ratio est, quia cum Dominus iusserit PETRO confirmare fratres suos, addidit: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et hoc conuenit prouidentiæ diuinæ suauiter disponentis omnia. Euentusque probauit nullum hactenus fuisse hæreticum, vt & probauit accurate Cardinalis Bellarminus in cõtrouersia 3. de Summo Pontifice. Ioan. vlt. Luc. 22. 32. B. l. 4. ca. 8. & seq.

CAPVT VIII.

SVMMVM Pontificem posse condere leges obligantes in conscientia.

POTESTAS Spiritualis Summi Pontificis extendit se etiam ad auctoritatem legum condendarum in conscientia obligantium, ita vt trãsgressores earum possit pœna spirituali punire, vt Excommunicationis, suspensionis, irregularitatis, &c. Nam in veteri lege in Deuteron. *Qui superbierit*, ait Moses, *nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis moriatur homo ille, & auferes malũ de Israel.* at Princeps Ecclesiasticus in noua lege, non est minoris auctoritatis, quam fuerit in veteri. In noua vero Matth. 16. *Quodcunq; ligaueris*, ad Petrum Christus Deut. 17. 12.

ait,

ait, *super terram, erit ligatum & in cælis.* Ligare autem significat etiam legem imponere, vt ibi, *Alligant enim onera grauia & importabilia.* Et HIERON. inverba, *Quæcunque alligaueritis: Potestatem,* inquit, *tribuit Apostolis, vt intelligant quia talibus damnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari.* Deinde Actorũ 15. Petrus cum aliis in concilio scribit gentibus ad fidem conuersis: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à suffocato & sanguine & fornicatione.* Hic Apostoli nouam legem condunt, vt CHRYSOST. annotauit: nam de suffocato & sanguine nihil præcepit Christus. Deinde LVCAS in fine capitis vocat præcepta: *Pertransiens*, inquit, *ciuitates*, (Paulus) *præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.* Et canone 62. Apostolorum grauis pœna iniungitur præuaricantibus hoc præceptum. Idem constat ex traditione Patrum; ac imprimis nullum fere est Concilium, quod non aliquid præcipiat, vel vetet sub pœna anathematis, vel depositionis. Plenæ item sunt Epistolæ Pontificum, quæ exstant, vel in tomis Conciliorum, vel in corpore iuris canonici, legibus & censuris.

Matth 23. 4.
H. in c. 18. Matth.
Act. 15. 28.

II. Episcoporum autem cæterorum potestas in condendis legibus, aliisque, à Papa Romano descendit. Quod liquet ex typo Testamenti veteris. Nam, vt est in Numeris, cum Moses non posset solus regere totum populum, Deus iussit adesse LXX. seniores, & auferens de spiritu Mosis dedit illis, vt vnà cum Mose populum regerent. Pontifex autem eum locũ tenet in Ecclesia, quem Moses

Num. 11. 16.

Moſes in populo Iudæorum. 2. B. CYPRIANVS libro de vnitate Eccleſiæ ſedem Petri comparat capiti, radici, fonti, Soli. In omni enim corpore virtus membrorum deriuatur à capite, in omni arbore virtus ramorum oritur ex radice, in omnibus riuis aqua fluit ex fonte, omnium denique radiorum ſolarium lux eſt à Sole. 3. Quia, ſi Epiſcopi ſuam iuriſdictionem à Deo immediate haberent, & non à Papa, Papa non poſſet eis mutare illam, aut omnino auferre, quod tamen ſæpe fecit. Vnde S. BERNARDVS ad Mediolanenſes: B. ep. 131. *Poteſt Eccleſia Romana nouos ordinare Epiſcopatus, vbi hactenus non fuerunt: poteſt qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictauerit, ita vt de Epiſcopo Archiepiſcopos creare liceat, & è conuerſo, ſi neceſſe viſum fuerit.* 4. Ita vetuſtiſſimi Pontifices aſſerũt, vt INNOCENTIVS I. epiſt. ad Conc. Carthagin. *à Petro, ait, ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis huius emerſit.* Et S. LEO de aſſumptione ſua: *Si quid commune cum aliis voluit eſſe Principibus, nũquam niſi per ipſum dedit, quicquid aliis non negauit.* Deinde S. Pontifex in creandis Epiſcopis vtitur hac verborum formula, PROVIDEMVS Eccleſiæ tali, de tali perſona; & præficimus eum in Patrem & Paſtorem, ac Epiſcopum eiuſdem Eccleſiæ committentes ei adminiſtrationem in temporalibus & ſpiritualibus, in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITVS SANCTI. AMEN. Aug. ep. 91. L. ſerm. 3.

CAPVT IX.

De Potestate temporali Summi Pontificis.

QVONIAM noſtra ætate quidam Sectarij, & inter eos CALVINVS, docere auſi fuerunt C. 4. inſt. c. 11.

principatum temporalem Summi Pontificis, esse possessionem mero latrocinio occupatam, nec posse illum iusto titulo retineri, eo quod pugnet cum Principatu spirituali: opus est hoc loco demonstrare eum minime pugnare. Etenim in lege naturæ Melchisedech fuit Rex simul & Pontifex, vt patet in Genesi & epistola ad Hebræos. Immo S. HIERONYMVS in quæstionibus Hebraicis in illud Gen. *Ruben primogenitus meus*, docet olim primogenitum simul fuisse Regem & Pontificem. NOE quoque, Abraham, Isaac & Iacob in vtroque constat præfuisse suis, in religione scilicet, & politica administratione. 2. MOSES vtriusque personam sustinuit. Nam in Exodo dicitur: *Sedit Moses, vt iudicaret populum.* Et capit. 32. iussit occidi plurimos de populo ob peccatum idolatriæ, & capit. 40. adoleuit Domino incensum, quod maxime erat munus Pontificis, vt patet ex 2. Paralipom. In Leuitico quoque consecrauit Aaronem in sacerdotem, sanctificauit tabernaculum & altare, obtulit sacrificia & holocausta. Itaque PHILO libro de vita Mosis vltimis verbis: *Hæc est*, inquit, *vita, hic exitus Mosis, Legislatoris, Pontificis, Prophetæ.* Et G. NAZIANZ. oratione ad G. Nyssenum: *Moses*, ait, *Principum Princeps, & Sacerdotum Sacerdos Aarone pro lingua vtebatur.* S. AVGVST. in Exodum: *Sedebat iudiciaria sublimitate solus populo vniuerso stante.* Et in LEVITICVM: *Ambo*, inquit, *summi Sacerdotes erant, Moyses & Aaron.* HELI adhæc vt patet ex historia Regum, Pontifex & Iudex Politicus fuit annis 40. Deinde MACHABÆI, Iudas, Ionathas, Simon, Ioannes simul Pontifices & duces politici fuerunt, vt liquet ex Iosepho

Gen. 24. 18.
Heb. 7. 3.
Gen. 49. 3.
Exod. 18. 13.
Exod. 32. 28.
Exod. 40. 25.
2. P. ca. 26.
Leu. 8. 6.
Ph. l. 3.
A. q. 68.
Id. q. 23.
1. Reg. c. 1. & 4.

Iosepho 12.antiquit.Denique ratio idē extorquet. Nam potestas Ecclesiastica & politica non sunt contrariæ,sed vtraque bona,vtraque à Deo,& vna seruit alteri, ergo simul in eodem esse possunt.

II. NON dubium est Summum Pontificem, eum Principatum secularem quē habet, iure optimo habere. ADO enim scribit in Chronico anni D. CC.XXVII: *Insuper Pipinus Rex Rauennam totamque Pentapolim S. Apostolis Petro & Paulo tradidit.* Et LODOVICI I. qui fuit CAROLI MAGNI filius, talis est Constitutio, *Ego LVDOVICVS Romanorum Imperator Augustus statuo,& concedo per hoc pactum confirmationis nostræ sibi B. PETRO Principi Apostolorū, & per te Vicario tuo Domino PASCHALI Pontifici summo & successoribus eius in perpetuum, sicut à prædecessoribus vestris vsque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis, & disposuistis Romanam ciuitatem,cum Ducatu suo,& suburbanis,& territoriis eius montanis, & maritimis littoribus & portubus, seu cunctis ciuitatibus,castellis,oppidis ac villis in Thusciæ partibus.* LEO item Hostiensis Episcopus lib. 1. Chronici Cassinensis: *Fecit*, ait, *idem inclytus Rex* (Pipinus) *cum filiis suis concessionem B. Petro eiusque Vicario de ciuitatibus Italiæ, ac territoriis per designatos fines. A Lunis cum insula Corsica inde in Suranum, in montem Bardonem, Veretum, Parmam, Rhegium, Mantuam & montem Silicis, simulque vnisum exarchatum Rauennæ, sicut antiquitus fuit, cum prouinciis Venetiarum & Histriæ, cunctumque Ducatum Spolentinum ac Beneuentanum.* Et infra: *Demum idem Rex vna cum Romano Pontifice in Italiam veniens, Rauennam & alias viginti ciuitates Aistulpho memorato sublatas Apostolicæ sedi subiecit.* Idem LEO

Grat.dist. 63.

L.cap 9.

lib.3.cap.48. *ANNO Incarnationis Dominiæ M. LXXIX. Mathilda Comitissa Henrici Imperatoris exercitum timens, Liguriam & Thusciam prouincias Gregorio Papæ,& S.R.E.deuotissime obtulit.* Et exstãt ROMÆ authentica instrumenta harum & similium donationum.

DEMVM, vt semper optimi pientissimique Principes habiti fuerunt, qui Ecclesiæ aliquid donauerunt, vt CONSTANTINVS, CAROLVS Magnus, & alij: ita impij & sacrilegi habiti sunt, qui illi aliquid eripere conati sunt, vt fuit Rex Longobardorũ Haistulphus. HENRICVS IV. V. & OTTO IV. FRID. I. & II. Imperatores. Ado enim scribit in Chronico ita de Aistulpho: *Aistulphus Longobardorum Rex nimis perfide testamẽta dono prædecessorum eius B. PETRO collata perrupit, & facultates Romanæ Ecclesiæ militibus suis dedit.* Et infra: *Aistulphus diuino iudicio, dum venatum pergit, subito percussus interiit.* Et S. BERNARDVS epistola ad Romanos data, vehementer eos increpat, quod ab EVGENIO Papa discessissent, causa autem discessus fuit teste Platina & aliis historicis, quod in temporalib. Papæ subesse nollent, & more veteri per Consules Rempub. gubernare conarentur.

Ad. ann. 7. 27.

B.ep. 242.

CAPVT X.

De Virtutibus, quæ inesse debent Summo Pontifici.

IN TITVLO de EPISCOPIS egimus generatim de Virtutibus, quæ merito omnibus inesse debent Episcopis, & maxime conueniunt in Romanum Episcopum, cum ille sit Episcoporum Episcopus, vt loquitur TERTVLLIANVS, id est, inter

T. contra Psych.

inter Episcopos summus: nunc autem operæ pretium facturi videmur, si de propriis quibusdam Summi Pontificis virtutibus agamus. Vnde autem congruentius illas sumamus, quam à primo Pontifice PETRO, quem CHRISTVS, id est, is elegit, qui accuratissime sciebat, quis ad Summum Pontificatum gerendum maxime idoneus esset?

PRIMA autem virtus PETRI à Pontificibus maxime imitanda fuit FIDES Catholica, vnde S. PAVLVS in epistola ad Hebræos suos his verbis commonuit: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum DEI, quorum intuentes exitum conuersationis imitamini FIDEM.* Heb. 13. 7. Petrus autem primus inter Apostolos & alios fuit, qui apud Matthæum *Christum Filium Dei viui*, id est, verum ac naturalē credidit. Ideo enim dixit *DEI viui*, quia proprium est viuentium gignere sibi simile in natura. Matth. 16. 16. Alij quidem discipuli professi erāt eum filium Dei apud Matthæum, & apud Ioannem Nathanael, sed eo modo, quo omnes sancti dicūtur Filij DEI. Matth. 14. 33. Ioan. 1. 49. Deinde Christus, vt est apud LVCAM, rogauit pro eo, vt non deficeret eius fides, ergo maxime illa fuit vera & syncera: *Rogaui pro te*, ait, *vt non deficiat fides tua.* Luc. 22. 32. Vnde probat S. BERNARDVS & alij multi, vt supra ostendimus, Summum Pontificem ex cathedra docentem non posse errare. B. ep. 59. HINC fit vt Cardinales ad Summum Pontificatum non euehant, vel qui aliquando hæreticus fuit, vel minimum de hæresi suspectus.

II. Virtus est ARDENS CHARITAS, quam à Petro postulauit Dominus, cū instituturus eum in summum Ecclesiæ Pastorem, tertio percontatus est: *Simon Ioannes diligis me plus his?* ipse autem Ioan. 21. respon 15.

respondit: *Tu scis quia amo te.* Ad amorem summum quoque spectat Pastoris iam existentis, quod subiungit: *Amen, Amen dico tibi: cum senueris extendes manus tuas* (ad crucem) *& ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte esset clarificaturus DEVM. Maiorem enim hac dilectionem nemo habet,* ait alibi Christus, *vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Nomine autem PASCENDI tria potissimum officia vel opera charitatis exegit Dominus à Petro. Vnum circa lupos, vt eos ab ouili arceat. 2. circa arietes, vt si quando cornibus lædant ouium gregem, eos recludat. 3. circa oues reliquas, vt singulis congrua pabula tribuat. LVPI, qui Ecclesiam Domini vastant, sunt hæretici. nam apud Matthæum dicitur: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Si ergo Princeps aliquis ex oue, vel ariete fiat lupus, id est, ex Christiano hæreticus, debet pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo, ne eum sequatur, & si potest, priuare eum dominio in subditos. Si autem Princeps sit ARIES, id est Catholicus quidem, sed ita improbus, vt multum obsit religioni & Ecclesiæ, vt si Episcopatus vendat, Ecclesias diripiat, poterit summus Pastor eum redigere in Ordinem. Circa OVES reliquas denique ita summus debet se habere pastor, vt singulas cogat eo modo Deo seruire, quo secundum statum suum debent, vt Reges scilicet defendant Ecclesiam & puniant hæreticos & schismaticos, quemadmodum S. AVGVSTINVS docet ad Bonifacium. S. LEO ad Leonem Augustum. S. Gregorius ad Mauritium. Si autem non fecerint, potest

Ib. 19.
Ioan. 15. 13.
Matth. 7. 15.
A. ep. 50.
L. ep 75.
G l. 2. ep. 61.

test eos cogere censuris, aliisve modis commodis. Qua de re lege Nicol. Sanderum libro 2. de visibus monarch. cap. 4. Denique, vt Clerici, monachi, moniales, & seculares vitam instituant conuenienter statui suo.

III. Virtus est, singularis HVMILITAS, & animi submissio. Secundum illud Sapientis: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & à Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia DEI solius, & ab humilibus honoratur.* & iuxta documentum Christi; Cum enim discipulorum quidam de honore contenderent, vocauit, ait S. Matthæus, ad se, dicens: *Quicúnque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Hanc virtutem, vt facto ipso doceret Christus vicarium suum Petrum alioſque Apostolos, proxime ante passionem voluit eius, aliorumque lauare pedes, dicens: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis, non est seruus maior Domino, nec Apostolus maior est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Restitit quidem facto Christi ad tempus Petrus dicens: *Domine tu mihi lauas pedes? Non lauabis pedes mihi in æternum*, sed ex reuerentia & humilitate, vt BASILIVS docet in sermone de iudicio DEI: *Nullius*, inquiens, *peccati, nullius contemptus significationem dedit, verum potius excellenti erga Dominum honore vsus est, & conuenientem seruo, ac discipulo reuerentiam ostendit.* & B. CYRILLVS in Ioannem: *Iure*, ait, *tantæ rei pondus fidelis discipulus pertimuit, & solitæ sibi vsus reuerentiæ fructu* Ezech. 3. 20. Matth. 20. 26. Ioan. 13. 15. C. lib. 9. c. 4.

C.in Ioan. *recusauit.* S. CHRYSOSTOM. ad amorem Petri retulit: *Non parui,* inquit, *amoris & reuerentiæ argumentum fuit.* Et rursum: *In recusando vehemens Petrus, & in permittendo vehementior, vtrumque ex amore.* S. CYPRIANVS quoque in epistola ad Quintum Petri singularem humilitatem laudat, quod à Paulo reprehensus *non dixerit se primatum tenere,*
A.ep.19. *nec debere reprehendi.* Et S. AVGVST. ad Hieronymum: *Rarius & sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corrigi: quam Paulus, quo confidenter auderent minores maioribus pro defendenda veritate, salua charitate resistere.*
Ç.ho.18. Et S. GREG. in Ezechielem: *Se,* ait, *minori fratri ad consensum dedit, atque in eadem re factus est sequens minoris sui, vt in hoc etiam præiret, quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus etiam in humilitate.* Et infra: *Ecce à minore suo reprehenditur & reprehendi non dedignatur.* Denique quod S. Petrus capite in terram verso fuerit crucifixus, teHieron. in Catalogo. ste Hieronymo ex humilitate factum est, qui in-
Baron. ad annū 69. dignum se existimabat in ea re assimilari Christo, & vt à terra in cœlum ita faceret, teste CHRYSOST. apud Metaphrasten.

IV. Virtus est ZELVS & FERVOR, qua sem in multis rebus declarauit. Nam cum apud Matthæum Christus coram discipulis patefacere cœpisset, se iturum Hierosolymam multaque passurum à Senioribus, & Scribis & Principibus Sacer-
Matth.16. 12. dotum, ac demum occidendum; Petrus *cœpit eum increpare dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* In
H.in c.14. Matth. quæ verba S. HIERON. *In omnibus locis,* inquit, *ardentissima fides inuenitur Petri. Interrogatis discipulis,*

quem

quem homines dicerent IEsum, Dei filium confitetur: volentem ad passionem pergere prohibet, & licet erret in sensu, tamen non errat in affectu. Et alibi: *Mihi hic error Apostolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquam incentiuum diaboli videbitur.* 2. Cum Christus cum tribus discipulis montem Tabor conscendisset transfigurationis suæ causa, Petrus ex zelo statim in hæc verba prorupit: *Domine bonum est nos hic esse, vbi Moses*, inquit ibi CHRYSOST. *& Helias quoque adsunt. Helias, qui de cœlo ignem fecit descendere. Moses, qui ingressus in caliginem cum DEO collocutus est, præterea nullus sciet hic nos esse. Vides quanto Christi ardore incendebatur. Non enim quærere debes, quam prudenter hortabatur, sed quam feruens charitate Christi, quamque inflammatus esset. Nam quod non pro se tantum, quantum pro Christo timeret, quando mortem & insidias Christus prædicabat, ipsum audias dicentem, Animam meam pro te ponam. etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Vnde factum est, vt in medio periculo constitutus, tam ingenti caterua circumfusus, non modo non fugerit, verum etiam gladio arrepto sacerdotis serui aurem absciderit. Non ita pro se, sed pro magistro expauescebat.* Id in c. 16. Matth. 17. 4. Ch. hom. 57. in Matth. 4. Reg. 1. Exod. 33. Ioan. 13. 37. Mar. 14. 31.

Consentit S. AMBROSIVS de eodem facto Petri loquens, *Petrus*, ait, *eruditus in lege, promptus affectu, qui sciret Phinees reputatū ad iustitiam, quod sacrilegos peremisset, percussit Principis seruū.* 3. *In* Actis Apostolicis multa habemus seruoris D. Petri exēpla: vt quod repletus Spiritu Sancto vna concione tria, aliā quinque hominum millia ad Christum cōuerterit, quod iussus à principib. sacerdotum, ne doceret amplius in nomine IESV, responderit in publico eorum confessu: *Non possumus, quæ audimus* A. in c. 22. Luc. Act. 2 41. Act. 3 4. Act. 4. 20. Act. 5 29.

mus & vidimus non loqui. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Quod Ananiam & Saphiram vxorem eius iam credentes, sed de precio agri fraudantes, verbo extinxerit. Quod primum hæresiarcham Simonem, qui donum dandi Spiritum Sanctum pecunia mercari volebat, detexerit, & è numero fidelium eiecerit. quod Cornelio centurioni gentili, omnibusque gentilibus Euangelij prędicationem primus patefecerit, &c.

Act. 8. 20.

V. Virtus est FIDELITAS in administratione Ecclesiæ. Fideli enim admistratori talentorum Dominus dicit: *EVGE serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Vnde S. AMBROSIVS præfationem quinti libri de fide ad Gratianum ita inchoauit: *Quisnam est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore cibum? Beatus ille seruus, quem veniens Dominus eius inuenerit sic facientem. Non vilis hic seruus, magnus aliquis esse debet. Quis sit iste consideremus. Est PETRVS, ipsius Domini ad pascendum gregem electus iudicio, qui tertio meretur audire, Pasce agniculos meos, pasce agnos meos, pasce ouiculas meas. Itaque pascendo bene cibo fidei gregem Christi culpam lapsus prioris aboleuit. Et ideo tertio admonetur, vt pascat, tertio vtrum Dominum diligat interrogatur, vt quem tertio ante crucem negauerat, tertio fateretur. Beatus & ille seruus, qui potest dicere: Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis. Nouit enim quos quemadmodum pascat. Quis nostrum hoc facere potest? Quis nostrum vere potest dicere: Factus sum infirmus, vt infirmos lucrifaciã? Et tamen ille tantus ad curam gregis electus à Christo, qui sanaret infirmos, curaret*

Matth. 25. 21.

Matth. 24. 40.

Ioan. 22. 15.

1. Cor. 3. 2.

inuali

inualidos, hæreticum à commisso sibi ouili statim post vnam correptionem repellit, ne vnius erraticæ ouis scabies serpenti vlcere totum gregem contaminet.

VI. Virtus est DEVOTIO in Oratione & ieiunio, quæ singulari effectui iuncta scribuntur. Nam cum in actis Apostolicis scriptum esset: *PETRVS autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* statim subiicitur, de claudo ex vtero matris à Petro in integrum valetudini restituto, ita vt exiliret, & laudaret Deum. Et infrà, cum scriptum esset: *Ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam, & cum esuriret voluit gustare, mox subditur: Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide & manduca.* qua visione monitus est, vt Cornelium & alios gentiles in Ecclesiam reciperet. In quæ verba idem S. AMBROSIVS in epistola ad Vercellēsem Ecclesiam: *Quid sibi vult*, inquit, *Scriptura, quæ docet ieiunasse Petrum, & ieiunanti atque oranti de baptizandis gentibus reuelatum mysterium, nisi vt ostenderet etiam ipsos sanctos cum ieiunant, tunc fieri præstantiores? Denique Moses cum ieiunaret legem accepit. Et idcirco Petrus cum ieiunaret, edoctus est noui testamenti gratiam.* Et in natali S. Petri & Pauli: *Dixit S. Lucas in Actibus Apostolorum post orationem esurienti Petro circa horam sextam aperto cœlo vas quoddam splendidum velut linteum fuisse delatum, in quo erant quadrupedia, &c. Bene ait in cœnaculum ad orationem ascendisse Petrum, quia omnis sanctus quando orat, relinquens humilia vel terrena in altū mentis extollitur, & in sublime*

Act. 3. 1.

Act. 10. 9.

A. l. 10. ep. 82.

Id. ser. 67.

suspensus

suspensus rapitur, & cogitatione sancta cœlo vicinus efficitur. Atque ibi esurienti illi, hoc est, cogitanti in cordis sui sublimiori loco pro salute populi Iudaici, offertur vas diuersorum generum animalibus plenum, velut diuinitate dicente illi. Tu in Iudæos solos esuris: ecce famem fidei tuæ cunctarum gentium diuersitate reficio. In qua primum animal DEO ex gentibus Centurio Cornelius est immolatus. Denique sanctæ orationis beneficio S. Petrus etiam primum hæresiarcham Simonem de Ecclesia & cœlo eiecit, vt habet S. MAXIMVS inter sermones AMBROSII. *Cum enim*, inquit, *idem SIMON se Christum diceret, & tanquam filium ad Patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatu subito magicis artibus, volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit in cœlum ad Dominum oratio, quam volatus, vt ante peruenit iusta petitio, quam iniqua præsumptio. Ante Petrus in terris positus obtinuit, quod petebat, quam Simon peruenire ad cœlestia, quo tendebat. Tunc igitur PETRVS visum illud de sublimi aere deposuit, & quodam præcipicio in saxo elidens eius crura confregit.*

M. serm. 66.

VII. Est CONTEMPTVS opum, quæ eluxit maxime in Petro. Ille enim inter Apostolos primus exclamauit: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Ille claudo Hierosolymis petenti eleemosynam, confidenter respondit: *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* Ille commouit primos Christianos, *vt quotquot possessores agrorum aut domorum erant vendentes afferrent pretia eorum, quæ vendebant, & ponerent ante pedes Apostolorum.* Recte ponebãt ante pedes eorum, vt ostenderent se ea contemnere, & quasi

Matth. 19. 27. Act. 3. 6. Act. 4. 34.

quasi iam conculcare pedibus. DICES facile fuisse PETRO contemnere omnia, cum nihil fere haberet. Respondeo cum S. HIERON. in Matthęum: *Grandis fiducia. Petrus piscator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat, & tamen loquitur confidenter, reliquimus omnia. Et quia non sufficit tantum relinquere, iungit quod perfectum est: Et secuti sumus te: fecimus quod iussisti. Quid igitur dabis nobis præmij? IESVS autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, &c. Non dixit, qui reliquistis omnia, hoc enim & Crates fecit Philosophus, & multi alij diuitias contẽpserunt, sed qui secuti estis me, quod est Apostolorum & credentium.* Similiter S. AVGVSTINVS in Psalmum 103. *PETRVS, vt sequeretur Dominum nouimus quod piscator erat, quid potuit dimittere? Vel fratres eius Andreas, vel filij Zebedæi Ioannes & Iacobus etiam ipsi peccatores, & tamen quid dixerunt? Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Non ei dixit Dominus: Oblitus es paupertatem tuam, quid dimisisti, vt totum mundum acciperes? Multum dimisit, fratres mei, multum dimisit. Quid? Non solum dimisit, quicquid habebat, sed etiam quicquid habere cupiebat. Quis enim pauper non turgescit in spe seculi huius? Quis non cupit quotidie augere, quod habet? Ista cupiditas præcisa est. Ibat in immensum, accepit modum, & nihil dimissum est. Prorsus totum mundum dimisit Petrus, & totum mundum Petrus accepit. Quasi nihil habentes, & omnia possidentes.* SANE multi Summi Pontifices hactenus fuerunt, in quos encomium huius virtutis vere conuenit, vt nostra memoria in GREGOR. XIII. qui tot Collegia suis sumptibus excitauit, tot millia pauperum. & orphanorum in Vrbe & extra Vrbem aluit, vt CÆSAR

H. l. 3. in Matth.

Matth. 4. 18.

Matth. 19. 27.

1. Cor. 6. 10.

Baronius

Baronius Cardinalis tomo 2. annalium ad annum 172. dicat eum meruisse statuã in CAPITOLIO, cui inscriptum sit hoc Elogium, *SESTERTIVM octingenties singulari beneficentia in egenos distributum*, id est, vicies centena millia aureorum.

VIII. Est, POENITENTIA & lacrymæ post lapsum. Vt enim Matthæus scribit, eum lapsum animaduertens, *egressus foras fleuit amare*. Quod non sine singulari diuina prouidentia, Summo Pontifici iam designato accidit, vt disceret condolere iam factus Pontifex aliis fidelibus aliquando ex infirmitate senili labentibus. Nã & D. PAVLVS contendit Christum IESVM confessionis nostræ Pontificem, ideo assimilatum nobis, id est, assumpsisse carnem & sanguinem, vt nobis hominibus ex tentatione aliqua lapsis posset opem ferre: *Debuit*, inquit in epistola ad Hebræos, *per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.* Et infra: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Vnde S. AVGVSTINVS in quodam sermone de Tempore: *O res stupenda. Puella accedens fidem Petri discussit, & mirum si soliditatem Petri non turbo, non imber, sed roris leuissima gutta transfixit. Petrus labia puellæ non sustulit, sed vbi locuta est, ille turbatur. Processit sermo puellæ, & immobilis columna discussa est. Veruntamen instabat illa interrogans & dicebat: Et tu hosterno die cum homine hoc eras. Petrus autem eo magis oppressus formidine hominem se scire negauit. Quem respiciens Christus, suorum*

Matth. 26. 75.

Heb. 2. 17.

Heb. 4. 15.

A. serm. 124.

rum fecit recordari sermonum. At ille intelligens factum, conuersus ad pœnitentiam amarissime fleuit. Agnouit enim sibi, vt homini peccati irrepsisse perniciem, quod totum hactenus diuinitus procuratum est. Videte ergo fratres carissimi, quemadmodum exiguæ culpæ permittitur subiacere tantus Apostolus, vt emendatus elationis vitio atque correctus integro vestiatur moderationis, & clementiæ indumento. Iam enim eruditus & edoctus es in PETRO, quemadmodum eum Dominus tui causa patitur circumscribi delicto: quemadmodum illum fidei pietatisque signiferum, & generis humani columnam permiserit metu dominante quassari, vt populorum Doctoribus & Magistris esset exemplum, à DEO sibi non peccandi gratiam minime condonatam, sicut dicit Apostolus Paulus: Considerans te, ne & tu tenteris: cum forte quis fuerit in Ecclesia delicto præuentus, non statim abiiciat, non statim condemnet, sed compatiatur ac lugeat, consoletur & reuocet, commodet iacenti affectum, porrigat manum, erigat lapsum, spem ei diuinæ clementiæ repromittens, sub qua etiam seruire exemplo tantorum comprobet Magistrorum. Gal. 6. 1.

VIDE V. De Statu Cardinalium, Episcoporum, Iudicum, Prælatorum, Sacerdotum.

DE PRÆLATORVM STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Prælatorum intelligatur.

PRÆLATORVM nomine, quoniam generale est, intelligimus eos, qui in cœtu hominum Ecclesiastico vel politico dignitate

gnitate,auctoritate & officio cæteris sunt præpositi, vt in Ecclesiastico, (sub quo comprehendimus Religiosum vel Monasticum)sunt Episcopi,Decani,Pastores vel Parochi,Abbates, Rectores, Priores, vel si quo alio nomine appellantur, de quo & præcipue agemus.

QVOD enim in magno hominũ cętu certis legibus coacto conueniat vnum aliquẽ cæteris regendis,dirigendisque,quo ordinate,& decenter,iuxta admonitionem Apostolicam,omnia fiant,pęresse, multa arguměta persuadent. 1.quod vnus sit totius huius Vniuersitatis Rector & monarcha,quẽ merito,vt omnis sapientię normam imitari debemus. 2.quia idem Rector DEVS institutionem generis humani inchoauit ab vno omnium creaturarum Domino Adamo: *Ex vno*,ait PAVLVS in actis Apostolicis,*fecit omne genus hominum*. Vnde S.CHRYSOST.in priorem ad Corinthios scribens : *Auctor ipse rerum Deus primum caput vnum omnibus dedit ipsum Adam. Postquam enim non valuit satis ad concordiam flectere nos,quod substantiæ eiusdem essemus,nisi eundem etiam haberemus parentem, etiam hoc ita comparauit. Nam si nunc quidem tantum quia locis dissidemus alienos esse nos inuicẽ putamus,si generis totius duo principia extitissent,quid futurũ fuisse credis? Itaque velut à capite quodam vno totũ humani generis corpus dependet.* 3.Quia in quolibet hominũ cœtu,licet exiguo,videmus alios aliis pręlatos.Neq; enim minor potuit esse quam duorum,vt initio mundi, Adã & Euæ,viri & mulieris,& tamẽ vir prælatus est mulieri. In quaque familia vnus paterfamilias præest cæteris,& in eadem liberi seruis, & serui maiores minoribus,vt ibidem habet Chrysostomus : *Deus*, inquit,

1.Cor.14. 40.

Act.17.

Ch. hom. 34.

Ibid.

inquit, *virum imperare, mulierem subesse iussit, esse enim inter æquales æmulationem nouit; itaque noluit esse democratiam, sed regnum. Et quod videre in exercitu licet, id in omni bene custodita domo deprehendas. Regis locum obtinet maritus, vxor priuati & ducis: imperium proximum liberi tenent, infimum familiares: nam & hi in subiectos similiter imperium tenent. Et vnus quispiam cæteris omnibus præfectus, heri vicem tenet, sed vt seruus.* 4. Vt in qualibet domo, ita in vrbe ad vnum gubernatorem, in prouincia ad Ducem, in regno vel natione ad Regem, in orbe toto vel magna eius parte ad Imperatorem omnia rediguntur. In Ecclesia similiter ad vnum pastorem, Episcopum, Archiepiscopum, Primatem, Patriarcham, Summum Pontificem, prout cuiúsque ditio latior & amplior subiicitur. 5. quia natura ipsa idem ingenerasse videtur brutis animantibus: *Rex vnus apibus*, inquit S. CYPRIANVS de idolorum vanitate, *Dux vnus in gregibus, & in armentis Rector vnus.* Et S. HIERONYMVS ad Rusticum monachum: *Etiam muta animalia, & ferarum greges, duces sequuntur suos. In apibus principes sunt, grues vnam sequuntur ordine litterato. Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. In naui vnus gubernator, in domo vnus Dominus, in quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur.* 6. & postremo, quia sapientissimi Ethnicorum ratione naturali imbuti docuerunt optimam formam gubernationis è tribus, hoc est, *Monarchia*, quæ est principatus vnius, *Aristocratia*, quæ est optimatium paucorum, & *Democratia*, quæ est imperium populi H. ep 4.

totius, optimam esse Monarchiam. Inde Homeri
Illiad.B. versus tantopere apud omnes celebratus.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω
Εἷς βασιλεύς. *Herus vnicus esto, Vnicus & Princeps.*

Et Plato in Politico: *Vnius*, inquiens, *dominatio bonis instructa legibus, lex illarum omnium optima est.*
A. cap. 10. Quem secutus Aristoteles in octauo Ethicorum post enumeratas dictas tres gubernandi formas: *Harum*, ait, *optima regnum, pessima Respublica est.*
S. c. 20. Et Seneca lib. 2. de beneficiis, rationem reddens, cur Ivlivs Cæsar inconsulto à Bruto occisus sit: *Cum optimus*, inquit, *ciuitatis status sub rege iusto sit.* Isocrates in Nicocle suo idem multis rationibus euincit. Plvtarchvs item in libro de Monarchia. & Herodotvs historicus libro tertio, qui Thalia inscribitur.

CAPVT II.

De Dignitate Status Prælatorum.

Dignitas Prælatorum demonstrari imprimis potest ex nomenclatura Deorum, quam illis attribuit diuina Scriptura. Nam Deus ipse in
Exod. 7. 1. Exodo si alloquitur Moysen: *Ecce constitui te Deum*
Exod. 21. 5. *Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.*
Exod. 22. 8. Et rursus. *Hæc sunt iudicia, quæ propones eis. Si dixerit*
Ib. 28. *seruus, diligo Dominum meum, offeret eum dominus Diis.* Et: *Si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit.* Et iterum: *Deus non detrahes, &*
Psal. 81. 6. *Principi populi tui non maledices.* Psaltis Regij quo-
Io. 10. 35. que carmen est: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Quod Christus allegauit, vt suam diuinitatem tueretur contra Iudæorum blasphemiam. Eutymius

mius enim existimat Dauidem locutum de sacerdotibus & iudicibus populi. Apostolis quoque apud Matthæum videtur tam honorificum nomen Saluator tribuisse. Nam cum rogasset eos, *Quem dicunt homines esse filium hominis?* postea subdidit: *Vos autem quem me esse dicitis?* Vnde HIERON. ad ea verba: *Prudens lector*, inquit, *attende, quod ex consequentibus, textuque sermonis Apostoli nequaquam homines sed Dij appellantur. Cum enim dixisset: Quem dicunt homines, esse filium hominis? subiecit; Vos autem quem me esse dicitis? Illis quia homines sunt humana opinantibus, vos qui estis Dij, quem me esse existimatis?* H. lib. 2. comment.

SECVNDO demonstratur eadem dignitas ex eo; quod diuina Scriptura doceat Prælatos vel Principes in gubernando vices sustinere DEI, atque adeo Deum honore affici vel contemni, si eorum edicta præstentur, vel contemnantur. Nam cum Iudæi quondam, vt est in sacra Regum historia, abiecto spirituali Magistratu, aliarum nationum more Regem sibi præfici à Samuele postulassent, dixit Dominus ad Samuelem: *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et Christus Dominus apud Lucam dixit Apostolis. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Eodem pertinet quod B. Paulus ad Romanos, cum Principes & Magistratus adhuc essent à vera religione alieni, scripsit: *Omnis anima*, inquiens, *potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Imo, quod mirum est, vult omnes fideles, suis Dominis 1. Reg. 8. 7. Luc. 10. 16. Rom. 13. 1.

Eph.6.5. & superiorib. obsequi tanquam Christo. *Serui*, ait ad Ephesios, *obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate seruientes sicut Domino, & non hominibus.* Idem repetit ad Colossenses.

Col.3.22. VNDE S. BERNARDVS in tractatu de præcepto & dispensatione. DEVS, inquit, *Prælatos sibi quo-*

Luc.10.16. *dammodo æquare dignatus, sibimet imputat illorum &*

R.c.68. *reuerentiam & contemptum, specialiter contestans eis: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. An non hoc ipsum & Regula nostra* (S. BENEDICTI) *perhibet, vbi ait: Obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur. Quamobrem quicquid vice DEI præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere DEO, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat*

C.c.10. *DEVS.* Et ante eum IOAN. CASSIANVS sagens libro quarto institutionum de perfecta obedientia Tabenensiotarum monachorum in Thebaide, affirmat *eos sic vniuersa complere, quæcunque à superiore fuerint præcepta, tanquam si à Deo cœlitus sint edita.*

TERTIO eadem dignitas liquet ex iis Scripturæ testimoniis, quæ docent omnem honorem & obedientiam deferendam Magistratibus tam politicis, quam Ecclesiasticis, *Subiecti*, inquit Apostolorum Princeps in priori epistola, *estote omni humanæ*

1.Pet.2. *creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei. Omnes honorate, Deum timete. Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore Dominis non tantum*

bonis

bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hunc honorem S. PETRO detulit Cornelius adhuc gentilis, cum, vt est in Actis Apostolicis, *eum, procidens ad pedes,* adorauit. Idem non semel docuit Apostolus Paulus: *Obedite,* inquit ad Hebræos, *præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et ad Timotheum: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo:* Et, *Quicunque sunt sub iugo serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent Dominos magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti.* Et iterum: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Deinde ad Titum idem ita monet: *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.*

Act. 10. Heb. 13. 1. Tim. 2. Ib. c. 6. Ib. c. 5. Tit. 3. 1.

CAPVT III.

De Virtutibus Prælatorum

PRIMA virtus est PIETAS in Deum, quæ teste S. AVGVSTINO in Enchiridio, non est aliud, quam *cultus Dei: colimus autem Deum:* ait idem, *fide, spe & charitate.* Hanc nomine Sapientiæ intellexit Salomon cum scripsit: *Si delectamini sedibus & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Pietate hac fidei operantis per charitatem apud DEVM promeruit quondam

A. c. 2. Sap. 6. 22.

Genes. 22. Gal. 3 8. Patriarcha Abraham, vt in eius semine benedicerentur omnes gentes. Vnde concludit Apostolus: *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Vis huius diuinæ benedictionis eluxit semper in Principibus & Regibus, qui eximia in Deum pietate claruerunt, vt Constantino Magno, Theodosio, Carolo Magno, aliis.

Deut. 1. 13. II. Virtus est Vita exemplaris. Vnde in Deuteronomio dicit MOYSES: *Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis Principes.* Et Apostolus ad Titum Episcopum: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.* Et ad Timotheum de omnibus Episcopis & Sacerdotibus: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum.* In quæ verba ita S. CHRYSOSTOMVS, *Cum dixit Episcopum debere esse irreprehensibilem, omne genus virtutis expressit. Itaque qui sibi alicuius culpæ conscius est, male profecto facit eam rem appetens, qua indignum se per opera fecit: non enim decet huiusmodi regere, sed potius regi. Eum quippe, qui regendos alios suscipit, decet tanta virtutis gloria excellere, vt instar Solis cæteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret. Debet huiusmodi vitam habere immaculatam, vt omnes in eius vitam veluti in exemplar aliquod excellens intueantur.* Et S. GREGORIVS in Pastorali: *Scriptum est per Prophetam. Laqueus ruinæ populi mei Sacerdotes mali. Hinc rursum de sacerdotibus malis per Prophetam dominus dicit: Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis. Nemo quippe in Ecclesia amplius nocet, quam*

Tit. 2. 7. 1. Tim. 3. 1.

C. hom. 12.

G. 1. p. c. 2. Ose 9. 8. Ezech. 44. 12.

quam qui peruerſe agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præſumit : & in exemplum culpa vehementer extenditur , quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

III. Virtus, Amor iudicij , vel ſapientiæ , & iuſtitiæ, iuxta illud Michææ Prophetæ : *Audite principes Iacob , & duces domus Iſrael. Nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonum & diligitis malum ?* Et Sapientiæ: *Diligite lumen ſapientiæ omnes qui præeſtis populis. Multitudo autem ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum, & Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt.* Et, *Diligite iuſtitiam , qui iudicatis terram.* Et Moyſes in Deuteronomio. *Præcepique eis* (principibus) *dicens, Audite illos, & quod iuſtum eſt iudicate , ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum : ita paruum audietis , vt magnum; nec accipietis cuiuſquam perſonam , quia Dei iudicium eſt.* Et in Exodo DEVS ipſe ad Moyſen : *Prouide de omni plebe viros potentes , & timentes Deum , in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam , & conſtitue ex eis tribunos & centuriones , & quinquagenarios & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Si hoc feceris, implebis imperium DEI.* Vnde S. GREGORIVS ad Theodoricum & Theodebertum Francorum Reges: *Summum*, ait, *in Regibus bonum eſt, iuſtitiam colere, ac ſua cuique iura ſeruare : & ſubiectis non ſinere , quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod æquum eſt, cuſtodire.* Mich. 3. 1. Sap. 6. 23, & 26. Sap. 1. 1. Deut. 1. 16. Exod. 18. 21. G. ep. 110. lib. 7.

IV. Virtus, Humilitas. *Rectorem te poſuerunt* , ait Eccleſiaſticus cap. 32. *noli extolli : eſto in illis , quaſi vnus ex ipſis.* quam Chriſtus Apoſtolis, cum ad Prælaturam aſpirarent, maxime commendauit , *Qui maior* , inquiens , *eſt veſtrum , erit miniſter veſter.* Et, Matth. 23. 10.

Matth.20. 28. *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Et D.
1.Petr.5.2. PETRVS in epistola priore; *Pascite qui in vobis est gregem DEI, prouidentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Illustre exemplum habemus in Christo Domino, qui licet esset Princeps pastorum, & Dominus dominantium, tamen cum admiranda humilitate suorum discipulorum pedes lauit, merito omnibus Prælatis imitandum, maxime
Ioã.13.15. cum lotione peracta dixerit: *Exemplum dedi vobis,*
Aug.hom. 24.ex 50. *vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Imitatus est certe aliquando in alio licet genere. S. AVGVSTINVS, cum populum suum pro concione ita est allocutus: *Diuersarum ergo curarum,* inquit, *æstibus ac difficultatibus conturbatus, si quem forte non vt poscebat audiui: si quem tristius quam opus erat aspexi, si in quem verbum durius, quam oportebat emisi: si quem corde contribulatum, & opis indignum responsione incongrua conturbaui: si quem pauperem mihi in aliud intento importunius insistentem vel prætermisi, vel distuli, vel etiam nutu aspero contristaui: si quis in sua conscientia non agnouit, quod de illo humanitus suspicatus sum, vos, quibus pro his atque huiusmodi offensis esse me fateor debitorem, simul me vestrum credite debitorem. Nam pullos quos fouet sæpe in angustiis, sed non toto pedis pondere calcat, & mater, nec ideo desinit esse mater. Dimittite, vt dimittatur vobis. Dimittite amati vos debita difficultatis, qui nec contra inimicos debita crudelitatis tenere debetis. Ad summam, omnes vos obsecro, commendare Domino curam pro vobis meam.* Lege GREGOR.26. moral.c.21.

Ezech.34. 4. V. Virtus, Mansuetudo. Nam apud Ezechielem arguuntur

arguuntur pastores Israhel, qui *cum austeritate imperabant gregi, & cum potentia.* Vnde Christus ad Apostolos: *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Quid oue mansuetius? Quæ verba exponens in Euangelia S. GREGORIVS: *Sicut agni,* inquit, *inter lupos mittimur, vt sensum seruantes innocentiæ, morsum malitiæ non habeamus. Qui enim locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare, vt ex ipsa sua mansuetudine iram sæuientium mitiget.* Hac virtute quia excelluerat Moyses, idcirco populi Israelitici dux à Deo constitutus est. de quo ita B. HIERONYMVS ad Theophilum aduersus errores Ioannis Hierosolymitani: *DVX ille Israelitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad cuius imperium cœlum & terra & maria seruiebant, inter eunctos homines, quos tunc terra generauit, mansuetissimus prædicatur. Et ideo per quadraginta annos obtinuit principatum, quia potestatis superbiam lenitate & mansuetudine temperabat. Lapidabatur à populo, & pro lapidantibus rogabat: quia potius deleri ipse vult de libro DEI, ne commissus sibi grex pereat. Cupiebat enim illum imitari pastorem, quem sciebat etiam errantes oues suis humeris portaturum.* Matth. 10. 16. G. hom. 17.

VI. Virtus, Patientia, & maximè in tolerandis subiectorũ vitiis: *Qui enim patiens est,* ait Salomon, *multa gubernatur sapientia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Vnde Apostolus: *Debemus,* inquit, *nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.* Et rursus: *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate. Hoc onus,* scribit in epistola ad Prælatum quen- Prou. 14. 29. Rom. 15. 1. Gal. 6. 1.

B.ep.75. dam B. BERNARDVS, *animarum est & infirmarum. Nam quæ sanæ sunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt. Quoscunque igitur de tuis inueneris tristes, pusillanimes, murmuriosos, ipsorum te Patrem, ipsorum te noueris esse Abbatem. Consolando, exhortando, increpando agis opus tuum, portas onus tuum, & portando sanas, quos sanando portas. Si quis verò ita sanus est, vt magis iuuet te, quã iuuetur à te, huius te non Patrem, sed parem, comitem, non Abbatem agnoscas.* S. GREGORIVS in altera parte Pastoralis docet hanc patientiam à Prælatis quoq; seruandam, cùm

G.c.8. iustè arguuntur à subditis: *Nemo quippe est*, ait, *qui ita viuat, vt aliquatenus non delinquat. Ille ergo seipso amplius veritatem desiderat amari, qui sibi à nullo vult*

Gal.2.11. *contra veritatem parci. Hinc etenim Petrus increpa-*

2.Reg.5. *tionem Pauli libenter accipit. Hinc Dauid increpationem subditi humiliter audiuit, quia Rectores boni, dum priuato diligere amore se nesciunt, liberæ puritatis verbum à subditis obsequium humilitatis credunt.* Verum & patientia opus, cùm iniustè arguuntur, vt nota-

Ch.ho.15. uit CHRYSOST. in epistolam ad Timotheum: *Est enim*, inquit, *Prælatus linguis innumeris propositus ad lacerandum: alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius compositionem in ius trahit, magnaq; illi constantia ad ista toleranda opus est.*

VII. Virtus, Amor magnus erga subditos: *Bo-*

Ioann. 10. 11. *nus enim pastor*, ait Christus apud Ioannem, *animam suam dat pro ouibus suis.* Et de se: *Ego sum pastor*

1.Ioann.3. 16. *bonus, & animam meam pono pro ouibus meis.* Et B. Ioannes: *Nos debemus animas pro fratribus ponere.* Qua de re præclarè idem aureum os in epistolam

C.ser.29. Ioan.21. ad Romanos: *Initium*, ait, *sumendum à proximi dilectione, vt Pastor id muneris accipiat. Vnde Petro*

dicebat

dicebat Christus: Pasce oues meas. Christum enim diligens, & gregem illius vtique diligit. Et Moysen tum primum super populum Iudæorum posuit, quando qua esset in illum beneuolentia re ipsa iam declarauerat. Dauid quoque simili modo regni suscepit gubernationem, posteaquam apparuerat, quam amico esset in populum affectu. Ita quippe iuuenis adhuc populi causa doluit ac zelauit, vt & animam suam exponeret, cum videret barbarum Philistæum, quem occidit. Et Samuel quoque amator populi erat, vnde dicebat: Absit à me hoc peccatum, vt cessem pro vobis orare Dominum. Et Paulus multo plus omnibus ardebat erga subditos. Et Christus optimi pastoris canonem ferens dixit: Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. 1 Reg. 17. Ibid. 12. Ioann. 10. 11.

VIII. Virtus, Studium vitæ contemplatiuæ & actiuæ, cóuenienter monito Paulino ad antistitem Timotheum: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* Vnde S. AVGVSTINVS lib. 19. de ciuitate DEI: *Ex tribus illis*, ait, *vitæ generibus, otioso, actuoso & ex vtroque composito, quamuis salua fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere, & ad sempiterna præmia peruenire, interest tamen, quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. Nec sic quisque debet esse otiosus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi: nec sic actuosus, vt contemplationem non requirat DEI. In otio non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio, aut inuentio veritatis: vt in ea quisque proficiat, & quod inuenerit, alteri non inuideat. In actione verò non amandus est honor in hac vita, siue potentia, quoniam omnia vana sub sole, sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, si recte atque* 1. Ti. 4. 12. A. c. 19.

atque vtiliter fit : id est, vt valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundùm DEVM est. Et paulò pòst: *Quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnimodo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat ista necessitas.* Idem Stu-
G.c.3.in fi. dium in Pastore requirit S. GREGORIVS secunda parte Pastoralis.

CAPVT IV.

De Officio Prælatorum.

Prou.27.2. PRIMVM officium Prælatorum est cognoscere subditos, iuxta illud Salomonis : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuósque greges considera.* Et
Ioã. 10.14. Christus Dominus ait de se : *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ : Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem.* Quorum verborum sensus est: Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, ita ego agnosco oues meas, & cognoscũt me meæ. Qua comparatione ex duabus composita Christus declarat, ita se suas cognoscere oues, ita amare, ita earum curam gerere, quemadmodum se Pater cognoscit, amat, curámque habeat, & ita se ab ouibus suis cognosci, quemadmo-
H.c.27. dum à se Pater suus cognoscitur. Vnde S. HIERONYMVS libro 3. commentariorum in prouerbia
Pro.27.23. Salomonis pastori dicitur Ecclesiæ : *Diligenter adhibe curam eis, quibus te præesse contigerit, agnosce animos actusq; singulorum, & si quid in eis vitij sordidan-*

tis

tis inueneris, citius castigare memento.

II. Officium est, subditos verbo & exemplo erudire: *Dabo vobis pastores*, inquit DEVS apud Ieremiam, *iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Hinc B. Paulus ad Timotheum ab Episcopo exigit, vt sit Doctor, ipsumq; monet, vt *attendat sibi & doctrinæ*, quo se, auditoréque suos saluos faciat. Titum quoque Episcopum ita alloquitur: *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam.* Et cùm aliquot sanæ doctrinæ capita commemorasset: *Hæc*, inquit, *loquere & exhortare, & argue cum omni imperio.* Deinde in epistola ad Ephesios, cùm dixisset: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas*, mox subdit, *alios autem pastores & doctores*, indicans pastores debere esse doctores. Vnde S. AVGVSTINVS ad Paulinum: *Pastores*, inquit, *& doctores, quos maxime vt discernerem voluisti, eosdem puto esse, sicut & tibi visum est, vt non alios pastores, alios doctores intelligamus, sed ideo cùm prædixisset, pastores, subiunxisse doctores, vt intelligerent pastores ad officium suum pertinere doctrinam.* Et S. HIERONYMVS in commentariis ad Ephesios: *Non*, ait Paulus, *alios autem pastores, & alios magistros, sed alios pastores & magistros, vt qui pastor est, esse debeat & magister: nec in Ecclesiis quamuis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere quos pascit. Sacerdos*, scribit in pastorali S. GREGORIVS, *si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim, quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit: quia nimirum quos repleuerit, de se protinus loquētes facit. Hinc Moysi præcipitur, vt tabernaculi sacerdos ingrediēs tintinnabulis*

Ier. 3. 15.
1. Ti. 3. 2.
1. Ti. 4. 16.
Tit. 2. 1.
Eph. 4. 11.
A. ep. 59.
H. lib. 2.
G. 2. p. c. 4.
Act. 2. 3.
Exod. 28. 33.

bulis ambiatur, vt videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris iudicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est: Audiatur sonitus, quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.

Luc. 12. & 21. III. Cũ solicitudine & vigilantia præesse. Vult enim Christus patremfamilias vigilare. *Hoc*, inquiens, *scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* Et Apostolus ad maiores natu Eccle-
Act. 20. 28. siæ dixit: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non pa-*
Rom. 12 8. *rentes gregi. Propter quod vigilate.* Et ad Romanos: *Habentes autem donationes secundùm gratiam, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate.* Et ad
Heb. 13. 17. Hebræos: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi pro animabus vestris rationem reddituri.* Hac verò solicitudinis & vigilantiæ laude egregie excelluit ipse Apostolus, cui incum-
2. Cor. 11. 28. bebat, vt ipse in epistola altera ad Corinthios loquitur, *solicitudo omnium Ecclesiarum. Nam si qui,*
Chr. hom. 25. inquit in eundem locum S. CHRYSOST. *vni soli domui præest, ac ministros habet & dispensatores ac curatores, sæpe præ curis neque respirat, tametsi intra domum nemo obturbet: qui ergo non vnius domus, sed ciuitatum ac populorum & gentium, ac totius orbis curam gerit, & quidem pro tantis negotiis, & tot inuadentibus solus existens, & tam solicitus, vt pater pro filiis, co-*
Tom. 1. Bibl. PP. *gita quid sustinuerit.* Vnde ATHANASIVS Patriarcha Constantinopolitanus epistola quinta ad

Episco

Episcopos: *Horribiles*, inquit, *profecto sunt minæ nobis pastoribus propositæ, nisi vigilauerimus, quibus mandatum commissumque est tradere conseruis, tum verbo, tum factis vera dogmata & vitæ perfectæ normam, tum reposcere rationem progressus spiritualis, vigilanter tuba canere ne romphæa animam alicuius corripiat, alioqui ex manibus nostris repetendam.* Et sanctus GREGORIVS ad Ioannem Episcopum primæ Iustinianæ: *Estote*, ait, *in custodia commissi gregis vigilantes atque soliciti, & disciplinæ zelo districti, ne lupus insidians, nec ouile turbare dominicum, nec nocere ouibus aliqua fraudis occasione præualeat. Sacerdotij prærogatiuam, si recta consideratione pensemus, solicitis & bene gerentibus in honorem, negligentibus autem profecto erit in onus. Sicut igitur laborantes & circa animarum salutem solicitos hoc nomen ante Deum æternam ducit ad gloriam, ita desides ac torpentes vrget ad pœnam.* G. lib. 4. ep. 59.

IV. Est, delinquentes ex zelo corripere. Nam DEVS ad Isaiam: *Clama*, inquit, *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Et Paulus Episcopo Timotheo: *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Et Tito: *Increpa illos*, nempe Cretenses, *durè, vt sani sint in fide.* Et, *hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita.* Ibidem ait Episcopum debere amplecti, *eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana & eos qui contradicunt arguere.* Hoc zelo sanctus Ioannes Baptista delinquentes corripuit Pharisæos & Sadducæos, atq; ipsum Herodem regem. Hoc zelo in Scribas & Pharisæos longa oratione inuectus est apud Matthæum 13. Isa. 58. 1. Tim. 5 20. Tit. 1. 13. Tit. 3. 10. Tit. 1. 9. Matt. 3. 7. Matt. 14. 4. Matth. 23.

Matthęum Christus Dominus,& ementes ac vendentes templo Hierosolymitano apud D. Ioánem exturbauit, dicens: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Hoc zelo S. Petrus Apostolus Simoni Mago restitit, & Ananiam ac Saphiram è medio sustulit. Hoc zelo denique & S. Paulus incestuosum anathemate mulctauit, ac Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidit. Quo zelo qui destituti sunt his verbis reprehendit in pastorali S. GREGORIVS: *Sæpe Rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes loqui liberè recta pertimescunt, & iuxta veritatis vocem nequaquam iam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deseruiunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per Prophetam dominus increpat dicens: Canes muti non valentes latrare. Hinc rursum queritur dicens: Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Israhel, vt staretis in prælio in die Domini. Ex aduerso quippe ascendere, est pro defensione gregis voce libera huius mundi potestatibus contraire: & in die Domini in prælio stare, est prauis decertantibus ex iustitiæ amore resistere.* Et S. AVGVSTINVS primo libro de ciuitate DEI: *Ad hoc speculatores, hoc est, populorum Præpositi constituti sunt in Ecclesiis, vt non parcant obiurgado peccata. Nec ideo tamen ab huiuscemodi culpa penitus alienus est, qui licèt præpositus non sit, in eis tamen vitæ huius necessitate coniungitur, multa monenda vel arguenda nouit, & negligit, deuitans eorum offensiones propter illa, quibus in hac vita non indebitis vtitur, sed plus quam debuit, delectatur.*

Ioann. 2. 15.
Act. 8. 20.
Act. 5. 1.
1. Cor. 5. 5.
1. Tim. 20.
G. 2. p. c. 4.
Isa. 56. 10.
Ezec. 13. 5.
A. c. 9.

V. Est, errantes oues reducere, quę perierũt quęrere, ægras sanare, debiles consolidare, confractas alligare:

alligare: nam DEVS ipse apud Ezechielem contrarium facientes grauiter coarguit, dicens: *Væ Pastoribus Israhël, qui pascebant semetipsos. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, nō sanastis; quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis. Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor.* Ez. 34 2. Quæ verba exponens S. GREGORIVS: *Abiectum, inquit, reducitur cum quisque in culpa lapsus ad statum iustitiæ ex pastoralis solicitudinis vigore reuocatur. Fracturam vero ligamen astringit, cum culpam disciplina deprimit, ne plaga vsque ad interitum defluat, si hanc districtionis seueritas non coarctat. Sed sæpe deterius frangitur, cū fractura in caute colligatur, ita, vt grauius scissuram sentiat, si hanc immoderatius ligamenta constringant. Vnde necesse est, vt cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se solicitudine etiam districtor ipse moderetur, quatenus sic iura disciplinæ contra delinquētes exerceat, vt pietatis viscera non amittat. Curandū quippe est, vt rectorem subditis, & matrem pietas, patrem exhibeat disciplina.* G. past. p. 2. cap. 6. Et S. HIERONYMVS li. 11. commē-tariorum eadem verba explanans: *Ad pastores, ait, Israhël sermo dirigitur, quos vel Reges vel Principes, Scribas & Pharisæos, ac Magistros Iudaici populi debemus accipere: vel certe in Euangelico populo Episcopos, presbyteros & diaconos, &c. qui quod infirmum est, non confortant. Ad quos mittitur sermo diuinus, de quo scriptum est in Psalmis: Misit verbum suum & sanauit eos, & eripuit eos de corruptionibus eorum. Et quod fractum est, ait, non alligant, nequaquam mortalia in populis considerātes vulnera: qualis est adulter, homicida, sacrilegus. Et quod abiectū est, siue quod errare viderint non reducunt, permittētes eos ab hæreticis decipi. Et quod perierit,* H. in c. 34. Ezech. Psal. 10. 6.

non requirunt non tam perditos saluare cupientes quam eos qui sunt in Ecclesiis deuorare. Et dispersus est populus vel vitiis, vel errore hæreticorum, eo quod non esset pastor bonus, qui poneret animam suam pro ouibus. EXEMPLVM officij huius proposuit Christus apud Matthæum & Lucam in parabola pastoris ouium habentis centum oues, vnamque errantem relictis 99. quærentis, eamque de se exposuit dicens: *Venit enim filius hominis saluare quod perierat.*

VI. Est sæpe pro felici gubernatione auxilium Principis Pastorum per preces implorare. Nam cum Prælatus omnis consilio & iudicio excellere debeat, *vt sciat reprobare malum & eligere bonum, & distinguere*, vt Deus ad Moysen loquebatur: *inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram.* id à Deo flagitauit primo Rex DAVID cum dixit: *Deus iudicium tuum Regi da.* deinde & Salomon, cum tamẽ ei optio data esset quiduis petendi: *Da*, inquiens, *mihi sapientiam & intelligẽtiam, vt ingrediar & egrediar coram populo tuo. Quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, iudicare?* Vnde S. BERNARDVS in verba. Ecce nos reliquimus omnia: *Vtilis lectio, vtilis eruditio est*, inquit, *Pastori, sed multo magis vnctio (Spiritus Sancti) necessaria, quippe quæ sola docet de omnibus. Vnde autem scire videbitur, quæ sit voluntas DEI bona, & beneplacens & perfecta, qui nec pulsare, nec quærere, nec petere consueuit, qui donec alienarum curam susciperet animarum, nunquam suæ gessisse curam, sed in vano visus est eam accepisse?* Apostolus quoque Paulus suorum Thessalonicensium inuocauit preces, quo suæ prædicationis Euangelicæ cursus esset felicior: *De cetero*, inquiens, *fratres orate pro nobis, vt sermo DEI currat,*

Isa. 7. 15. Deut. 17. 8.

2. Par. 1.

2. Thes. 3. 1.

currat,& clarificetur.

VII. Maiorum decreta & traditiones tueri, iuxta moni um illud Moysis: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent tibi.* Deut. 32. 7. & Ieremiæ: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* & Apostoli ad Thessalonicenses: *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Et ad Timotheum: *O Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates.* 2. Thes. 2. 15. 1. Tim. 6. 20. Vnde IOAN. CASSIANVS agens de Præfectis monachorum: *Nullus congregationi fratrum præfuturus eligitur, priusquam idem qui præficiendus est, quid obtemperaturis oporteat imperari obediendo didicerit, & quid iunioribus tradere debeat institutis seniorum fuerit assecutus.* Et paulo post: *Ideo diuersitates regularum per cæteras prouincias cernimus vsurpatas, quod plerunque seniorum institutionis monasteriis præsse audemus, & Abbates nos ante quam discipulos professi quod libitum fuerit statuimus, promptiores nostrorum inuentorum custodiam exigere, quam examinatam maiorum seruare doctrinam.* Cass. lib. 2. cap. 3. Hinc liquet laudabilem esse morem prouinciarum, & Ecclesiarum, in quibus non ante ad dignitates & Prælaturas aditus datur, quam in fidem Catholicam Romanam, aliorumque priscorum statutorum obseruationem solemni ritu iurarint.

VIII. Officium, ad altiores gradus & dignitates non alios prouehere quam bene meritos. Vnde Christus apud Matthæum: *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illi cibũ in tempore?* Et S. Paulus ad Matth 24. 45.

1. Tim. 5. 22. Timotheum: *Manus cito nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis.* Et ad Hebræos: *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* & S. Ioannes: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Quare S. BERNARDVS agens de monasteriis libr. 4. de consideratione: *In monasteria,* inquit, *admittuntur homines spe proficiendi: at officia bonos facilius recipiunt, quam faciunt. Quære ad ea viros probatos oportet deligi, non probandos.* Certe apud B. Lucam legimus Dominum pernoctasse in oratione, antequam Apostolos designaret. Et in Ecclesia more ab Apostolicis temporibus deducto non fiunt Ordinationes, nisi præuio ieiunio & oratione, nempe in 4. Temporibus.

1. Ioan. 4. 1. B. cap. 3. Luc. 6. 12. Act. 13. 3.

IX. Est, scisciari aliorũ de se opiniones, quemadmodum fecit Christus Dominus, cum interrogauit discipulos suos: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Legimus hoc exemplum multos Reges & Principes imitatos. B. PETRVS DAMIANI Cardinalis libro Epistolarum septimo ita scribit de quodam Oberto Marchione Thusciæ: *Hic sæpe dum equitaret, comitum cuneos dimittere consueuerat, & vel solus, vel vno assecla contentus longius præcedebat, & tunc agricolas vel opiliones his compellabat affatibus. Quid vobis, inquit, videtur de Marchione isto, quem dicunt? nunquid non crudelis & impius pauperes opprimit, terram dissipat & cuncta ditionis suæ bona profligat? Ad quod illi, absit aiunt, absit falsum est penitus, ô homo quod loqueris. Viuat, optamus, viuat illa potestas ad refugium pauperum, & prosperè floreat ad omnium custodiam subiectorum. Quod ille audiens, exultabat in Domino. Porro autem cum de se quid diceretur inquireret, quid aliud, quam nostri*

Matth. 16. 13. Marc. 8. 27. Luc. 9 18. Epist. 12.

redem

redemptoris imitabatur exemplum? Qui nimirum cum omnia proculdubio nosset, à discipulis tamen, velut nescius inquirebat. Quem dicunt homines esse filium hominis? cui cum illi diuersas hominum opiniones exprimerent, addidit: Vos autem quem me esse dicitis? Scilicet, vt Rex angelorum formam daret Rectoribus hominum, quatenus non quid in os eorum assentatorie dicatur, attendant, sed quod eorum testimonium apud absentes habeatur, inquirant: sicque quod in se reprehensibile ex eorum fama deprehenderint, corrigant: ad exequenda vero bona, quæ de se dicere cognouerint, auidius inualescant.

CAPVT V.

De Vitiis præcipuis Prælatorum.

PRIMVM Vitium est, ÆTAS inidonea gradui vel dignitati: *Væ tibi terra*, ait Ecclesiastes, *cuius Rex puer est, & cuius principes mane comedunt.* Et apud Isaiam DEVS iratus minatur se daturum iuuenes Principes: *Et dabo*, inquiens, *Pueros Principes eorum.* Et Ieremias sapientia canescens prohibetur à Deo dicere se puerum esse. Roboam certe iuniorum vsus consilio regnum perdidit, vt est in Regum Iudaicorum historia. Vnde S. BASILIVS scribens in Isaiam: *Postquam Dominus abstulit à Iudæa & Hierusalem admirabilem consiliarium, sapientem architectum & prudentem auditorem, tunc adiecit sermo immissurum se esse eis insuper principes adolescentulos. Plane enim nouerat eiusmodi pœnam fore grauissimam, si ea ciuitas sub principatu adolescentulorum esset. Est enim adolescentia perquam leuis, & ad flagitia quæque apprime mobilis, ceu sunt indomitæ*

Eccl. 10. 16.
Isa. 3. 4.
Ierem. 1. 7.
3. Reg. 12.
B. in cap. 3.

& effrænes concupiſcentiæ, beluinæ & immanes iræ, linguæ incontinentia, contumeliæ, factus ex animi elatione, reliquæ item affectiones iuuentuti vernaculæ & coalumnæ. Examina enim innumerabilium vitiorum ſe agglomerant iuuentuti, quorum omnium vt conſortes ſint ſubditi neceſſe eſt. Et S. CHRYSOST. in eundem Iſaiam : *Pueri voce*, inquit, *vtitur Iſaias, quia frequenter videmus adoleſcentes carere prudentia. alioquin Timotheus iuuenis multis ſenibus in Eccleſia regenda præſtabat. Item Salomon anno ætatis duodecimo confidenter cum Deo loquebatur, multoſque è longinquis nationibus ad ſuam ſapientiam audiendam allexit. Dauid etiam puſio Goliath ſtrauit, & omnem exhibuit philoſophiam. Ieremias etiam, licet deprecaretur ob ætatem, propheta iuuenis factus eſt. Daniel puer in præsbyteros ſententiam tulit damnationis. Ioſias vix decennis ad regium ſolium venit, omnium tamen ore celebratus. Ioſeph etiam iuuenis ad thronum Ægipti venit. Quales iam pueri illi tres in Babylonica fornace fuerunt?* Et S. BERNARDVS ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum : *Scholares pueri, & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promouentur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ferula transferuntur ad principandum præsbyteris, lætiores interim, quod virgas euaſerint, quam quod meruerint principatum. Væ terræ cuius Rex eſt puer, & cuius Principes mane comedunt. Nec dicimus quamcumque ætatem DEI gratiæ præmaturam, ſicut nec ſeram, cum multos videamus iuniorum ſuper ſenes intelligere, moribus antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deeſt compenſare virtutibus, &c.*

B.ep.42.

Eccl.10. 16.

II. Vitium eſt Imperitia. Eam enim in Prælatis Scripturæ reprehendunt, vt apud Iſaiam : *Ipſi*, inquit,

Iſa. 56.11.

quit, *pastores ignorauerunt intelligẽtiam.* Et Apud Ieremiam : *Sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me.* Vnde S. GREGORIVS in Pastorali : *Ab imperitis pastoribus magisterium Pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars est artium regimen animarum, &c. Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cum per Prophetam dicitur : Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. Quod rursum detestatur Dominus dicens : Et tenentes legem nescierunt me. Et nesciri se ergo ab eis veritas queritur, & nescire se principatum nescientium se protestatur : quia profecto hi, quia ea quæ sunt Domini nesciunt, à Domino nesciuntur, Paulo attestante, qui ait, si quis autem ignorat, ignorabitur. Quæ nimirum imperitia sæpe pastorum meritis congruit, sæpe subiectorum. quia quamuis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant, districto tamen Dei iudicio agitur, vt per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Euangelio per semetipsam veritas dicit. Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt.* Et S. BERNARDVS in Cantica : *Quomodo in pascua diuinorum educet eloquiorum greges Dominicos pastor idiota. Sed & si doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum, ne non tam nutriat doctrina vtili, quam sterili vita noceat. Temere itaque & in hac parte hoc onus sumitur absque scientia pariter, vitaque laudabili.* Et B. ISIDORVS de summo bono : *Sicut iniqui & peccatores ministerium sacerdotale assequi prohibentur : ita indocti & imperiti à tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis vitam bonorum corrumpunt : isti vero sua ignauia iniquos corrigere nesciunt. Quomodo docere potuerunt, quod ipsi non didicerunt? Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere. Ignorãtia quippe*

Ier. 2. 8.
G. 1. p. c. 1.
1. Cor. 14. 38.
Matth. 15. 14.
B. ser. 76.
I. lib. 3. c. 3. 35.

præsulum, vitæ non congruit subiectorum.

III. Vitium est Ambitio honorum & dignita-
Eccl. 7. 4. tum. De qua ita Ecclesiasticus: *Noli quærere à Domino Ducatum, neque à rege cathedram honoris.* Quam honoris cathedram cum quærerent & Christi di-
Matth. 20. 25. scipuli duo, eos his verbis redarguit: *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. non ita erit inter vos: Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit*
Matth. 23. 6. *vester seruus.* Idem respondit alibi Scribis & Pharisæis, cum eos acriter reprehendisset, quod amarent *primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Certe tertia tentatio diaboli, qua
Matth 4. 8. Dominum ipsum inuadere non dubitauit, fuit de ambitione regnorum omnium mundi, quam & Dominus acriore responso velut Satanicam profligauit, dicens: *Vade Satana.* Vnde S. CYPRIANVS sermone de ieiunio & tentatione: *Etiam in sinu sacerdotum ambitio dormit, ibi sub vmbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat. Si-*
Act. 8. 19. *mon Apostolorum temporibus venalem putans Spiritum Sanctum Petrum donis aggreditur, & tentat emere potestatem, per quam plura lucretur. Hæc sacrilegij forma per omnia officia, graduſque discurrit, & nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quisquam diaboli hæc esse negotia, & nundinatores eius,*
Ambr c 4. *quicunque hæc exercent commercia.* Et S. AMBROSIVS libro 4. in Lucam: *Hoc ipso perniciosior ambitio est, quod blanda quædam est conciliatricula dignitatum, & sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio*

crimino

criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, & vt dominetur aliis prius seruit, curuatur obsequio, vt honore donetur. PLVRA vide in nostro PANARIO, V. *Ambitio.*

IV. Vitium. Neglecto grege pascere seipsum. Quo de vitio fugillauit olim DEVS pastores Israheliticos: *Hæc dicit Dominus Deus*, ait Propheta Ezechiel: *Væ pastoribus Israhel, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.* Et infra: *Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid ipse pascat eas, & ipse eis erit in pastorem.* Et IEREMIAS: *Væ pastoribus, qui disperdunt & dilacerant gregem pascuæ meæ.* Et ZACHARIAS: *O pastor & idolum derelinquens gregem. Gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius.* Notauit & Apostulus IVDAS in epistola sua istos *semetipsos pascentes.* & B. PAVLVS, dum ad Philippenses queritur, *omnes quæ sua sunt quærere, non quæ IESV Christi.* Immo saluator ipse apud Ioannem tales appellat mercenarios, qui viso lupo fugiant: *Mercenarius*, inquiens, *autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Quæ verba explanans S. AVGVSTINVS: *Quis*, ait, *est ergo iste mercenarius? Sunt quidam Ecclesiæ præpositi, de quibus Paulus Apostolus dicit, sua quærentes, non quæ Iesu Christi. Quid est sua quærentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur à Præposito, & propter hæc seruitur Deo, quisquis est talis, mercenarius est: inter filios se*

Ez. 34. 2.

Ier. 23. 1.

Zach. 11. 17.

Phil. 2. 21.

Ioan. 10. 13.

A. tract. 26. in Ioan. Phil. 2. 21.

Matth. 6. 2. *non computet: de talibus enim Dominus dicit: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* Et infra: *Ecce vnde ille mercenarius viso lupo dicitur fugere. Quare? quia non est ei cura de ouibus. Quare non est ei cura de ouibus? quia mercenarius est, temporalem mercedem quærit, & in domo in æternum non manebit.* S. GREG. Theologi in 1. Apologetico dictum est: *Spiritualis omnis præfectura finis est priuata vtilitate neglecta commodis aliorum inseruire.*

V. Vitium est, Acceptio personarum, & corruptela munerum. Duo enim hæc vitia Iudicibus & Prælatis in Scripturis iunctim fere exprobrantur, vt in Deuteronomio: *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Et in prouerbiis Salomonis: *Qui cognoscit in iudicio faciem non bene facit, iste & pro buccella panis deserit veritatem.* Et apud Isaiam: *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Imo cum de Dei iustitia fit mentio, vtraque acceptio coniungitur, vt in Deuteronomio cum Moses ait: *Deus magnus & potens & terribilis, qui personam non accipit, nec munera.* Et Rex Iosaphat: *Nõ est apud Dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Verum ne acta agere videamur, LEGE in Panario, V. *Munerũ corruptela,* & *Personarũ acceptio.*

Deut. 16. 19. Prou. 28. 21. Isa. 1. 23. Deut. 10. 17. 2. Par. 19. 6.

VI. Et extremum est, Facilitas in credendo: *Qui enim cito credit,* inquit Ecclesiasticus, *leuis est corde, & minorabitur.* Videtur autem loqui de eo, qui cito credit vera esse, quæ de alio mala referuntur: talis enim minorabitur in fama & nomine, hoc est, minoris erit existimationis. Eodem tendit illud Salomonis:

Eccl. 19. 4. Prou. 14. 15.

monis : *Innocens credit omni verbo, astutus considerat gressus suos. Innocens enim,* vt liquet ex voce Hebræa Pethi, significat simplicem & imperitum. Admonet nempe sapiens filium suum, ne omnibus temere fidem habeat, vt notat S. Hieron. ad illum locum, iuxta illud S. Ioannis : *Nolite omni spiritui credere.* & illud S. Pauli : *Non circumferamur omni vento doctrinæ.* Vnde B. PAVLINVS, vel Hieron. ad Celantiam, agens de vitio detractionis, quod frequens est in aulis Principum : *Nihil tam inquietat animum,* inquit, *nihil est, quod ita mobilem mentem ac leuem faciat, quam facile totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissentiones, hinc odia iniusta nascuntur, hoc est, quod sæpe de amicissimis inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maliloqua lingua dissociat.* Et S. BERNARDVS in fine libri secundi de Consideratione, &c. *Est item vitium,* ait, *cuius si te immunem sentis, inter omnes, quos noui ex his, qui cathedras ascenderunt, sedebis me iudice solitarius, quia veraciter, singulariterque leuasti te supra te iuxta prophetam. Facilitas credulitatis hæc est, cuius callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in absentes.* SENECÆ Ethnici ad Lucilium dictum est : *Vtrumque vitium est, & omnibus credere, & nulli, sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius.*

Hieron. in Prou. c. 14. Ioan 1 4. Eph. 4. 14. Hep. 14.

Thren. 3. 28.

S. ep. 3.

VIDE de Statu Abbatis. Cardinalis. Clerici. Episcopi. Iudicis. Laici magistratus. Regum & Principum. Sacerdotis.

DE

DE PVERORVM STATV.

CAPVT I.

De Puerorum nomine, eorumque statu non contemnendo.

MVARRO Pueros appellatos existimat, quasi puros, id est, impuberes, eorumque ætatem in annũ vsque decimumquintum producit. STATVM autem eorum, quem vocamus PVRITIÆ, non esse contemnendum multis verbis, nec semel, declarauit CHRISTVS Dominus in suo Euangelio.

Matth. 18. 2. Nam apud D. Matthæum cum aliquando Apostoli eum familiariter percontarentur, quemnam putaret in regno cœlorum maximum: *aduocans paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Deinde ex dictis ostendit, quanti eos faceret. Primo enim subiecit: *Quicunque humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum.* 2. *Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* 3. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* 4. diserte ait. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* 5. probat non esse cõtemnendos, quandoquidem propter eorum salutem filius hominis venit. Quo argumento & Paulus vsus est in 1. ad Corinthios c. 8. dicẽs: *Et peribit infirmus in tua conscien*

conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Idem confirmat ſimilitudine boni paſtoris, qui relictis 99. ouibus vnam aberrantem quærit, & de inuenta plus gaudet quam de aliis. Tanti enim vel vnius pueri, id eſt, hominis, Chriſtus verus paſtor ſalutem facit, vt ſi tantum centum eſſent homines, quorum vnus tantum errauiſſet, 99. relicturus eſſet, vt vnum illum quæreret, ſicut bonus paſtor facere ſolet. 6. & poſtremo docet, non ſolum angelos eſſe cuſtodes eorum, ſed Deum quoque ipſum: *Non eſt voluntas,* inquiens, *ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis.* S. MARCVS, addit, quod Chriſtus *puerum fuerit complexus.* S. Lucas vero, quod *apprehenderit puerum, & ſtatuerit illum ſecus ſe.* RVRSVS alibi, cum parentes infantes & pueros ſuos offerrent Chriſto, *vt manus eis imponeret, & oraret* pro illis, vt habet Matthæus, eaque de cauſa diſcipuli parentes increparent, *indigne tulit*, ait Marcus, eam repulſam Chriſtus dicens: *Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium enim eſt regnum DEI. Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum DEI velut paruulus, non intrabit in illud.* Deinde addit iterum Marcus: *Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.*

Marc. 9. 36. Luc. 9. 48. Matth. 19. 13. Luc. 18. 15. Mar 10. 14.

Ob hunc ingentem DEI erga pueros, licet viles & abiectos, amorem, ita Matthæum ita ſcripſit IOAN. CHRYSOSTOMVS: *Perſpicis, quam ingentia in tutelam, tenuium (puerorum) mœnia erexerit, & quantum ſtudium, curamque habeat, ne perdantur: tum quia ſupremas deſpicientibus eos pœnas ſtatuit, tum quia ſummam pollicetur mercedem his, qui curam eorum ſuſcipiunt, idq; tam ſua, quã patris autoritate*

Ch. ho. 60.

corrobo

corroborat. Dominum igitur etiam nos imitemur, & nihil pro fratribus omittamus etiam eorum, quæ humilia, viliáque nimium videantur, sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quamuis tenuis atque abiectus quidem, cui administrandum sit, fuerit: quamuis ardua res nobis, atque laboris plena esse videatur, quamuis montes prærupti atque præcipitia transeunda, omnia hæc pro fratris salute tolerabilia, faciliorque videantur: tanto enim studio, tantaque cura Deus dignam esse ostendit animam, vt neque filio suo pepercerit. Quare obsecro summo mane, cum à domo exieritis, hanc vnicam intentionim habeatis, & hoc ante omnia studium, vt è periculis aliquem liberare possitis: nec dico ab hoc corporis periculo solum, sed multo magis à periculo animæ, quod tentatione diabolica hominibus inferri solet. Hæc ille. Quæ tota oratio, si quid probat, multo efficacissime probat prompte & libenter à nobis suscipiendam puerorum institutionem, tam in litteris, quam in moribus, licet in speciem vilis & abiecta reputari soleat, eo quod omne subsidium illis iuuandis subministratum, non solum angelicis spiritibus, sed etiam Christo Saluatori, adeoque ipsi Patri cœlesti quam gratissimum sit.

CAPVT II.

De Puerorum proprietatibus.

PROPRIETATES præcipuæ Puerorum, ex vna Christi pro pueris Apologia iam audita, facile colligi queunt, vt à S. Patribus collectæ sunt, si hanc commonefactionem eorum in explanando Christi sermone recipiamus, eum non tam de ætate,

ætate, quam moribus paruulorum locutum fuisse. Nequæ enim verisimile est Christum, cum dixit: *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, respexisse ad ætatem, (cum discipulis iam grandæuis id fuerit ἀδύνατον) sed ad pueriles mores, humilitatem, mansuetudinem, promptitudinem, & cæteros. Et Apostolus ad Corinthios ait: *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Vnde S. HIERONYMVS libro 3. commentariorum in Matthæum: *Non præcipitur*, inquit, *Apostolis, vt ætatem habeant paruulorum, sed vt innocentiam, & quod illi per annos possident, hi possideant per industriam, vt malitia, non sapientia paruuli sint.* Et infra, ad verba, Sinite paruulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum: *Significanter dixit talium, non istorum, vt ostenderet, non ætatem regnare, sed mores, & his qui similē haberent innocentiam & simplicitatem, præmium repromitti: Apostolo quoque in eandem sententiam congruente, Fratres, nolite pueri effici sensibus, &c.* Et S. AMBROSIVS li. 8. in Lucam, dum exponit verba Christi: Sinite pueros vere ad me: *Atqui ætas hæc*, inquit, *infirma est viribus, inualida ingenio, immatura consilio. Non ergo ætas præfertur ætati, alioquin obesset adolescere. Quid votis opus est, vt æui maturitas consequatur, si mihi meritum regni demptura cœlestis est? Ergo DEVS vitæ processum ad vitia dedit, non ad incrementa virtutis. Cur autem pueros aptos regno dicit esse cœlorum? fortasse, quia malitiam nesciant, fraudare non norint, referire non audeant, scrutari ignorent opes, honorum ambitionem non appetant. Non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur. Non enim virtutis est, non posse peccare, sed nolle, atque ita tenere perseueran*

Matth. 18. 2.
1. Cor. 14. 20.
Had c. 18.
Matth. 19. 14.
1 Cor. 14 20.
A. cap. 18.

seuerantiam voluntatis, vt voluntas infantiam, vsus imi-
Cl. cap. 5. *tetur naturam.* Denique & CLEMENS Alexan-
Matth. 18. drinus libro primo pædagogi: *Nobis,* inquit, *Do-*
1. *minus apertius reuelans, quid appellatione puerorum si-*
gnificetur, cum orta esset quæstio inter Apostolos, quis
nam ex eis maior esset, statuit IESVS puellum in me-
dio dicens: Qui se humiliauerit, vt hic puellus, is maior
est in regno cœlorum. Non ergo puerorum appellatione
vsus est, tanquam qui per ætatem essent inconsiderati, &
ratione minime vti possent. Iure sunt pueri, qui Deum
solum Patrem nouerunt, simplices, integri ac innocentes,
qui sunt vnicornium cornuum amatores. Indagemus
ergo proprietates morum puerilium.

I. Proprietas sit HVMILITAS, quam Christus
Matth. 18. ipse apud Matthæum expressit; nam cum Apostolos cohortatus esset, vt efficerentur, sicut paruuli, mox intulit: *Quicunque ergo humiliauerit se, sicut*
4. *paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum.* Merito autem hanc in paruulis commendauit, quia, vt ait
B. ser. 36. S. BERNARDVS in Cantica: *nisi super humilitatis stabili fundamento spirituale ædificium stare minime potest.* S. AMBROSIVS loco iam citato acute obseruauit per paruulum ISTVM forte intelligi Christum, qui humilitatem imprimis à se discì vo-
Matth. 11. luit, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humi-*
29. *lis corde. Quis ergo,* ait, *puer?an ne forte ille, de quo Isaias*
Isa. 9. 6. *dicit: Puer datus est nobis, filius natus est nobis? ipse*
Matth. 16. *enim tibi puer dixit: Tolle crucem tuam, & sequere me.*
24. 1. Pet. 2. 23. *Et vt agnoscas puerum, cum malediceretur non remaledixit, cum percuteretur, non repercussit. Hæc enim*
Psal. 112. *est perfecta virtus. Vnde & scriptum est: Laudate pueri*
2. *Dominum, laudate nomen Domini.* Idem habet in ser-
A. Ser. 53. mone de innouatione fidelium: *Videamus,* ait, *quis*

ille

ille tantus sit, qui (apud Matthæum) *discipulis propo-* Matt. 18.
nitur imitandus? Non hunc arbitror esse de plebe, non de publico, non de multitudine cæterorum, præcipue qui per Apostolos vniuerso mundo tribuit sanctitatis exemplum. Non, inquam, hunc de publico esse arbitror, sed de cælo. Ipse enim est de cælo puer, de quo dicit Isaias Propheta: Isa. 9. 6. *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.*

II. Proprietas est mansuetudo, quæ indiuiduo nexu iuncta est humilitati tanquam soror. Et ideo Christus Dominus vtriusque Doctor esse voluit, dicens, *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* & Matth. 11. 29. cum beatitudines discipulis traderet, paupertati spiritus, hoc est, humilitati proxime eam subiecit; *Beati*, inquiens, *mites, quoniam possidebunt terram. Nihil enim*, scribit CHRYSOST. in epistolam ad Romanos, *adeo vicinum Deo conformemque facit, quemadmodum ista virtus. Ideo & Paulus cum dicit: Imitatores DEI estote, ad hoc dicit, vt isti studeatur virtuti, quandoquidem & nos benignitate indigemus & misericordia, multa siquidem indies delinquimus.* Hanc proprietatem in pueris notauit CLEMENS Alexand. in Pædagogo, exponens verba Apostoli: *Vt iam non simus paruuli fluctuantes. Hic*, ait, *par est attendere appellationem huius vocabuli νήπιος, quod infantem significat. Quo fit, vt is dicatur νήπιος, qui moribus mitis ac mansuetus recenter enasit. Hoc autem manifestissime significauit B. Paulus dicens, Cum possemus oneri esse, sicut Christi Apostoli, fuimus mites in medio vestri, sicut nutrix fouet filios suos. Mitis ergo ac mansuetus est infans, nempe νήπιος, & ea ratione magis tener ac mollis, & tener est, qui est simplex, doli expers, remotus à simulatione, rectoque animo. Hoc autē est fundamētum simplicitatis, ac veritatis. Super quem, enim inquit,* Matt. 5. 4. Chr. hom. 19. Eph. 5. 1. C. li. 1. c. 5. Eph. 4. 14. 1. Thess. 2. 7. Isa. 66. 2.

respiciam, nisi super mansuetum & quietum?

III. Proprietas est Innocentia vel Simplicitas:

A. in Psal. 100. *Innocens est*, teste S. AVGVSTINO, *qui cum alij non nocet, nec sibi nocet:* Simplex est, qui alienus est ab omni fraude, simulatione, fuco, & studio iniuriam vindicandi, vt docet S. GREGORIVS in octauo moralium. Hanc proprietatem notauit in verbis Christi: *Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste,*

H. in c. 18. Matth. S. HIERON. *Sicut iste*, inquiens, *paruulus, cuius vobis exemplum tribuo, non perseuerat in iracundia, non meminit læsus: non videns pulchram mulierem delectatur: non aliud cogitat & aliud loquitur, sic & vos nisi talem habueritis innocentiam & puritatem, non poteri-*

C. hõ. 63. *tis regna cœlorum intrare.* Et S. CRYSOST. in eadem verba: *Nos quoque si cœlorum hæredes constitui volumus, paruulorum virtutem consequi studeamus. Ab omnibus enim passionibus anima paruulorum munda est; his qui dolorem intulerunt, nullas vltionis vices reseruant, & quasi nihil actum esset, veluti ad amicos accedunt. Quanto magis à matre vapulant, tanto magis eam quæritant, atque cæteris omnibus eam anteponunt.* Et S.

A. ser. 53. AMBROSIVS: *Habet & Christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non nouit, referire non audet: ita & Christianitatis infantia ladentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cædentibus non repugnat. Denique sicut iussit Dominus, etiam orat pro inimicis, auferenti tunicam relinquit & pallium, nisi quod in hoc melior est Christi infantia, quam naturæ. Illa enim peccare nescit, ista contemnit: illa per infirmitatem innoxia est, ista est innocens per virtutem. Atque ideo laudi magis scribendum est, non tam malefacere non posse, quam nolle.*

IV. Proprietas est, Promptitudo in obsequendo, &

do', & facilitas morum, qua solent in sui amorem parentes & alios pellicere. Quam notauit in pueris CLEMENS Alexandrinus in pædagogo suo: *Alicubi Scriptura*, inquit, *nos vocat pueros, alicubi vero pullos: nonnunquam autem infantes: alicubi autem filiolos, & sæpe filios, & populum recentem & populum nouum. Per allegoriam autem nos pullos vocat, quia vitij iugum non subimus, & ad ipsum solum Patrem exilimus, non equos subiugales, qui ad propinquorum vxores hinniunt, sed liberos & recenter genitos, qui propter fidem exultant, qui celeriter currunt ad veritatem, qui sunt veloces ad salutem.* Et infra. *Quemadmodum patres & matres lubentius vident, equorum quidem pullos, boum vero paruos vitulos, & leonum leunculum, & cerui hinnulum, & hominis puellum: ita etiam vniuersorum Pater eos, qui ad ipsum confugiunt, recipit, & eos solos diligit, eisque fert auxilium, & pro eis pugnat, & ideo puellum nominat.* Et S. AMBROSIVS lib. 1. de Abraham Patriarcha, inquirens, cur DEVS Abraham pene centenarium puerum appellarit, cum angelos hospitio susciperet, *Senilis*, inquit, *vtique ætatis Abraham superius Scriptura significauit, quia nonagintà & nouem processisset annos, quomodo nunc puerum dicit? Sed cum immemorem senectutis, exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimum, deducendi studiosissimum expresserit, nonne conuenire nomen pueri videtur? Officiis merito puer dicitur, qui senile nescicbat fastidium, pueritiæ innocentiam & obsequium deferebat.* C.li.1.c.5. A.c.6. Gen.18. 18.

V: Proprietas est, Pudor, vel verecundia. Quam obseruauit S. HIERON. in verba Hieremiæ: *Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Detestatur*, inquit, *officium, quod pro ætate non potest sustinere, eadem vere-* Ierem.1.6.

cũdia, qua & Moyses tenuis & gracilis vocis esse se dicit. Sed ille quasi magnæ robustæque ætatis corripitur: huic pueritiæ datur venia, quæ verecundia & pudore decoratur. S. AMBROSIVS in primo de Officiis: *Verecundia cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus & locis apta: tamen adolescentes, iuuenilesque annos maxime decet.* Sed plura vide in titulo ADOLESCENTIÆ, & in Viridario V. VERECVNDIA.

A.c.19.

VI. est Memoriæ tenacitas; diutissime enim recordamur eorum quę pueri didicimus, vel perpessi sumus, iuxta illud Poetæ;

Horat.li.1. epist.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Et illud S. HIERON. ad Lætam de institutione filię. *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia, quis in pristinum candorem reuocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem quo primum imbuta est. Alexandrum potẽtissimũ Regem orbisque domitorem, & in moribus, & in incessu Leonidis pædagogi sui nõ potuisse carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuerat infectus.* M. Fabius Quinctilianus quoque libro de facultate oratoria primo in eandem sententiam ita scribit: *Natura tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus animis percipimus, vt sapor, quo noua imbuas durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Nam bona facile mutantur in peius. non quando in bonum verteris vitia?*

H.ep.7.

Q.c.1.

SVNT quidem & aliæ puerorum proprietates, sed parum laudatæ. PRIMA est, quod nimium dediti sint lusui. Vnde HORATIVS de arte Poetica:

Ætatis cuiusque notandi sunt tibi mores.

Reddere

Reddere, qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit, & ponit temere, & mutatur in horas.

Et S. AVGVSTINVS lib. 1. Confessionum fatetur se nimium deditum lusui pilæ, *Non deerat*, inquiens, *Domine memoria, vel ingenium, quæ nos habere voluisti pro illa ætate satis, sed delectabat ludere, & vindicabatur in nos ab eis, qui talia vtique agebant. Sed maiorum nugæ negotia vocantur, puerorum autem talia cum sint, puniuntur à maioribus, & nemo miseratur pueros, vel illos, vel vtrosque: nisi vero approbet quisquam bonus rerum arbiter, vapulasse me, quia ludebam pila puer, & eo ludo impediebar, quo minus celeriter discerem litteras, quibus maior deformius luderem. Et tamen peccabam Domine Deus ordinator & creator omnium rerum naturalium, peccatorum autem tantum non ordinator. Domine Deus meus peccabam faciendo contra præcepta parentium & magistrorum illorum:* S. GREGOR. lib. 15. Moralium ad nimium puerorum lusum refert illa verba Iob, quæ sunt de improborum liberis: *Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* A.c 9 &10. G.c.18. Iob.21.11.

ALTERA est, quod nihil celent, & ideo non conueniat eis arcana committere, vnde SENECA in Thyeste.

Tacita tam rudibus fides
Non est in annis, detegent forsan dolos.

TERTIA, quod facile ob leues causas irascantur, quod leues, læti & garruli, vt notauit Cornelius GALLVS in carmine suo:

Exultat leuitate puer, grauitate senectus:

Inter vtrumque manens, stat iuuenile decus.
Hunc tacitum, tristemq; decet: fit clarior ille
Lætitia & linguæ garrulitate suæ.

Et TERENTIVS in Hecyra:

Pueri inter se, quam pro leuibus noxis iras gerunt.
Quapropter? quia enim qui eos gubernat animum
infirmum gerunt.

QVARTA & postrema, quod oderint Scholas, & Scholasticam disciplinam. Vnde Apostolus: *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris.* Et S. AVGVSTINVS loco citato: *In ipsa pueritia non amabam litteras, & me in eas vrgeri oderam, & vrgebar tamen, & mihi bene fiebat, nec faciebam ego bene. Non enim discerem, nisi cogerer. Nemo autem inuitus bene facit, etiamsi bonum est, quod facit. Tu vero cui numerati sunt capelli capitis nostri, errore meo, qui discere nolebam, vtebaris ad pœnam meam, qua plecti non eram indignus tantillus puer & tantus peccator.*

Heb. 12. 11.
A.c. 12.

CAPVT III.

De mediis informandæ pueritiæ idoneis.

PRIMVM Medium est, vt parentes sint probi, & qui munere suo in educandis liberis gnauiter fungantur. De quo munere fuse eigmus in VIRIDARIO nostro, titulo de Pietate filiorum in parentes, capite extremo.

II. Medium est, vt pædagogi & Ludimagistri eorũ sint virtute & litteris exculti. Vnde S. CHRYSOST. in Matthæum grauiter inuehitur in eos parentes, qui parum soliciti sunt de adsciscendis pædagogis

Ch. hom. 61.

dagogis idoneis: *Maiorem enim*, inquit, *asinorum ac equorum, quam filiorum curam habemus. Nam si burdonibus atque asinis agaso nobis præficiendus est, non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem aut rei eius imperitum præficiamus: sin vero ad colendum filiorum ingenium pædagogus sit nobis inueniendus, quo casu oblatus fuerit eum recipimus, nec consideramus vllam artem hoc artificio sublimiorem inueniri. Quid enim maius, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni statuario, cæterisque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuuenum animos fingere non ignoret.* Idem queritur ex Ethnicis Philosophis PLVTARCHVS libro de educandis liberis: *Postquam*, ait, *peruentum eo ætatis erit, vt iam pædagogis committi pueri debeant, hîc ad eorum institutionem omnis habebitur diligentia, ne mancipiis, aut barbaris, aut perfidis & inconstantibus filios tradere se nesciant, cum irridenda vehementer hoc tempore multorum adsit consuetudo. Præstantes siquidem seruos nacti, hos quidem agri cultores designant, illos naucleros, alios mercatores, quosdam & domesticæ rei dispensatores. At si quem temulentum scurram, & ad omnem rem gerendam inutilem seruum repererint, huius curæ natos committunt. Maximum omnium, longæque primarium dicturus accedo. Inquirendi filiis præceptores, quorum vita nullis obnoxia criminibus, irreprehensi mores, & optimum experimentum. Honestatis enim fontem simul ac radicem esse liquet, legitimam consequi disciplinam.* QVINCTILIANVS libro supra citato: *De Pædagogis hoc amplius*, ait, *vt aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant. Nihil enim peius est ijs, qui paulum aliquid vltra primas litteras* Q. l. 1. c. 2.

progressi falsam sibi scientiæ persuasionem induerũt, nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut iure quodam potestatis, quo fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi, atque interim sauientes stultitiam suam perdocent.

III. Medium est, vt cum ad septimum annum ætatis peruenerint, potius publicis præceptoribus Scholarum tradantur, quam intra priuatos parietes sub pædagogo contineantur, vt cum eminentissimis auctoribus sentire se dicit idem QVINCTILIANVS: *Ante omnia futurus orator,* inquit, *cui in media Repub. viuendum est, assuescat iam à tenero non reformidare homines, neque illa solitaria, & velut vmbratili vita palleſcere: excitanda mens, & attollenda semper est, quæ in huiusmodi secretis aut languescit, & quendam velut in opaco situm ducit aut contra tumescit inani persuasione. Necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Deinde cum proferenda sunt stadia, caligat in sole, & omnia noua offendit, vt qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. Mitto amicitias, quæ vsque ad senectutem firmissime durant, religiosa quadam necessitate imbutæ. Neque enim est sanctius sacris iisdem, quam studiis initiari. Sensum ipsum, qui communis dicitur, vbi discet? cum se à congressu, qui non honoribus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est segregarit? Adde quod domi ea sola discere potest, quæ ipsi præcipiuntur, in schola etiam quæ aliis: audiet multa quotidie probari, multa corrigi, proderit alicuius obiurgata desidia, proderit laudata industria, excitabitur laude æmulatio, turpe ducet cedere, pulchrum superasse maiores. Accendunt omnia hæc animos, & licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est.* Hæc ille. Quod autem de futuro oratore

lb.c.3.

tore ille dixit, nos de futuro declamatore in classe Rhetorica, concionatore in templis, causarum actore in forensibus iudiciis, personam aliquam sustinente in comœdiis & tragœdiis, dicere possumus.

IV. Medium est, vt ante omnia præceptor puerorum, quos informandos suscepit, exploret ingenia, & naturas. Alij enim metu potius ducuntur quam gloria, & contra alij loquaces & garruli, alij taciturni & quieti, alij leues & inconstantes, alij solidæ & integræ mentis: alij facilè capiunt omnia, alij nihil vel parum: alij laboribus & vigiliis sunt dediti, alij desidia torpescunt: alij mites & mansueti ingenij, alij ad iram & cõtentiones proni. Tanta est humanorum animorum atq; voluntatum varietas. Cuiusque igitur ingenio explorato, præceptor laborare debet, quemadmodum singulos ad bonam frugem siue in moribus, siue in litteris alliciat. *Quemadmodum enim*, inquit sanctus Gregor. Theologus Apologetico primo, *non eadem medicamenta, nec eadem alimenta corporibus omnibus offeruntur, sed alia aliis, habita videlicet, vel sanitatis eorum, vel aduersæ valetudinis ratione: eodem quoque modo animæ diuersa ratione disciplinaq; curantur. Alij calcaribus opus habẽt, alij fræno. Alijs laus prodest, alijs reprehẽsio. alios cohortatio ad officiũ ducit, alios obiurgatio. Atq; hæc rursus alios, si palã arguãtur, alios, si remotis arbitris increpentur. Sunt enim qui nihil curent priuatas castigationes, publica autem reprehensione emendentur, &c. Quinetiã cũ nonnullis ita agendũ est, vt irati hominis, & de salute eorum desperantis speciem præ te feras, cùm tamen reuera nec iraſcaris, nec pro desperatis eos habeas, quorum videlicet natura id requirit.* G.Naz.

V. Medium est, vt Præceptor scholasticam disciplinam inter pueros sedulo tueatur, de qua etiam diuina monita exstant in sacris litteris. *Tene*, inquit Sapiens, *disciplinam, ne dimittas eam, custodi eam, quia ipsa est vita tua.* Et, *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Et, *Noli subtrahere à puero disciplinam: Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Eodem pertinet illud Apostoli ad Ephesios: *Educate illos* (liberos) *in disciplina & Correptione Domini.* Et ad Hebræos, *In disciplina perseuerate. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinã estis, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri, & non filij estis.* Quid vero aliud sunt discipulorum Magistri, quam Patres? nam mox subiicit, *Deinde Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos.* Vnde S. CYPRIANVS in libro de habitu Virginum; *Disciplina*, ait, *custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis facit in Christo manere semper, ac iugiter Deo viuere, & ad promissa cœlestia & diuina præmia peruenire. Hanc & sectari salubre est, ac negligere lethale.* Et S. BASILIVS in principium Prouerbiorum Salomonis: *Quemadmodum*, inquit, *parui pueri doctrinam despicientes ob ferulas flagellaq; quæ magistri & pædagogi adhibere solent, attentius dictata suscipiunt, & ipse sermo ante plagas non auditur: post verbera doloresq; veluti statim apertis auribus, & auditu excipitur oratio, & memoria custoditur: Sic & accidit iis qui diuina audiunt præcepta.* Consentiunt & Ethnici Scriptores, vt CICERO quarto ad Herennium, vbi contendit etiam adolescentes etsi castigan

Prou. 4. 3. Prou. 22. 15. Prou. 23. 13. Eph. 6. 4. Heb. 12. 7.

castigandos, si delinquant. M. FABIVS in primo de facultate oratoria, etsi fateatur, *receptum cædi discipulos & Chrysippum non improbare*, aliquot tamen rationibus conatur probare verbis non verberibus pueros castigandos. Intellige tu de iis qui verbis solis ad frugem reuocari possunt. Si enim non possint, audiendus potius Ecclesiasticus, quam FABIVS, dum sic loquitur: *Curua cernicem in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Q. c. 4. Eccl. 30. 12.

VI. Medium est, vt amore potius quam metu, laudibus & munusculis potius, quam minis, & verberibus generatim omnes suos pueros ad virtutis litterarúmque studium exstimulet. Neque enim quisquam est tam miseræ abiectæque sortis, neque, vt ille ait, tam *cornea fibra* cuiquam est, vt non laudis & gloriæ amore capiatur. *Suis laudibus*, inquit B. CHRYSOSTOMVS in libris de Sacerdotio, *audiendis nihil inde delectari, nescio an cuiquam vnquam mortalium obtigerit.* Et S. AVGVSTINVS ad Aurelium, *Si cuiquam facile est laude carere, dum denegatur, difficile est ea non delectari, cum offertur.* Notum est & illud ENNII, *Omnes mortales sese laudarier optant.* Et M. TVLLII: *Honos alit artes, omnesq; incenduntur ad studia gloria.* Hoc medium proposuit QVINCTILIANVS libro sæpe citato: *Sunt quidam pueri*, inquit, *nisi instituteris remissi: quidam imperia indignantur: quosdam continet metus, quosdam debilitat, alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat: hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit, in hoc desidiam nunquam verebor.* Et multo ante, *Aliquando ipso nolente* Perf. Sat. 1. Ch. lib. 5. A. ep. 64. Q. c. 4. Id. c. 2.

nolente doceatur alius, cui inuideat, contendat interim, & sæpius vincere se putet. præmiis etiam quæ capit illa ætas euocetur. Et PLVTARCHVS de liberis educandis: *Illud assero ad honesta pueros exercitia, non plagis aut verberibus, sed monitis ac rationibus duci oportere. Videtur enim ea magis seruos decere, quam liberos. Obtorpescunt enim, & ad labores sustinẽdos, nunc ob plagarum dolores, nunc ob contumelias horrent. Liberalibus itaque pueris maiorem laudes ac vituperia, quam verbera, commoditatem afferunt: illæ enim ad honesta concitãt, hæc à turpitudine cohibent. Mixtim verò & alternis vtendum erit obiurgationibus & laudibus. Cauendum autem erit, ne immodicis elati laudationibus intumescãt, quoniam nimiis demolliti laudibus franguntur.*

VII. Medium, vt ante omnia puerorũ exerceat memoriam. Ita enim scribit ibidem PLVTARCHVS: *Super omnia puerorum memoria exercenda, consuescendaq́; : ea enim disciplinæ quasi cella penaria est. Quamobrem memoriam esse matrem Musarum traditur in fabulis. Quasi verò insinuent atque demonstrent, nullam à natura rem tantùm gignere ac nutrire, quantum memoriam posse. Illa igitur in vtramque partem exercenda siue ij natura memores, siue contra obliuiosi fuerint. Præclare enim apud Hesiodum:*

Paruula si tentes superadiecisse pusillis,
Idq́ frequens peragas, magnus cumulatur acerus.

Cæterum quantum natura studioq́, scribit QVINCTILIANVS lib. II. *valeat memoria, vel Themistocles testis, quem vnum intra annum optime locutum esse Persice constat: vel Mithridates, cui duas & viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur notas fuisse, vel Crassius ille diues, qui cùm Asiæ præesset, quinque Græci sermonis differentias sic tenuit, vt qua quisque apud eũ lingua

lingua postulasset, eadem ius sibi redditum ferret: vel Cyrus, quem omnium militum tenuisse creditum est nomina. Quin semel auditos quamlibet multos versus protinus dicitur reddidisse Theodectes. Dicebantur etiam nunc esse, qui facerent. sed mihi nunquam, vt ipse interessem, contigit, habenda tamen fides est, vel in hoc, vt qui crediderit & speret. Hæc M. Fabius.

VIII. Medium, vt à tribus præcipue vitiis absterreat pueros. ac primo quidem à turpibus & obscœnis colloquiis. 2. à consuetudine mẽtiendi, tertio à peruersorum puerorum societate. Hoc medium proponit idem PLVTARCHVS sapientissimus Philosophus libro citato: *FILII*, inquit, *à verborum turpitudine retrahendi. Vt enim, ait Democritus, actionis vmbra existit oratio.* Et infrà: *Præter hæc omnia, id quod sanctissimum est, pueri vera proferre cõsuefiant. Mentiri enim seruile est vitium, & à cunctis mortalibus adio insectandum, nec quod apud mediocres etiam seruos veniam promereatur.* Et rursus: *Generatim autem liberos nostros flagitiosorum hominum consortio segregare decebit, eorum enim malignitatem reportant. Hæc & Pythagoras obscuris quibusdam præcepit sermonibus, qualis est ille: Quæ nigrantes habent causas, gustari non oportere, hoc est, cum hominibus consuetudinem non esse habendam, quos morum deprauatio ipsa denigrat.*

IX. Medium est, vt non ita vrgeat pueros ad reddẽdas lectiones vel scriptiones, quin remissionem aliquam subinde indulgeat, quo alacrius postea ad studia redeant. Ita præcepit QVINCTILIANVS: *Danda est*, inquiens, *omnibus aliqua remissio, non solùm, quia nulla res est, quæ perferre possit cõtinuum laborem, atque ea quoque quæ sensu & anima carent,* ib. 1. c. 4.

carent, vt seruare vim suam possint, velut quiete alterna retenduntur, sed quod studium discendi voluntate, quæ cogi non potest, constat. Itaq; & virium plus afferunt ad discendum renouati ac recentes, & acriorem animum, qui fere necessitatibus repugnat. Nec me offenderit lusus in pueris, est & hoc signum alacritatis, neque illum tristem semperq; demissum sperare possim erectæ circa studia mentis fore, cum in hoc quoq; maxime naturali ætatibus illis impetu iaceat. Modus tamen sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciant negatæ, aut otij consuetudinem

Plu. de lib. educ. *nimiæ.* Et PLVTARCHVS, *A continuis laboribus danda quædam pueris respiratio. Reminisci enim oportet, nostram omnem vitam in remissionem ac studium esse diuisam: quocirca non vigiliam modo, verumetiam somnum esse repertum: non bellum solum, sed & pacem: non hyemem, sed & tranquillitatem: non operosos, sed festos etiam dies: & vt generatim loquar, laboris condimentum est otium. Idq; non in animantibus modo, sed etiam in his, qua anima carent fieri conspicies: Arcus enim lyrasq; remittimus, vt tendere possimus.*

X. & postremũ medium est, vt pueris crebro inculcet, maiori eos debere flagrare studio veræ virtutis, & pietatis Christianæ, quam litterarum. Litteras enim in scholis non tradi, nisi vt ad maiorem vberioremq; virtutis, quæ sola ad æternam beati-

1. Cor. 8. 2. tudinem ducit, notitiam perueniant. *Scientia enim,* teste Apostolo, nempe comitatu virtutis destituta, *inflat, charitas autem ædificat.* Id non modo S. PATRES, verum etiam Ethnicos Scriptores veræ fidei

Cic. c. 6. expertes docuisse, vt M. TVLLIVM in paradoxis, dum ait, *Quod in Philosophia absolutum est, id est, Vir-*

P. in amphit. *tus, quasi perfectio naturæ, omniumq; rerum, quas in animis ponunt vna res optima.* Et PLAVTVS;

Virtus

Virtus præmium est optimum.
Virtus, omnibus rebus anteit profecto.
Libertas, salus, vita, res, parentes,
Patria & prognati tutantur, seruantur.
Virtus omnia in se habet, omnia assunt bona,
Quem penes est virtus.

SENECA ad Lucilium: *Virtus extollit hominem, & supra chara mortalibus collocat: nec ea quæ bona, nec ea quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expauescit.* Et libro 1. de Ira, *Sola sublimis & excelsa virtus est.* S. ep. 87.

HAS autem virtutes, ætati eorum consentaneas, & in omne vitæ tempus proficuas eis commendet. PRIMO timorem Domini: *Initium enim sapientiæ,* inquit Salomon, *timor Domini.* & S. TOBIAS filio suo ait, *Multa bona fili mi habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* 2. fidem Catholicam, spem & charitatem erga Deum & proximum, in quibus Religio & pietas omnis Christiana, teste S. AVGVSTINO, vertitur: & idcirco laboret, vt doctrinæ Christianæ summam accurate teneant, & memoriæ insculpant. 3. vt mane dum surgunt, signo crucis se communiant, Symbolum Apostolicum, vt monet alicubi Sanctæ AMBROSIVS, Dominicam orationem & salutationem angelicam, aliásque precationes recitent, idque ante aram aliquam sacris imaginibus in cubiculo exornatam. 4. vt sacrum Missæ quotidie reuerenter audiant, & Rosarium Beatæ Virginis in eo deuote perorent. 5. ituri cubitum, conscientiam de totius diei actis excutiant, ac Deo, Beatissimæ Virgini & proprio angelo, aliisque Sanctis se commendent. 6. sæpe per Confessionem sacram apud sacerdotem peccatorum sordibus animam cluant, Prou. 1. 7. Tob. 4. 23. A. in Enchi. c. 3. A. l. 3. de Virg.

eluant,& quo arctius Christo coniungantur, pane cœlesti se reficiant. 7. vt ad hæc omnia studiosius præstanda,se sodalitati alicui piæ,vt est B.Virginis Annunciatæ in collegiis societatis IESV,vel aliis similibus se adiungant. Ita enim fiet, vt à multis malis,in quæ alioquin forte laberentur, se abstineant,& multa bona opera,tum propter Sodalitatis leges,tum propter Sodalium exempla, præstet,
A.ep.45. quæ alioquin sponte non præstarent. *Felix necessitas*, ait S. AVGVSTINVS ad Armentarium, qui voto se astrinxerat ad castitatem, *quæ in meliora compellit.*

VIDE de statu ætatum. Adolescentiæ. Infantiæ. Senectutis.

DE REGVM, VEL PRINCIPVM SECVLARIVM STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Regum intelligatur.

A.c.12.& in Psal.44. REGVM nomen non à regnando, sed à regendo vel gubernando dictum est, S. AVGVSTINO teste in libro 5. de Ciuitate DEI. ROMANI, inquit,*regalem dominationem non ferentes,annua imperia,binosq; Imperatores sibi fecerunt, qui consules appellati sunt à consulendo, non reges, aut domini à regnando atque dominando,cum & Reges vtique à regendo dicti melius videantur,vt Regnum à Regibus.* REGIS verò appellatione hoc loco comprehendimus omnes Principes seculares, vt Duces, Marchiones,Comites aliósq; Dominos politicos, quos

quotquot imperium habent in subditos. *Regis enim peculiare munus est*, auctore S. BASILIO in commentariis Isaiæ, *imperio vrgere subiectos*. Imo & Ecclesiasticos quosdam Principes, qui vtramque potestatem Ecclesiasticam & politicam, spiritualem & temporalem sibi vendicant. Nam quod vnus homo possit Princeps Ecclesiasticus & Politicus esse, demonstrat accurate ROB. BELLARMINVS libro 5. de Pontifice Romano. Hoc vero discrimen intercedit inter Principem Ecclesiasticū & Politicum, quòd Ecclesiasticus in suis actionibus propositam habeat pro fine, Vitam æternam, ac pacem tam externam, quam internam suorum subditorum. Politico vero satis sit habere pro fine temporalem & externam pacem Reipub. atque ideo finem suum adeptus est, quando subditi quiete viuunt, siue libentes, siue inuiti. Ecclesiasticus autem curare debet, vt subditi amore potius ducantur, quam timore: licet quando non potest ab eis impetrare, vt libenter & ex amore bene viuant, possit, & debeat vim coactiuam adhibere, vt saltem formidine pœnæ non perturbent externam Ecclesiæ pacem. Vnde S. GREGORIVS lib. 20. Moralium ait; *Circa subditos inesse debet Rectoribus, & iustè consolans misericordia, & pie sæuiens disciplina.* Quod si Ecclesiasticis Principibus, qua Ecclesiastici sunt, licet vti disciplina pie sæuiente, vel *imperio*, vt S. Basilius locutus est, *vrgere subiectos*: quanto magis iisdem licet, quâ simul politici sunt; hac siquidem ratione eos ad STATVM REGVM reuocamus. B. in c. 1. B. c. 9. G. c. 6.

CAPVT II.

De Regum dignitate & excellentia.

REGVM dignitas & excellentia primum inde cognosci potest, quod in diuinis litteris appellentur Dij. Nã in Exodo Moyses ait: *Si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos.* Et infrà: *Diis nõ detrahes, & principi populi tui nõ maledices*: Hæc enim verba S. AVGVSTINVS lib. 2. quæstionũ in Exodũ, & alij, interpretantur de *Principibus, qui iudicant populum, sicut dictum est de Moyse, quod datus fuerat Deus Pharaoni.* Quid autem sunt Reges, nisi summi populi iudices? Vnde & Rex Dauid in Psalmis: *Deus, inquit, stetit in Synagoga Deorum, in medio autẽ Deos diiudicat*: hoc est, Principes populi, & iudices seculi, vt exponit S. HIERONYMVS. 2. quod in iisdem dicantur vices Dei gerere, & ministri DEI. Nam Apostolus causam reddens, *cur omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esse debeat: non enim, inquit, sine causa gladium portat: Dei enim minister est.* Et, *Ideo enim tributa præstatis: ministri enim DEI sunt, in hoc ipsum seruientes.* In quæ verba ita scribit S. AMBROSIVS: *Ideo dicit, tributa præstari, vel quæ dicuntur fiscalia, vt subiectionem præstent, per quam sciant non se esse liberos, sed sub potestate degere, quæ ex Deo est: Principi enim suo, qui vicem DEI agit, sicut Deo subiiciuntur, sicut dicit Daniel Propheta. Dei est, inquit, regnum, & cui vult, dabit illud.* 3. quod eædem sacræ litteræ iubeant eis omne obsequium & honorem deferri, idque ex diuina ordinatione. nam Paulus loco citato dixit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui enim resistit potestati, Dei ordationi resistit.* Et infra: *Reddite omnibus debitum, cui vectigal, vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.* Vnde liquet de seculari Magistratu, vt monuit S. Basilius, præcipue esse sermonem. Et S. PETRVS: *Subiecti*

Exod. 22. 8.
Aug. q. 86.
Exod. 7. 1.
Psal. 81. 1.
Rom. 13. 1.
Rom. 13. 1.
Bas. in cõstit. c. 29.
1. Pet. 2. 13.

Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, quia sic est voluntas Dei. Deum timete. Regem honorificate. 4. quod eædem doceant Deum peculiarem gerere curam Regum & regnorum. nam Regius vates ait: *Qui das salutem Regibus, qui redemisti Dauid seruum tuum.* Et Salomon Rex: *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini:* Vnde S. BASILIVS: *Si ergo,* inquit, *cor Regis in manu Dei, non per armatam militarem potentiam, sed Deo suppeditante præsidium, & velut manum protendente seruatur. In manu autem Dei non quilibet, sed qui regis appellatione dignus fuerit.* Et S. HIERON. in verba DANIELIS Prophetæ: *Et ipse* (Deus) *mutat tempora & ætates, & transfert regna atque constituit. Non ergo,* ait, *miremur, si quando cernimus & Regibus reges, & regnis regna succedere, quæ Dei gubernantur, & mutantur, & finiuntur arbitrio:* In eãdem sententiam ita scribit in quinto de ciuitate Dei S. AVGVSTINVS: *Non tribuamus dandi regni,* inquit, *atque imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum, non nisi solis piis, Regnum vero terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet.*

Pſal. 143. 10.

B. in Pſal. 32.

Dan. 2. 21.

A. c. 21.

CAPVT III.

De Regum Virtutibus.

REGES, vel Principes maximis ornatos esse debere virtutibus, docet tum illud, quod vices eius gerant, qui ab omni vitio immunis est, DEI Opt. Max. tum quia nulla re efficacius subditos ad

officium impellunt, quam exemplo: *Vt plurimum enim*, ait S. BASILIVS in Isaiã: *subiectus populus se solet conformare eorum moribus, qui potentia præualent.* & CLAVDIANVS de quarto Honorij Augusti Consulatu scribens canit:

B. in c. 1.

componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Cuius moris causam reddit M. TVLLIVS in epistola quadam ad Seuerum Sulpitium, quia vulgus, *quod exemplo fit, id etiam iure fieri arbitratur.* Vel vt QVINCTILIANVS, *quoniam hæc conditio Principum est, vt quicquid faciant præcipere videantur.*

C. in 4. ep. 3.

Q. declam. 4.

PRIMA autem Virtus eorum esse debet PIETAS vel Religio in Deum. Nam DEVS ipse in Deuteronomio de Rege constituto hanc legem tulit: *Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine accipiẽs exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum & custodire ceremonias eius.*

Deut. 17. 18.

Post obitum vero Moysi sic DEVS ipsum IOSVE allocutus est: *Confortare & esto robustus valde, vt custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus. Ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, vt intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo.* Rex quoque Dauid sui similes Reges ita commonuit: *Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore:* Et alibi: *Dominus de cœlo in*

Ios. 1. 6.

Psal. 2. 10.

terram

terram aspexit, vt annuncient in Sion nomen Domini. In conueniendo populos in vnum, & Reges, vt seruiant Domino: Morti vero proximus, filium Salomonem, quo non regni tantum, sed etiam pietatis paternæ hæres esset, his verbis est affatus. *Ego ingredior viam* 3. Reg. 2. 2. *vniuersæ terræ: confortare, esto vir: & obserua, vt custodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, & custodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi:* SAPIENTIA denique sic compellat Reges: *Audite Reges &* Sap. 6. 2. *intelligite, discite Iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.*

VERVM & gentiles, quamuis falsorum Deorum cultores, hanc cum primis virtutem à Regibus suis exegerunt, eo quod religionis incolumitate Reip. salutem niti iudicarent. Vnde PLVTARCHVS libro aduersus Colotem, *In legum*, inquit, *constitutione primum est & maximum de Diis opinio. Quamobrem & Lycurgus Lacedæmonios, & Numa Romanos, & Ion antiquos Athenienses, & Deucalion Græcos fere vniuersos Diis consecrauerunt, votis, sacramentis, vaticiniis, omnibusque eos ob spem ac metum Diis deditos, obnoxiosque reddentes. Et si terras obeas inuenire possis vrbes muris, litteris, Regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum & theatrorum nescias: vrbem templis Diisque carentem, quæ precibus, iureiurando oraculo non vtatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris auertere nitatur, nemo vnquam vidit. Sed*

facilius vrbem condi sine solo puto, quam opinione de Diis penitus sublata ciuitatem coire aut cõstare: Cuius rei rationem reddit S. AVGVSTINVS quarto de ciuitate Dei: *Sicut dæmones,* air, *nisi eos quos fallendo deceperint, possidere non possunt: sic & homines Principes, non sane iusti, sed dæmonum similes, ea quæ vana esse nouerant, Religionis nomine populis tanquam vera suadebant: hoc modo eos ciuili Societati velut arctius alligantes, quo similiter subditos possiderent:* XENOPHON in libris de Cyri pædia scribit regem Cambysen ita filium suum Cyrum affatum: *Hoc vnum præcipue commendo, idque tanquam pretiosum thesaurum à Patre donatum in tua memoria perpetuo recondi cupio: Dei esto amicus, in eundem pius, nihilque aggrediaris, nisi DEI numine implorato: imbecilla enim & hebes est mortalium natura: Nihil Dei sapientiam latet, omniaque ex sententia iis cedunt, quibus illa præsto est.* SVETONIVS in Octauiano auctor est, Octauianum Augustum legem sanxisse, vt Senatorum nemo ante consideret, quam thure ac mero apud aram Deo supplicasset. Et de omnibus Romanis S. LEO ita scribit in sermone de Apostolis Petro & Paulo: *Romana Resp. cum pœne omnibus dominaretur gentibus, omniũ gẽtium erroribus seruiebat, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionẽ, quia nullam respuebat falsitatem.* Et VALERIVS Maximus lib. 1. *Omnia,* inquit, *post Religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summæ maiestatis conspici decus voluit; quapropter non dubitarunt sacris imperia seruire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si diuinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.* Hanc pietatem Christianorum reges palam conteſtantur etiam nominibus suis,

Aug. c. 32.

Xen. lib. 8.

Sue. c. 35.

Val. c. 1.

dum

dum scribunt PHILIPPVS Dei gratia Hispaniæ, Franciæ, Poloniæ Rex. Et contestati sunt prisci Reges, ac imprimis CONSTANTINVS Magnus, qui teste EVSEBIO libro altero de Cõstantini vita, nihil magis voluit filiis suis commendatum, quam vt opibus omnibus, adeoque ipsi Imperio Dei sanctæque religionis cultum anteponerent. E. c. 25. & seq.

II. Virtus est IVSTITIA, quæ suum cuique ex æquo distribuit; Hæc tam propria Regum est & Principum, & ad tuendam regnorum salutem tam necessaria, vt per Salomonem Spiritus Sanctus dixerit hac virtute thronum regium imprimis firmari: *Abominabiles*, inquit, *Regi qui agunt impie, quoniam iustitia firmatur solium. Voluntas Regum labia iusta; qui recta loquitur, diligetur:* Deinde ea neglecta amitti, & ex vna gente in aliam regna transferri. *Regnum*, inquiens, *à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Vnde S. HIERONYMVS in c. 22. Ieremiæ: *Regum proprium est, facere iudicium & iustitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & peregrino, pupilloque & viduæ, & qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium.* Et S. AVGVSTINVS 2. de ciuitate DEI: *Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt nisi parua regna? Manus etenim ipsa hominum cum imperio Principis regitur, pacto Societatis astringitur, placiti lege præda diuiditur*, &c. *Eleganter enim & veraciter Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idem Rex hominem interrogasset, quid ei videretur, vt mare haberet infestum? ille* Prou. 16. 12. Eccl. 10. 8. Augu. c. 4.

libera contumacia, quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna classe, Imperator. Et S. GREGORIVS ad duos Franciæ Reges: *Summum in Regibus bonum est iustitiam colere, ac sua cuique iura seruare, & subiectis non sinere, quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodire.* Idem docuere Scriptores Ethnici. HESIODI carmen est.

G.7.ep. 120.

Τέυνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκεν ἄλλοις
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι.
Hac vna reges olim sunt fine creati,
Dicere ius læsis, iniustaq; tollere facta.

M. TVLLIVS secundo de Officiis ita scribit: *Mihi quidem non apud Medos solum, vt ait Herodotus, sed apud etiam maiores nostros fruendæ iustitiæ causa videntur olim bene morati Reges constituti. Nam cum premeretur initio multitudo ab iis, qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant virtute præstantem: qui cum prohiberet iniuria tenuiores æquitate constituenda, summos cum infimis pari iure retinebat, eademque constituendarum legum fuit causa, quæ Regum. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis.* AVGVSTVS apud SENECAM: *Pietate & iustitia,* inquit, *Principes Dijsiunt.*

3.de Iudo.

III. Est PRVDENTIA. *Diligite lumẽ sapientiæ,* ait Sapiens, *omnes qui præestis populis. Multitudo autem sapientum sanitas est orbis terrarum, & Rex sapiens stabilimentum populi est.* PLATO certe in Menone, asseuerat neminem nisi prudentem alios bene regere posse. Et ARISTOTELES in primo politicorum docet hoc distare prudentiã à ceteris virtutibus, quod hæ æque inferioribus, ac superioribus

Sap.6.23. & 26.

A.c 3.

sint

sint communes, illa vero dux sit & magistra omnium virtutum, ac propria superiorum: & tertio politicorum, ait imperantis propriam & vnicam esse virtutem. Vnde Aurelius VICTOR in Traiano, duo ait à Principe expectari, sanctitatem domi, foris fortitudinem, sed vtrobique prudentiam. NEC aliam ob rem DEO tantopere placuit REX SALOMON, quam quod ab eo non honores, non opes, non potentiam, sed prudentiam & sapientiam recte administrandi regnum postularit. 3. Reg. 3.

IV. Est FIDES, hoc est, pactorum promissorumque constantia. Nam vel nuda Principis verba oraculorum instar esse debent, quibus plus insit firmitatis & constantiæ, quam alteri cuiuis obligationi. M. TVLLIVS primo de officiis vocat *iustitiæ fundamentum*. SENECA ad Lucilium *sanctissimum humani pectoris bonum*, estque vt canit SILIVS Italicus. Sen. ep. 88. Silius ad fidem.

Ante Iouem genera ta, decus Diuumq́, hominumq́,
Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt,
Iustitiæ consors tacitumq́, in pectore numen.

Quam tanti fecerunt quondam Romani, vt prope Iouis simulacrum eius imaginem in Capitolio, teste CATONE Censorio, religiosissime collocarint. Vt enim ille tutor humani generis tunc credebatur, sic & Fides, nec vlla res, ait CICERO, *vehementius Rempublicam* quam illa continuit. Nec mirum, quia, vt scribit Aristoteles in Rhetoricis suis ad Theodecten, *infirmitatis, violatisq́, pactis tollitur inter homines omnis commerciorum vsus*. Quare ISOCRATES in prima oratione, quam ad Nicoclem de Regis institutione scripsit: *Perpetuo*, inquit, *tantum studium & reuerentiam præ te fer, vt tuis verbis* Cic. 3. officio. Arist. c. 15.

maior sit fides quam aliorum iuramentis. Exempla habemus huius virtutis, tum in sacris, tum in prophanis historiarum scriptoribus illustria multorum Principum, qui fidem etiam hosti datam fallere noluerunt, quæ habes in PANARIO nostro, Verbo *Iuramentum*, sub finem. Et PETRO Ribadineira de Principe Christiano lib. 2. cap. 15.

Prou. 20. 28. A. c. 24.

V. Est CLEMENTIA. *Misericordia enim & veritas,* ait Rex SALOMON, *custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.* Et S. AVGVSTINVS in quinto de ciuitate DEI: *Neque*, inquit, *nos Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios placida morte reliquerunt, vel hostes Reipub. domuerunt. Hæc enim & alia vitæ huius ærumnosa vel munera, vel solatia quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum DEI, quo pertinent isti. Et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si iuste imperant, si Deum timent, diligunt, colunt, si tardius vindicant, facile ignoscunt, si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent, si quod aspere coguntur plerunque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant, &c. Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices.* Talis erat CONSTANTINVS inter Christianos Imperatores primus, cuius statuam cum furiosi quidam turpiter deformassent, & familiares eius hanc iniuriam vindicandam seueriore exemplo suggererent, subridens manu per vultum ducta, *Ego*, inquit, *nullum vulnus sentio.* Talis & THEODOSIVS senior, cuius præfectum cum populus Antiochenus leui de causa

peremis

peremisſet, vt commemorat S. CHRYSOSTOMVS, eamque ob rem alij in vincula coniecti, alij fuga elapsi essent, ac insuper tota ciuitas metu consternata in luctu iaceret, FLAVIANVS vero Episcopus ad Imperatorem profectus noxam deprecaturus fuisset, clementer ignouit pius Theodosius, monuitque Episcopum vt celeriter ad suos, ne diutius in luctu & mœrore hærerent, reuerteret, qua beneuolentia non Antiochenorum modo, sed omnium imperio subiectorum animos sibi mirifice conciliauit. Sed & quas victorias THEODOSIVS iunior de Persis, Saracenis, & aliis barbaris gentibus incruentas retulit B. THEODORETVS, aliique Scriptores clementiæ & pietati eius attribuunt. Multa quoque in hoc genere suppetunt exempla apud Principes Ethnicos. Atque Ethnici scriptores hanc virtutem imprimis in iis collaudarunt. CICERONIS in oratione pro Ligario dictum est, *Homines nulla re propius accedũt ad Deos, quam salutem hominibus dando.* Et SENECA libro de Clementia primo. *Excogitare*, inquit, *nemo quicquam poterit, quod magis decorum regenti sit, quam clementia, quocunque modo is, & quocunque iure præpositus cæteris erit.* Et rursus. *Non opus est construere in altum editas arces, nec in ascensum arduos colles munire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris, turribusq; sepire, saluum Regem in aperto clementia præstabit. Vnum est inexpugnabile munimentum amor ciuium. Quid pulchrius, quam viuere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus? si paulum valetudo titubauit, non spem hominum excitari, sed metum? nihil esse cuique tam pretiosum, quòd non pro salute Præsidis sui commutatum velit?* Hæc Seneca.

Ch. hom. 20. ad popul.

Th. lib. 5. c. 36.

Sen. c. 19.

VI.

VI. Est LIBERALITAS & magnificentia. *Nihil enim natura hominis*, TVLLIO auctore, *est accommodatius.* LACTANTII dictum est, *Iustitia & beneficentia tam immortales sunt, quam mens & anima, quæ bonis operibus similitudinem Dei assequitur.* NAZIANZENI vero: *Nihil tam diuinum homo habet, quã de aliis bene mereri. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* PYTHAGORAS rogatus, teste Ælian o, qua ratione homo similis Diis fieri possit? respondit, si veritatem amplectatur, & cunctis bene faciat. Et SENECA de beneficiis: *Qui dat beneficia*, inquit, *Deos imitatur; qui repetit, fœneratores.* Cum ergo Reges & Principes vices quodammodo DEI sustineant in Repub. siue politici siue Ecclesiastici sint, iisque non desint opes, quas elargiri possint, maxime iisdem congruit hanc virtutem exercere, idque potissimum in pauperes. Nam DEVS passim in diuinis litteris vocat se pauperum, pupillorum & viduarum tutorem atque patronum. Certe videmus magnos ac pios omnes Principes & Imperatores, vt Constantinum, Theodosios, Carolum Magnum, & alios in pauperes beneficentissimos fuisse. Nostra memoria GREC. XIII. Summus Romanæ Ecclesiæ Pontifex & Princeps, quam fuit beneficus? Illustrissimus Cardinalis CÆSAR BARONIVS tomo 2. Annalium Ecclesiasticorum asseuerat eum beneficentia sua meruisse statuam in Capitolio, cui inscriptum sit, SESTERTIVM OCTINGENTIES SINGVLARI BENEFICENTIA IN EGENOS DISTRIBVTVM, id est, vicies centena millia aureorum; & tamen thronum Apostolicum non tenuit nisi annos XIII.

Tul. 1. offic.

Lact. l. de ira Dei.

Nazian de paup. amore.

Ælia. c. 12.

Sen. l. 3 c. 15.

Ad annum 175.

VII.

VII. Est, SVBMISSIO animi, qua agnoscant se homines, & Deo subiectos. Et nunc *Reges intelligite*, inquit Psaltes regius, *erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Hoc quia olim potentissimus Rex Nabuchodonosor non intellexit, in bestiæ formam mutatus 7. annis instar quadrupedis vagus per agros errauit, donec sibi redditus errorem agnouit his verbis: *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui & glorificaui, quia potestas eius potestas sempiterna.* Vnde S. AMBROSIVS Valentinianum Imperatorem alloquens: *Cum omnes homines*, inquit, *qui sub ditione Romana sunt, vobis militent Imperatoribus terrarum atque Principibus, tum ipsi vos omnipotenti Deo & sacræ fidei militatis.* Et S. AVGVSTINVS loco ante citato. Felices eos (Imperatores) *dicimus, si iuste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulam faciunt, si DEVM timent, diligunt, colunt, &c. si pro suis peccatis humilitatis, & miserationis & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt.* Et in Psalm. 137. *Reges*, ait, *quanto sunt in maiore felicitate terrena, tanto magis humiliari Deo debent.* Dan. 4. Amb. ep. 30. Aug. 8. de ciu. c. 23.

VIII. Est FORTITVDO, quæ vim suam exerit in vincendis animi perturbationibus, vti non modo nostri S. Patres, verumetiam Ethnicorum Philosophi confessi sunt conuenienter dicto Spiritus Sancti. *Qui dominatur animo suo melior est expugnatore* Prou. 16. 32.

gnatore vrbium. Laudetur, inquit CICERO in paradoxis, *hic Imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur: quomodo? aut cui tandem hic libere imperabit, qui non poteſt ſuis cupiditatibus imperare? refrænet prius libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum ipſe improbiſſimis Dominis, dedecori ac turpitudini parere deſierit.* Vnde SENECA ſcribens de maximo Imperatore: *ALEXANDER quidem*, inquit, *Perſas & Hyrcanos & Indos, & quicquid gentium vſque in Oceanum extendit Oriens vaſtabat, fugabatq;. Sed ipſe victor tot Regũ atque populorum iræ triſtitiæq; ſuccubuit. Id enim egerat, vt omnia potius haberet in poteſtate, quã affectus. O quam magnis hominis erroribus tenentur, qui ius dominãdi trans maria cupiunt mittere, felicisſimosq; ſe iudicant, ſi multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungant, ignari, quod ſit illud ingens, paratumq; regnũ. Imperare ſibi maximum imperiũ eſt.* Hinc & M. TVLLIVS ſummis extulit laudibus IVLIVM Cæſarem, quod Marco Marcello acerrimo ſuo inimico vitam condonaſſet: *aduerſarium*, inquiens, *nobilitate, ingenio, virtute præſtantem non modo extollere iacentem, ſed etiam amplificare priſtinam eius dignitatem; hæc qui faciat, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.* Qua de cauſa cum PTOLOMEVS Ægypti Rex aliquando vnum è LXXII. Scripturæ veteris interpretibus percunctatus eſſet, quid Regibus eſſet omnium difficillimum, teſte ARISTEA in libro de 72. interpretibus, reſpondit; SEIPSVM VINCERE. Plura de hac virtute habes in VIRIDARIO noſtro V. *Fortitudo.* & PANARIO, V. *Immortificatio paſſionum.*

S. ep. 113.

Cic. orat. pro M. Marcello.

CAP.

CAPVT IV.

De Regum & Principum sæcularium officio.

PRIMVM REGIS, & cuiusuis Principis sæcularis officium atque munus est, considerare actionum suarum finem esse debere geminum, alterum supremum, Deum nimirum ipsum, sempiternam, quæ in Dei contemplatione consistit, felicitatem, iuxta illud Apostoli, *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et illud AVGVSTINI in quinto de ciuitate: *Neque nos Christianos quosdam imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel hostes Reipub. domuerunt, sed si iuste imperant, & suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulam faciunt, si Deum timent, colunt, diligunt, si plus amant illud regnum, vbi non timent habere consortes. Si omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ.* ALTER finis est subditorum commodum, securitas, salus. *Moderatori Reipub.* inquit M. TVLLIVS, *beata ciuium vita proposita est; vt ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.* Et XENOPHON in memorabilibus Socratis, *Rex*, ait, *eligitur, non vt sese molliter curet, sed vt per ipsum ij qui elegerunt bene beatè agant.* Immo ARISTOTELES in octauo Politico tradit hoc Tyrannum differre à Rege, quod *Tyrannus suum ipsius commodum spectat & quærit, at Rex subditorum.*

1. Cor. 10. 31.

A. c. 24.

C. 5. de Rep.

Xen. lib. 3.

A. c. 10.

II. Officium est cognoscere subditos, eorumque ingenia, iuxta monitum sapientissimi Regis. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuósque greges considera. Non enim habebis iugiter potestatẽ, sed corona tribuetur*

Prou. 27. 23.

tribuetur in generationem & generationem. Vnde

Martial.8. Epigr. MARTIALIS canit.

Principis est virtus maxima, nosse suos.

Et Cornelius TACITVS 3. libro Annalium, *Noscenda natura vulgi est, & quibus modis temperanter habeatur.* Primo enim vulgo nihil est incertius. *In multitudine,* ait CICERO in oratione pro domo, *est varietas & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio.* 2. vulgus est iudicij expers; *nec enim delectu,* ait idem pro Plancio, *aut sapientia ducitur ad iudicandum, sed impetu & quadam etiam temeritate. Ex opinione multa, ex veritate pauca iudicat.* 3. natura turbidum est, *ingenio mobili,* vt habet Sallustius, *seditiosum atque discordiosum, cupidum nouarum rerum, quieti & otio aduersum.* 4. metu aut spe nimium. *Hæc est natura multitudinis,* inquit LIVIVS, *aut seruit humiliter, aut superbe dominatur. Libertatem, quæ media est, nec spernere modice, nec habere sciunt.*

I. Lipsius in Polit.

Cic. pro Roscio.

S. Iugurth.

L. lib. 23.

III. Est, Sedulo vigilare in commoda & salutem subditorum, cogitareq; si eam negligat se rationem in die iudicij extremi pro iis redditurum. Generalis enim sententia est Apostoli. *Obedite Præpositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant & non gementes.* Et quod Dominus Deus minatur apud Ezechielem de malis pastoribus Israhel dicens: *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.* S. HIERONYMVS in commentariis exponit etiam de Regibus & Principibus improbis. S. AVGVSTINVS in quodam sermone de Tempore ita scribit de hoc officio regio. *Opus regis est vitam suam pro his quibus regnat opponere.* Vnde & ait Christus, *Quia pastor bonus*

Heb. 13. 17.

Ezech. 34. 10.

H. lib. 11.

Aug. serm. 130.

Ioan. 10. 11.

bonus animam suam ponit pro ouibus: igitur & Rex bonus, animam suam ponit pro his quorum est Princeps.
Certe quantæ curæ Principibus incumbant breui sententia in consolatione ad Polybium expressit sapiens SENECA. *CÆSARI*, inquit, *ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit: & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quicquam suum facere.* Sen.c.26.

IV. est, Religionem Catholicam profiteri, tueri, & propagare. Quod futurum olim prædixit ISAIAS Propheta, vt B. CYRILLVS & alij Patres exposuerunt, cum ait Dominus: *Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum*, nempe crucis ait HIER. *Et afferent filios suos in vlnis, & filias suas super humeros portabunt*, nempe Apostoli, qui nullum graue onus imposuere fidelibus: *Et erunt Reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ.* Id quondam fecere Constantinus Magnus, Theodosius, Carolus Magnus, qui magnis impensis fidem Christianam fouerunt & propagarunt, & nunc in nouo orbe faciunt Reges Hispaniæ & Lusitaniæ. CONSTANTINI in epistola ad Celsum Africæ Vicarium, quam recitat Baronius, hæc verba sunt: *Nequaquam me aliter maximum reatum effugere posse credo, quam vt hoc, quod improbe fit minime existimem dissimulandum, cum nihil potius à me agi instituto meo, ipsiusque Principis munere agi oporteat, quam vt discussis erroribus omnibusque temeritatibus amputatis veram Religionem vniuersos, concordemque* Isa.49. 23. B. tom. 3. anno 316, & 318.

simplicitatem, atque meritam omnipotenti Deo culturam, præsentare perficiam. THEODOSIVS quoque magnus in Nouella de iudicibus ita loquitur: *Inter ceteras solicitudines, quas amor publicus peruigili cogitatione nobis indixit, præcipuam Imperatoriæ maiestatis curam esse perspeximus veræ religionis indaginem: cuius cultum si tenere potuerimus, iter prosperitatis humanis aperimus incœptis.* Et IVSTINIANVS in Nouella de Episcopis: *Sic,* inquit, *nos omni prouidentia curam Ecclesiarum gerimus: per quas & imperium nostrum sustineri, & publicas res per clementiam DEI & gratiam muniri existimamus.* Et CAROLVS Magnus apud Sigonium: *Si Ecclesiarum Dei seruis magnificentiam nostram impertimus, eorumque studiis libenter obsequimur, id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus: &, quod cunctis pretiosius est dignitatibus æternum retributionis præmium capessere non diffidimus.* REGES certe Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Poloniæ, dum regno inaugurantur hoc imprimis iureiurando promittunt, se fidei Catholicæ Romanæ assertores & vindices futuros, Ecclesiamque & pacem perpetuam defensuros. Et recte, quia vt bene scripsit LEO Magnus ad Pulcheriam Augustam, *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Et S. Bernardus ad Conradum Imperatorem: *Non veniat anima mea in consilium eorum, qui dicunt vel Imperio pacem, & libertatem Ecclesiarum, vel Ecclesiis prosperitatem & exaltationem Imperij nocituram.* Quanta autem cum felicitate Respublicam gubernarint Principes, quotquot vere fuerunt Catholici, lege apud Bellarminum concontrouersia 4. tomi primi libro 4. de Notis Ecclesiæ

N. Theodos.

S. lib. 4 regno Ital.

Leo. ep. 31.

B. ep. 243.

cleſiæ capite 18.

V. Officium eſt, nullam, aliam in ſuis ditionibus tolerare Religionem quam Catholicam Romanam, ac proinde ſectas omnes & hæreſes, quoad fieri poteſt, extirpare. Nam Regibus à Rege Dauide dictum: *Seruite Domino in timore.* Quæ verba expendens D. AVGVSTINVS: *Quomodo,* inquit, *Reges ſeruiunt in timore, niſi ea, quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atque plectendo? aliter enim ſeruit quia homo eſt, aliter quia etiam Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter: quia vero etiam Rex eſt, ſeruit leges iuſta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti rigore ſanciendo.* Deinde Reges omnes pij & Deo cari in veteri Teſtamento diligenter idololatriam, & quicquid aduerſabatur veræ religioni propulſarunt. Vnde idem Auguſtinus: *Temporibus (ait) Prophetarum omnes Reges qui populo DEI prohibuerunt nec euerterunt, quæ contra DEI præcepta fuerant inſtituta, culpantur, & qui prohibuerunt, & euerterunt, ſuper aliorum merita laudantur?* iure ergo culpantur, qui hæreſes contra Dei & Eccleſiæ mandatum irrepentes non extirpant. Pſal. 2. 11.

ADHAEC in nouo Teſtamẽto hæreticos CHRISTVS Dominus appellat Pſeudoprophetas, lupos rapaces, fures & latrones. D. PAVLVS vero operarios ſubdolos, blaſphemos, ſceleſtos, proditores, proprio iudicio condemnatos. S. PETRVS Pſeudoprophetas, & ſeruos corruptionis, doctrinamque eorum ſectas perditionis, quibus videlicet, ſe aliosq; perdãt. S. IOAN. Antichriſtos & ſeductores, B. IVDAS deniq; arbores infructuoſas, bis Matt. 7. 15. 2 Cor. 11. 13. 2. Tim. 3. 4. Tit. 3. 11. 2. Pet. 2. 1. 1. Ioan. 2. 18.

mortuas, fluctus feri maris despumantes suas confusiones. Ex S. PATRIBVS vero D. IGNATIVS confert eos cum canibus rabidis, basiliscis & squamosis draconibus, CYPRIANVS cum lupis, AMBROSIVS cũ noctuis & vulpibus, Hieronymus cum scarabæis, AVGVSTINVS cum cimicibus, VINCENT. Lyrinensis cum viperis, ranis & muscis morituris, IRENAEVS cum idololatris, vt fuse ostendimus in PANARIO nostro. Non igitur sunt à Principibus tolerandi, quando salua Ecclesię Catholicę incolumitate fieri potest.

P.V. Hæresis.

DENIQVE optimi quique Imperatores non aliam quam Catholicam religionem pulsa idololatria & hæresi coli ab omnibus voluerunt, ac imprimis CONSTANTINVS Magnus teste S. Optato Mileuitano, qui & leges condidit in Arianos auctore Sozomeno. 2. GRATIANVS, quem ea de causa laudat AMBROSIVS, sicut & Valentinianum iuniorem in oratione funebri de eodem. 3. ARCADIVS, cui Chrysostomus suasit, mallet, vt Imperij iacturam faceret, quam Gaynæ Duci templum pro Arianis Constantinopoli indulgere, *Quemadmodum*, inquit, *ô Imperator, si quis coronæ tuæ pretiosis & fulgentibus gemmis micanti vitri partes, aut viles lapillos admisceat, pretium & splendorem minuet: ita si in eadem Ecclesia Catholicis hæreticos coniunxerit, quos vel errorem recognoscere, vel ciuitate exturbari oporteat, fulgentem eiusdem coronam vitiauerit.* 4. MARTIANVS, qui seuere vetuit, ne quod semel in Conciliis Patrum decretum esset, in quæstionem vocaretur. 5. S. LVDOVICVS Galliæ Rex, qui vt est in eius vita morti proximus, filio Regni successori hoc maxime mandauit, vt hæreticos & schismati

O. l. 2. in Parmen. S. l. 2. c. 30. A. ep. 26. c. 5. Sozo. li. 8. c. 4.

C. de sũm. Trin. l. nemo.

schismaticos è Gallia extirparet. Demum in Synodo Oecumenica Lateranensi sub INNOCENTIO III. celebrata, proposita etiam graui pœna, Principibus & Magistratibus imperatum est, vt finibus suis hæreticos exturbarent, idque iureiurando promitterent. Naucl. gener. 28.

VI. Officium est, vt quamuis tueri possint & debeant Ecclesiam, & res Ecclesiasticas, tamen non misceant se negotiis Ecclesiasticis & sacris, siue ministerium sacrum, siue iudiciũ de controuersiis fidei nostræ vsurpando. Prophetæ namque Aggæi verba sunt: *Hæc dicit Dominus exercituum. Interroga sacerdotes legem.* Et Malachiæ: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Quo mandato, teste IOSEPHO lib. 5. Antiquitatũ, Prophetæ declararunt etiam Regi & Principi, Pontificum & Presbyterorum in rebus sacris potius iudicio, quam proprio nitendum. Eandem doctrinam tradidit Iudæis Christus Dominus apud B. Matthæum, cum ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Agg. 2. 12. Mal. 2. 7. Ioseph. c. 8. Matth. 23. 1.

HINC cum Rex Ozias ministerium sacerdotum vsurpasset, à Pontifice mox monitus est in hęc verba: *Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum,* ac cum contumax in cœpto perstitisset, lepra à Deo percussus est, & templo eiectus. Eadem de causa & Rex SAVL, vt se miscuit sacerdotum officio, à Deo reprobatus est, posterique eius regia dignitate spoliati. 2. Par. 26. 1. Reg. 13. 10.

IMPERATORES certe quotquot à pietate Christiana maxime laudantur nũquam se miscere

voluerunt causis Ecclesiasticis. CONSTANTINVS enim in synodo Nicæna, teste Ruffino libro 10. historiæ Ecclesiasticæ professus est se debere ab Episcopis iudicari, eisque subiectum esse, non præpositum. Et S. AMBROSIVS epistola 32. scribit eundem in dicta Synodo liberum reliquisse iudicium sacerdotibus. EVSEBIVS libro 4. de vita Constantini refert eundem solere dicere Ecclesiæ præsulibus: *Vos intra Ecclesiam Episcopi, ego extra Ecclesiã Episcopus sum cõstitutus.* VALENTINIANVS Senior rogatus, vt permitteret haberi Concilium de rebus fidei, teste SOZOMENO respondit: *Mihi qui vnus è numero Laicorum sum non licet me eiusmodi negotiis interponere. Ideo sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, vbicunque ipsis liberum fuerit, conueniant.* Idem de Valentiniano Iuniore affirmat Ambrosius loco citato. HONORIVS Imperator Arcadium fratrem suum reprehendit, quod contentionibus episcoporum se miscuisset, & teste BARONIO, inter alia scripsit: *Si quid de causa Religionis inter Antistites ageretur, Episcopale oportuerit esse iudicium. Ad illos enim diuinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis spectat obsequium.* THEDOSIVS minor in epistola ad Concil. Ephesinum: *Nefas est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, eum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se miscere.* MARCIANVS quoque in Concilio Chalcedonensi dixit: *Quid obseruari in Religione debeat, Sacerdotes perspicua definitione docuerunt.* BASILIVS denique Imper. in 8. Syn. dixit: *Ecclesiasticas causas inuestigare Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi & soluendi potestatem habent,*

R.c.2.

E.c.24.

S.l.6.c.7. Ruff.l.1.c.2.

Am ep.32.

B.to.5.an. 404.

Cyr.ep 17. tomi 4.

Baron. to. 5.an. 431.

C.act.5.

habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claues: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamentis solui egemus. VERVM & Gentilium Principes politici, se sacrificulorum suorum negotiis miscere noluerunt. Refert LAMPRIDIVS, Alexandrum Seuerum Imperatorem tantum Auguribus Pontificibusque detulisse, vt libere permitteret, quæ Religionis essent, eos administrare, & quasdam Sacrorum causas à se finitas ab ipsis iterari & aliter distingui. L. in Alex.

VII. Officium est, vt nequaquam inuolent vel vsurpent bona vel facultates Ecclesiæ, grauiter enim à Deo tales reperimus castigatos. Primo in S. Scripturis. NABVCHODONOZOR enim Assyriorum Rex, vt est apud Danielem, post expoliatum sacrum Templum, in bestiam transformatus est. Et BALSASAR eius filius, quod sacra eius vasa profano vsu contaminasset hostium manibus peremptus. Rex ANTIOCHVS, vt est in Machabæorum libris, à vermibus consumptus. HELIODORVS, quod thesauros templi diripere voluit, flagellis diuinitus cæsus est vsque ad mortem. IOSEPHVS quoque libro 14. antiquitatum, commemorat M. CRASSVM ob expilatũ templum Hierosolymitanum cum exercitu suo à Parthis deletum. Et libro 16. HERODEM REGEM à Deo punitum, quod Dauidis sepulchrum aperuisset, sperans se in eo magnum pecuniarum thesaurum reperturum. Adde ex nouo Testamento repentina morte Ananiam & Saphyram, vt est in Actis Apostolicis apud Lucam, sublatos, quod partem facultatum suarũ ante Deo consecratam, sibi clam reseruassent. Dan. 1. & 4. Dan. 5. 30. 2. Mach. 9. 2. Mach. 3. Ioſ. ca. 8. & 12. Id. c. 12. Act. 5. 5.

2. In Ecclesiastica historia eiusdem rei com-
T. cap.32. plura extant exempla. In Tripartita enim libro 6. legimus Iulianum Iuliani Apostatæ auunculum, cum ex Antiocheno templo sacra vasa sacrilegè subripuisset, sæuissimo morbo correptum, ita vt etiam excrementa ventris per os blasphemum eiecerit. Felicem quoque quæstorem eiusdem Iuliani Imperat. post spoliata templa cum sanguine ani-
G. cap.35. mam euomuisse. S. GREGORIVS Turonicus libro 7. historiæ scribit milites quosdam in Agennensi Vrbe post spoliatam S. Vincentij Martyris basilicam, alios manibus quasi ambustis fumum emisisse, alios S. Martyri inclamasse se à dæmone discerpi, alios sibi violentas manus iniecisse.
P.li.2.mir. cap.1. PETRVS Cluniacensis Comitem Matisconensis vrbis fuisse narrat, qui post spoliatas Ecclesias in præsentia multorum die festo, cum ab equite ignoto & terribili ante fores equum ibidem paratum inscendere iussus esset, ab eodem in aera cum eiu-
P.lib.1. latu abreptus fuerit. Simile PAVLVS Æmilius libro 5. narrat de Gulielmo Cabillonensi Comite: additque & alium Comitem Niuernensem immunitatis Ecclesiasticæ hostem, obtorquente se sponte in terga vultu, animam exhalasse. PETRVS Damiani Cardinalis epistol. 9. ad Nicolaum Papam habet alia de aliis inuasoribus.

VIII. Officium est, omni honore prosequi Episcopos & Sacerdotes. DEVS enim in veteri Te-
Ier.1.10. stamento olim dixit IEREMIÆ Prophetæ: *Ecce te constitui hodie super gentes & super regna.* quoniam, vt Theodoretus ibi annotauit, erat Sacerdos ex sacerdotibus Anathot. Eodemque testimonio INNOCENTIVS III. probat politico Regum Imperio maiorem

maiorem esse Sacerdotum potestatem. Vnde S. IGNATIVS ad Smyrnenses. Nazianzenus ad ciues timore perculsos. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. Et Ambrosius de dignitate sacerdotali. cap. 2. Regiæ dignitati sacerdotium anteponunt. Vnde CONSTANTINVS Magnus, teste Eusebio quarto de vita eius Episcopos & sacerdotes comites sibi adiunxit, dum exercitum contra hostes educeret, eorumq; precibus Deum sibi redderet propitium. Libellos item criminationibus in antistites plenos legere noluit, sed in ignem coniecit. Dixitque, si sacerdotem flagitiose aliquid patrantem cerneret, se purpura sua eum contecturum, vt refert B. THEODORETVS lib. 1. suæ historiæ. Sancita denique lege præcepit, auctore Eusebio, vt sacerdos in maiori honore haberetur quam vllus secularis.

I. de maior. & obed.

E. c. 56.

Th. c. 11.

E. l. 3. vitæ Const. c. 10.

ATQVE hinc est, quod VALENTINIANVS Imperator mandarit Episcopis & Clero Mediolanensi, teste Cassiodoro, vt in Antistitem eligerent eum, cui ipse debitam venerationem deferre posset. Hinc THEODOSIVS tantopere reueritus est S. AMBROSIVM, vt Constantinopoli, inuitante licet Nectario Episcopo, intra cancellos sacros, vbi erant sacerdotes, ingredi nollet. Hinc nata est obedientia, quam barbarus Rex Attila LEONI Pontifici, teste Paulo Diacono, præstitit, cum victrices copias Romam trahere non est ausus. Hinc reuerentia, quam IVSTINVS Senior Ioanni Papæ Constantinopolim venienti detulit, se abiiciendo ad eius pedes, teste Antonino. Hinc CAROLVS MAGNVS, auctore Sigonio in hæc verba locutus est: *Si Ecclesiarum DEI seruis*

Trip. l. 7. c. 5.

P. lib. 15. rerum Roman.

A. 2. p. h. tit. 12. c. 1.

Sig. 4. de reg. Italiæ.

munificentiam nostram impertimus, eorumq; studiis libenter obsequimur, id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus, & quod cunctis pretiosius est dignitatibus æternum retributionis præmium capessere non diffidimus. Hinc & ALEXANDER Magnus quamuis gentilis Hierosolymam euersurus, summum Sacerdotem Pótificiis vestibus ornatum obuiam sibi procedentem genibus nixus adorauit teIos. c.8. ste IOSEPHO libro antiquit. Iudaicarum vndecimo, & Parmenioni roganti cur id faceret, respondit: *Ego non hominem adoraui, sed Deum, cuius ille sacerdotem egit.* Hinc denique honorifici tituli, quos Imperatores suis legibus & edictis Sacerdotibus & Episcopis attribuerunt, vt vocarent Reuerendissi-
Nouel. 35. mos, sanctissimos, &c. Hinc tot priuilegia & im-
121. 131. munitates Ecclesiasticorum manarunt, quibus leges ciuiles & sacræ sunt refertæ.

CAPVT V.

De mediis idoneis ad conseruandum & firmandum Regnum.

PRIMVM medium est Inuocatio crebra diuini nominis. Deus enim auctor & cõseruator ve-
Dan. 2. 21. rus est omnium Regnorum. *Et ipse*, vt Daniel visione diuina edoctus loquitur, *mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit.* Hæc autem inuocatio fieri debet primum ab ipsis Regibus & Principibus, sicut factum est à Rege Dauide cum
Psal. 71. 2. in Psalmis clamaret: *Deus iudicium tuum Regi da,*
Ps. 19. 10. *& iustitiam tuam filio Regis, Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.* Et iterum;
Psal. 20. 8. *DOMINE saluum fac Regem, & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.* Et, *Quoniam Rex sperat*

in Do

in Domino, & in misericordia Altissimi, non commouebitur. Deinde à Rege Salomone, cum ita erat in secundo libro Paralipomenon: *Da mihi sapiẽtiam* (Domine) *& intelligentiam, vt ingrediar & egrediar coram populo tuo. Quis enim potest hunc populum tuum dignè, qui tam grandis est, iudicare?* SECVNDO debet fieri à subditis, vt monuit Apostolus, dum ait: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate, hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo.* Ex quibus verbis liquet subditos obligatos esse ad precandum Deum sæpe pro suis magistratibus, vt bene notauit S. CHRYSOST. in commentario huius loci. *Quam igitur*, inquit, *absurdum est, cùm Reges idcirco militent, & arma circumferant, vt nos in tranquillitate atque otio simus, nos pro periclitantibus, ac nostri causa labores suscipientibus preces effundere detrectemus. Non igitur assentandi gratia huiusmodi mandatum dedit, verum iustitiæ seruauit leges. Nisi enim illi seruarentur, atque inter bella & hostes prospere agerent, necessario & nostra omnia turbis, tumultibusq; plena essent. Sunt enim, inquit, huiusmodi velut obices quidam hostibus oppositi, per quos nos in pace seruemur.*

2. Par. 1.

1. Ti. 2. 1.

Chr. ho. 6.

II. Medium, AMOR in subditos. Videmus enim Moysen, Dauidem Regem & alios à Deo in Principes populi electos, quod singulari amore populum complecterentur. *MOYSEN*, inquit CHRYSOST. in commentariis epistolæ ad Romanos, *tum primum super populum Iudæorum DEVS posuit, quãdo qua esset in illum beneuolentia re ipsa iam declara-*

C. ho. 29.

1. Reg. 17. *declarauerat.* DAVID *quoque simili modo regni suscepit gubernationem, posteaquam apparuerat, quam amico esset in populum affectu. Et Christus optimi Pastoris canonem ferens dixit. Bonus pastor animam suam*
Ioan. 10. 11. *dat pro ouibus suis.* Et S. AMBROSIVS primo de officiis, tractans quibus rebus imperia confirmen-
A. c. 19. tur, beneuolentia erga populum ait firmari: *Summa benignitate*, inquiens, *opus est, vt non solum publica gubernacula, sed etiam priuata iura tueamur. Plurimum iuuat beneuolentia, quæ omnes studet beneficiis am-*
Id. c. 7. *plecti, deuincire officiis, oppignerare gratia.* Cuius rei causam perstrinxerat paulo ante, dum ait, *Ac primum nouerimus nihil tam vtile, quam diligi, nihil tam inutile, quam non amari. Itaque id agamus, vt placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominum. Popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti & affabilitate sermonis, verborúmque honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæq; adiuuetur gratia incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim quantum non solum in priuatis, sed etiam in ipsis Regibus facilitas blan-*
Exod. 32. *dæ affabilitatis profuerit. Quantas Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias, & cum Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem subduceret.*
1. Reg. 16. *Quid eius imitator sanctus Dauid electus ex omnibus ad plebem regendam, quam mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu. Ante regnum se pro omnibus offerebat, Rex cum omnibus æquabat suam militiam, & partiebatur laborem: ideo tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam inuitus peteretur,*

resistens

resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam illum pro omnibus. Ita sibi gratis officiis plebem obligauerat. S. THOMAS opusculo XX. de Regimine Principum affert exemplum IVLII Cæsaris: *De quo*, inquit, *Suetonius refert, quod milites suos vsque adeo diligebat, vt audita quorundam cæde capillos & barbam non ante dempserit, quam vindicasset. Quibus rebus deuotissimos sibi, & strenuissimos reddidit, ita quod plerique eorum capti concessam sibi sub ea conditione vitam, si militare aduersum Cæsarem vellem, recusarent.* SENECA libro primo, de Clementia, agens de officio optimi Principis: *Quod ergo, ait, officium eius est? Quod bonorum parentum, qui obiurgare liberos non nunquam blande, nonnunquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus. Nunquid aliquis sanus filium ad primam offensam exhæredat? Hoc quod parenti, etiam Principi faciendum est, quem appellauimus Patrem patriæ, non adulatione vana adducti, cætera enim cognomini honori data sunt. Patrem quidem patriæ appellauimus, vt sciret sibi datam potestatem patriam, quæ est temperatissima liberis consulens, suáque post illos ponens.*

Th. c. 10. lib. 1.

Sen. c. 14.

III. Medium est AMOR subditorum erga suos Principes, qui non aliunde conciliatur efficacius, quam amore Regis in ipsos. PLATONIS dictum est ad Dionysium tyrannum: *Ab eo, quod placeas hominibus, actionum efficacia est.* Et supra S. AMBROSIVS dixit, *nihil tam vtile esse,* (Principi,) *quam diligi, nihil tam inutile, quam non amari.* OCTAVIANVS Augustus, teste S. THOMA loco citato, *qui modestissime imperio vsus est in tantum diligebatur à subditis, vt plerique morientes victimas, quas deuouerant,*

Plat. ep. 4.

immolari

immolari mandarent, quia eum superstitem reliquissent.

3.to.Amb. post.ep.30 SYMMACHI quoque Præfecti Vrbis in Relatione ad Imperatores, dictum est, *Amari, coli, diligi, maius imperio est.* Cuius rationem verissimam reddit sapiens

S.c. 19. SENECA priore libro de Clementia, quia nihil Regi tutum est, si à populo non diligatur. *Non opus est instruere,* inquit, *in altum editas arces, nec in asceſum arduos colles emunire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris, turribusq; sepire: Saluum Regem in aperto clementia præstabit. Vnum est inexpugnabile munimentum, amor ciuium. Quid pulchrius est, quam viuere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus?* Si aues cognoscere, quibus rebus amor subditorum in Principes concilietur, lege

L.lib.1 c. 8.& 9. IVSTVM Lipsium in Politicis.

IV. Medium est Probitas Ministrorum, vt Iudicum. nomine Iudicum comprehēdo Præfectos, Præsides, Quæstores, & quotquot attingunt aliquā imperij aut Reipub. partem. Cùm enim Princeps per se non possit omnia officij, ac imprimis iustitiæ munera exequi, opus habet administris &

Exod. 18. 21. coadiutoribus. Vnde, vt est in Exodo, IETHRO socer Moysi totius populi Israëlitici Moderatori genero suo auctor fuit, vt reseruatis sibi grauioribus negotiis, onera in alios partiretur, dicens: *Prouide de omni plebe viros sapientes, & timentes DEVM, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex iis, qui iudicent populum omni tempore.* Quales autem debeant esse Iudices, diximus in proprio eorum titulo. QVOD si verò contingat (vt fragilis & inconstans est quorundam natura) eos à ratione iuris & æquitatis discedere, tunc Principis officio incumbit, id seueritatis exemplum edere,

edere, quod cæteros in officio contineat. CAMBYSES Persarum Rex, teste HERODOTO, vt cognouit Iudicem quendam contra ius & æquitatem in re graui sententiam tulisse, idémque aliàs frequẽter factitasse, cutem viuo detrahi iussit, pellemq; detractam consterni in tribunali iussit, quod insidere Iudices solebant: cumq; postea eundem Magistratum filio excoriati detulisset, Vide, ait, quo loco ad iudicandum sedeas. Et ALEXANDER Seuerus Imperator, teste Lampridio dicere consueuit, in malum Iudicem non satis dignè vindicari si magistratu priuetur, nisi grauiori quoque supplicio mulctetur. CONSTANTINI Magni certe tale extat in hanc rem decretum in Codice Theodosiano: *Si quis est, cuiuscunque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcunque Iudicum, Comitum, amicorum, vel Palatinorum meorum aliquid veraciter & manifestè probare posse confidit, quod non integrè, atque iustè gessisse videatur, intrepidus & securus accedat, interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam: & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo. Dicat securus, & bene sibi conscius dicat. Si probauerit, vt dixi, ipse me vindicabo de eo, qui me vsque ad hoc tempus simulata integritate deceperit: illum autẽ qui hoc prodiderit, & cõprobauerit, & dignitatibus & rebus augebo. Ita mihi summa Diuinitas semper sit propitia, & me incolumem præstet, vt cupio sit felicissima florẽte Repub. Publicatum 15. Cal. Octob. Nicomediæ, Paulino & Iuliano Coss.* H. lib. 2. Lib. 9. tit. 1. de accu.

V. MEDIVM est, vti probis & fidis Consiliariis, iisque libenter autẽ præbere. Omnium enim temporum euentus docuit, & docebit, *plura in summa fortuna*, vt habet Tacitus in annalibus, *auspiciis & cõsiliis, quã telis & manib. geri.* Et Eurip. dictum est: T. 13. ann.

Σοφὸν

Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χερὰς νικᾷ.
Mens vna sapiens, plurium vincit manus.

Optandum quidem esset Principes ipsos esse tam sapientes, vt tali præsidio opus non haberent, verum id quia rarissimum est, præstat, vt aliorū quoque consilia audiant: *Sapientissimum enim esse dicunt eum*, ait M. TVLLIVS pro A. Cluentio, *cui quod opus sit ipsi veniat in mentem, proxime accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperet.* Multi debent esse regis oculi, & multæ aures, ait XENOPHON in pædia: *Qui sapiens est*, ait Regum sapientissimus, *audit consilia.* Certe S. CHRYSOSTOMVS homilia de ferendis reprehensionibus scribit solius DEI proprium esse nullius egere consilio. Et S. AVGVSTINVS, in 14. de ciuitate DEI: *Homo dum sibi sufficere delegit, ab illo qui vere ei sufficit, defecit.* Et S. BERNARDVS ad Papam Eugenium: *Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat.* Ac Lacedæmoniorum Rex, teste PLVTARCHO, quærenti qua ratione quis fidele & perpetuum seruet regnum, respondit: *Si amicis iustam admonendi libertatem concedat, ac subditos, quatenus efficere possit, non negligat lædi.* SALLVSTII hæc sunt verba: *Omnia regna, ciuitates, nationes vsque eo prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuere.* DION Cassius autor est Imperatori HADRIANO pergratum fuisse etiam ab infimæ sortis homine commonefieri. Et ANTONINVS Philosophus dictus aiebat, æquius esse Principem subscribere fidorum Consiliariorum sententiæ, quam illos in suam pellicere voluntatem.

Xen. 8.
Prou. 12. 15.
Aug. c. 13.
Bern. 2. de consid.
Plutar. in apoph. Lacon.
Sal. de rep. ordin.

VI. Medium est, operam dare, vt Regnum vel Principatus sit opulentus. VESPASIANI Imperatori

ratoris apud Dionem dictum est: *Nerues imperij esse pecuniam.* ARISTOTELIS vero: *Omnia venalia nummis.* Et CICERONIS in Verrem, *nihil tam munitum quod non expugnari pecuniâ possit.* HORATIVS quoque canit Aristot. 2. Rhet. c. 16. Cic. ora. 2. Hor. 2. ser.

diuina humanaq; pulcris
Diuitijs parent.

PHILIPPI Macedonis & hoc adagium fertur: *Hastis pugna argentatis, atque omnia vinces.* Ad pecuniam autem parandam necessaria sunt quædam præsidia. PRIMVM est, constituere publicũ ærarium. Ita fecit, vt est in Genesi, Pharao Rex Ægypti: nam è publico ærario frumentum emit, quod ingruente fame distribuit secundum prudentiam Ioseph, ne populus fame periret. Ita fecit & SALOMON Regum omniũ quotquot ante vel post ipsum fuerunt, potentissimus: in Ecclesiaste enim sic ipse loquitur: *Coaceruaui mihi argentum & aurum, & substantias Regum & prouinciarum.* Substantiam vocans numismatum thesauros, vt exponit S. THOMAS de Regimine Principum collectos ex tributis, tum ab ipso, tum à patre Dauide, de quibus in libris Regũ. Et in historia IVDITH idem fecit HOLOFERNES princeps Regis Nabuchodonozoris, quando inuasit regiones Syriæ & Ciliciæ: tulit enim aurum & argentũ multum nimis, ait, de domo Regis paratũ. Vnde SALLVSTIVS ex sententia Catonis commemorat, deficiente ærario Rempub. Romanã ad nihilum redigi cœptam: esse enim ærarium simile humano stomacho, qui quamdiu cibum idoneum receperit, facit, vt membra corporis omnia suam incolumitatem retineãt, cum vero nõ recipit, omnia langueſcãt, ac tandem Eccl. 2. 8. Tho lib. 2. c. 7. Reg 2. & 3. Sal. in Catil.

concidant. ALTERVM præsidium est, impense fauere agricolis, diligentem operam agrorum vinearumq; culturæ nauantibus, eosq; ad tam laboriosam vitam prosequendā, priuilegiis, immunitatibus, onerumq; leuationibus pellicere. Certe SVETONIVS etiam Augustum collaudatum suo æuo dicit, quod singulari studio agricolas & negotiatores complecteretur. Ac nostro seculo HIERON. OSORIVS in libro de institutione Principis testatur plærosque Lusitaniæ Reges ob studium hoc in agricolas, appellatos Agricolas. Nec iniuria tanto loco fuerunt agricolæ, cum constet eorum laborem non solum esse honestissimum, sed etiam vtilissimū Reipub. immo prorsus necessarium. Quod si bello regnum ab exteris impetatur, duplex commodum erit in promptu. Commeatus sufficiens ex horreis frumento redundantibus. Miles numerosus & validus, nec enim ad militiæ labores, calorem & frigus, famem & sitim, omnesque cœli iniurias perferendas aptior inuenitur agricolis sudore quotidiano obduratis. TERTIVM est eundem fauorem ostendere negotiatoribus, vel mercatoribus; nam illorum industria exportantur ea quæ in regno redundant, quæ vero desunt, importantur, regnumque rebus ad vitam vel necessariis, vel etiam valde percommodis locupletatur. Accedit quod per eos nauigationis beneficio nouæ regiones inueniuntur, multa admiranda & nunquam visa in lucem proferuntur, ac demum, hoc maxime seculo effectum videmus, vt vniuersus terrarum orbis iam commune Emporium factus videatur, nec vllus est, si regno pedem efferre velit; quin possit fieri totius mundi ciuis & accola.

Sueton in Octau. c. 42.

VII

VII. MEDIVM est cauere ab adulatoribus, nihil enim hoc genere hominum regno est pestilentius. HIERONYMVS ad Celantiam: *Adulatorum attentationes, velut quasdam pestes animæ fuge, nihil est, quod tam facile corrumpat mentes hominum: nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat.* AVGVSTINVS in Psalmum 59. *Duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium & laudantium, sed plus persequitur lingua adulatoris quam manus persequentis.* GREGORIVS Magnus 31. moralium, locustæ fructus deuoranti eum confert, & api quæ mel prefert ore, sed aculeo pungit, & scorpioni, qui pungendo necat. Ex Ethnicis, ANTISTHENES teste Stobæo, docuit melius esse incidere in coruos, quam in adulatores, quod hi viuentibus, illi mortuis oculos eruant. M. TVLLII in Lælio verba sunt: *Sic habendum est, nullam in amicitiis pestem maiorem, quam adulationem, blanditias, assentationem.* Q. CVRTIVS in historia sua scribit adulationem esse perpetuum Regum malum, quo sæpius eorum opes, quam ab hostibus euertantur. Plura vide in nostro PANARIO V. ADVLATIO. Ingenium vero & mores adulatorum apud Principes fuse descripsit P. Ribadineira in PRINCIPE Christiano, & Ioan. Mariana lib. 2. de Rege & Regis institutione.

H. ep. 14.

G. ep. 20.

S. serm. 12.

C. lib. 8.

R. ca. 29. & 30.

M. c. 11.

VIII. Et postremum est, NOTITIA sui, vt non minus se hominem esse, quam hominibus præesse cogitet, vt habet PLINIVS in Panegyrico. SALADINVS Christianorum olim terror, qui Syriam, Ægyptum, & Africæ bonam partem subegit, morti iam vicinus, in cogitationem hanc serio descendit, & solam interiorem tunicam pro omni pompa funebri in hasta sublimē ferri iussit,

I. Lips. in Notis 2. Polit.

cum acclamatione : *Hoc vnum ex domitore Orientis reſtare.* O virum illâ & maiore fortuna dignum, qui tam bene eam cepit. Nihil enim hic proprium Regis eſt. Corona, ſceptrum, purpura, & omnia hæc ad quæ ſtupemus à Deo ſunt, & ne auferat ad eum referenda. DEINDE agitet omnia eſſe caduca, & ruinæ præcipiti obnoxia : magnas arbores diu quidem creſcere, ſed vna hora exſtirpari. Superbiæ aſſidua comes eſt deiectio & pœna. SENECA in Hercule furente ait,

Dominare tumidus, ſpiritus altos gere.
Sequitur ſuperbos, vltor à tergo DEVS.

Denique expendat quam variæ & miſerandæ fuerint ſortes multorum Regum, IVGVRTHAM in carcere, Perſeum in cuſtodia obiiſſe ſcimus. quam illuſtre exemplum Tomambais, qui Ægypti Africæque Sultanus in veteri & feliciſſimo regno, non ſolum eo ſubito exuitur, ſed & vita. Arbiter paulo ante vitæ, necíſque gentium, in vrbe ſua principe, mulo vicatim per ludibrium circumductus, infami laqueo & manu carnificis ſtrangulatus eſt. Rex Regum Mexicanus in nouo orbe, nónne lento igne per ſummum cruciatum vſtulatus? Quæ tam tragica exempla merito concludi queunt verbis SENECÆ ex libro de animi tranquillitate : *Quod regnum eſt, cui non ſit parata ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis iſta interuallis diuiſa, ſed horæ momentum intereſt inter ſolium & aliena genua.*

Sen. c. 11.

VIDE Nobilitatis Status.

DE

DE STATV SACERDOTVM.

CAPVT I.

De Sacerdotis nomine & significatione.

SACERDOTIS nomen à sanctificando, teste S. AVGVSTINO, sicut Regis à regendo dicitur. Significatione autem idem est, cum nomine PRESBYTERI, quod Græcè significat Seniorem: *Gloria enim presbyterorum canities*, inquit S. BASILIVS in Isaiam. Maluerunt autẽ Apostoli primis Christianæ religionis initiis voce presbyteri vti, quam sacerdotis, quia recẽs adhuc memoria erat sacerdotij Iudaici. Vbi vero patefactum est discrimen inter Iudaicos & Christianos sacerdotes, liberius cœperũt prisci Patres vsurpare vocẽ sacerdotis, vt TERTVLLIANVS libro de velandis Virginibus, & libro de monogamia, & alibi, CYPRIANVS quoque in omnibus fere epistolis. AMBROSIVS, AVGVST. & alij: quanquam idem nomen sæpe quoque tribuunt summis sacerdotibus, hoc est, Episcopis, vt Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali, & Chrysost. lib. 5. de Sacerdotio. August. in Psal. 44.

Basil. in c. 3.

PRESBYTERI vocem B. PAVLVS communem facit maioribus sacerdotibus, id est, Episcopis, & minoribus, quos nũc presbyteros vocamus. Nam cum in epistola ad Titum ait: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ vt constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi.* per presbyteros certè intelligit Episcopos, quibus id temporis singulæ ciuitates attribuebantur. Et in priore ad Timotheũ, Tit. 1.

1. Tim. 4. cum scribit: *Noli negligere gratiam Dei quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterij.* Chrysostomus & Theodoretus veri presbyterij volunt designari cætum. Episcoporum. Sanctus quoque Ioannes epistola 2. & 3. se Presbyterum

1. Pet. 5. vocat. & B. Petrus in priore epistola vocat se conseniorem, συμπρεσβύτερον, cum tamen citra dubitationem Episcopi fuerint. Quod autem eodem nomine Paulus intelligat presbyteros, vti nunc accipitur, sacerdotes non Episcopos, liquet ex eadem

1. Tim. 5. priore epistola ad Timotheum, cum ait: *Aduersus Præsbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Vnde intelligimus quoque Presbyteros dignitate fuisse Episcopis inferiores.

Cl. can. 40. Quod & veteres docuerunt. Nam CLEMENS in Apostolorum canonibus ita loquitur: *Presbyteri & diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent.* Et TERTVLL. libro de Baptismo: *Ius habet dandi baptismum summus sacerdos, qui est Episcopus, dehinc presbyteri & diaconi, sed non sine Episcopi facultate.* Imo & S. IGNATIVS ad Philippenses: *Boni,* inquit *sunt sacerdotes, & sermonis ministri, melior autem est Pontifex, cui credita sunt Sancta Sanctorum, cui soli*

D. cap. 5. *commissa sunt secreta Dei.* Et S. DIONYSIVS Areopagita in Ecclesiastica hierarchia primo loco ponit Episcopos, secundo sacerdotes, tertio diaconos.

QVOD ad rem attinet, nomine sacerdotis, si proprie loquamur, intelligitur homo fidelis ritu sacro ad facienda sacrificia ordinatus, siue cruenta secundum ordinem Aaronis, vt erant veteris legis sacerdotes, siue incruenta secundum ordinem Melchisedech, vt nunc sunt nouæ legis sacerdotes, qui quotidie S. Eucharistiam conficiunt, & sacrifi

sacrificium Missæ offerunt à Christo in extrema cœna institutum, cum dixit: *HOC facite in meam commemorationem.* Si vero improprie loquamur, voce sacerdotis intelligi potest, quilibet Christianus offerens Deo preces & opera bona. Quo sensu S. PETRVS in priore epistola omnes fideles alloquens dixit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.* Et S. Ioannes in Apocalypsi ait de Christo: *Fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo.* Vt enim improprie nos fecit reges, sic & sacerdotes. Deinde hi non offerunt, nisi spirituales hostias, vt appellat S. PETRVS, nempe preces & suspiria: proprie autem dicti offerunt veras hostias, vt in veteri lege, vitulos & agnos, in noua autem Christum ipsum. Nos autem hoc loco non agimus nisi de Sacerdotibus nouæ legis.

1. Pet. 2. 9.

Apoc. 1. 6.

1. Pet. 2.

CAPVT II.

De dignitate Sacerdotum.

SACERDOTII dignitas primo ostendi potest ex diuinis Scripturis, tam veteris, quam noui Testamenti. In veteri quidem primo occurrit exemplũ MELCHISEDECH, qui in Genesi vocatur *Sacerdos Dei altissimi*, in quo sacerdotij præstantia eminuit duabus ex causis. Prima, quia proprius & germanus fuit Christi Domini Dei & hominis typus; nã secundum humanitatem suam appellari voluit sacerdos, non secundũ ordinem Aaronis, sed secũdum ordinem Melchisedech, & ideo in Psalmo 109. quem omnes exponunt de Christo, ei dicitur: *TV es sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Secunda est, quia Abraham Patriarchæ, tanto

Gen. 14. 18.

Psal. 109. 4.

Gen. 14. 19. Heb. 7. 7. Dei amico, totque victoriis contra hostes claro, benedixit. Quo ex facto colligit Apostolus in epistola ad Hebræos, Melchisedec fuisse Patriarcham, licet iam haberet repromissiones, maiorem: *Sine contradictione* enim, inquit, *quod minus est, à meliore benedicitur.*

SECVNDO occurrunt veteris Testamenti sacerdotes, qui licet typi tantum fuerunt sacerdotum noui, tamen à Deo summo honore affecti sunt. primo quod eos non voluerit esse nisi ex stirpe nobilissima Aaron. 2. quod in terra filiorum Israhel, ipse voluerit, esse pars & possessio eorum: *Dixit enim Dominus ad Aaron*, vt est in Num. 18. 2. Numeris: *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israhel. Filiis autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* 3. quod in sacrificiis faciendis, aliisque ritibus peragendis tam nobili & pretioso vestitu eos vti voluerit, qui describitur in Exodo. Exod. 28. Nam summus sacerdos habebat octo peculiaria ornamenta, cæteri autem quatuor, quorum significationem late exponit S. THOMAS Aquinas in Summa Theologica. S. Th. 12. q. 102. art. 5. Quæ omnia proculdubio eo facta sunt à Deo, vt sacerdotes propter dignitatem officij quod gererent, in magno honore haberentur.

ADHÆC videmus inuasores sacerdotij grauissime à Deo punitos. Exemplum habemus Oziæ Regis in secundo Paralipomenon lepra fœdissima 2. P. ca. 26. 19. in fronte percussi, de quo S. HIERON. epistola ad Damasum Papam: *Ozias*, inquit, *sicut in Regnorum & Præteritorum libris legimus fuit vir iustus, & fecit*

& fecit rectum in conſpectu Domini, ædificans templum, &c. quodque maximum pietatis indicium eſt, habens multos in ſuo imperio Prophetas. Hic poſtquam Zacharias ſacerdos obiit, volens per ſe offerre donaria, ſacerdotalem ordinem non tam pie, quam audacter inuaſit, & reclamantibus Leuitis & Sacerdotibus cæteris audire noluit, ſtatimque lepra perfuſus in fronte eſt iuxta Prophetæ vocem dicentis: Imple Domine facies eorum ignominia. Quam corporis partem ſacerdos auri lamina protegebat, quam in Ezechiel dominus iubet Tau litteræ impreſſione ſignari: de qua Dauid exultauit dicens: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. CHRYSOST. in verba Iſaiæ; Vidi Dominum, ſcribens, benigne actum cum Ozia docet: *quia merebatur cum Core, Dathan & Abiron, de quibus in Numerorum libro, abſorberi à terra.* C. hom. 4. & 5. Num. 16.

POSTREMO ſacerdotes angeli nomenclaturam in Scripturis meruerunt. Malachias enim: *Labia*, inquit, *ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt.* In quæ verba S. HIERON. *Angelus*, ait, *id eſt, nuncius ſacerdos DEI veriſſime dicitur, quia DEI & hominum ſequeſter eſt, eiuſque ad populum nunciat voluntatem, & idcirco in Sacerdotis pectore Rationale eſt, & in Ratione doctrina & veritas ponitur, vt diſcamus ſacerdotem doctum eſſe debere, & præconem dominicæ veritatis.* Et S. GREGORIVS in Euangelia. Omnes qui Sacerdotij nomine cenſentur angeli vocantur, Propheta atteſtante, qui ait: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, quia angelus Domini exercituum eſt. Sed huius altitudinẽ nominis, etiam vos ſi vultis poteſtis mereri. Nam vnuſquiſque veſtrum, in quantum ſufficit, in quantum gratiam ſuperna aſpi-* Mal. 2. 7. H. in Malach. G. hom. 6.

rationis accepit, si à prauitate proximum reuocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum vel supplicium erranti denunciat, cum sanctæ denunciationis verba impendit, profecto angelus existit. Hæc ex Lege Veteri.

QVOD ad nouam Legem attinet, sacerdotij summa dignitas maxime apparet ex triplici potestate, quam Christus reliquit Apostolis & omnibus sacerdotibus. Prima est conficiendi Eucharistiam, hoc est, prolatione sola verborum consecrationis efficiendi, vt substantia panis & vini vere & realiter in substantiam corporis & sanguinis Christi, ac proinde in ipsum Christum Deum & hominem, transmutetur, quod firmissime Catholica credit Ecclesia, & S. Patres clare docue-
Ter. lib. 4. rũt. Citabo tres tantum vetustissimos. TERTVLLIANVS in Marcionem: *Acceptum panem*, ait, *corpus suum facit, dicendo. Hoc est corpus meum.* CYPRI. de Cœna Domini: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus*
A. cap. 9. *omnipotentia Verbi factus est caro.* AMBROSIVS libro de iis qui initiantur mysteriis: *Quantis vtimur exemplis, vt probemus non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit? maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur.* SECVNDA potestas est vere & proprie offerendi DEO Patri, non vitulos, hircos vel tauros, vti fecerunt sacerdotes veteris legis, sed ipsum Christum Deum & hominem, quo sacrificio, quod dicitur Missæ, nullum nobilius vel excellentius potest excogitari, quippe quod ratione rei oblatæ est infinitæ dignitatis. Vnde S. CHRYSOST. in Psalmum 95. *Magnus*, inquit,

inquit, *erat & sine modo numerus sacrificiorum in lege, quæ omnia noua superueniens gratia vno complectitur sacrificio vnam & veram statuens hostiam.* Et S. Leo sermone 8. de passione Domini: *Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum vna corporis & sanguinis tui implet oblatio.* Vtraq. hæc potestas tradita est sacerdotibus cum Christus in extrema cœna dixit Apostolis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Tertia potestas est soluendi & ligandi hominum peccata, tradita Matthæi 18. & Ioannis 20. vbi Christus ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ verba expendens S. Chrysost. libro 3. de Sacerdotio: *Quænam quæso, ait, potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit, cæterum video ipsam eandem omnifariam potestatem à filio illis (sacerdotibus) traditam: nam quasi in cœlum translati, ac supra humanam naturã positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid multa. Rex aliquis si cui ex subditis suis honorem hunc detulerit, vt potestatem habeat, quoscunque velit in carcerem coniiciendi, eosdemque rursus laxandi, beatus ille & admirandus omnium iudicio fuerit. At vero qui à Deo tanto maiorem accepit potestatem, quanto cœlum terra pretiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant; hic vilem eo vsque dignitatem accepisse nonnullis videri debet, vt vel in illorum cogitationem descendere queat, reperiri quandoque posse aliquem ex eorum numero, quibus tanta illa, quæ paulo ante dixi, fuerint concredita, cui ipsi munus suum sordescat, quique donum sibi à Deo datũ despiciat?* Et S. Hieronymvs ad Heliodorum: *Absit, vt de his quicquam sinistrum loquar,*

Luc 22 19. 1 Cor. 11. 24 Matth. 18. 18 Ioan. 20. 22. Hier. ep.

loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt: per quos & nos Christiani sumus, qui claues regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem Iudicij iudicant.

CAPVT III.

Eadem Dignitas ostenditur ex Patrum dictis.

C.lib.1.ep. 3. S CYPRIANVS ad Cornelium: *Quomodo possunt censuram Domini vltoris euadere, qui talia ingerunt non solum fratribus, sed & sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, vt quisquis sacerdoti eius, & ad tempus hic iudicanti non obtemperaret, statim necaretur. In Deuteronomio loquitur Dominus Deus dicens. Et homo quicunque fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit timebit, & non agent impie etiam nunc. Item ad Samuelem, cum à Iudæis sperneretur, Deus dicit: non te spreuerunt, sed me spreuerunt. Et Dominus quoque in Euangelio: Qui audit vos, inquit, me audit, & eum qui me misit, & qui reiicit vos, me reiicit.*

Deut.17.

1.Reg.8.

Luc.10.

C.l.3.ep. 9.

Eccl.7. Et ad Rogatianum: *Salomon in Spiritu Sancto constitutus testatur & docet, quæ sit sacerdotalis auctoritas, & potestas dicens: Ex tota anima tua time Deum, & sacerdotes eius sanctifica. Et iterum: Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes eius. Quorum præceptorum memor beatus Apostolus Paulus, secundum quod in Actibus Apostolorum legimus, cum ei diceretur: Sic insilis in Sacerdotem Dei maledicendo? respondit, & dixit: Nesciebam fratres, quia pontifex est.*

Act.23.

Exod.26. *Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices. Dominus etiã noster ipse Iesus Christus, Rex & Iudex & Deus*

& Deus noster vsq; ad passionis diem seruauit honorem Pontificibus & sacerdotibus, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi seruassent. Nam cum leprosum emundasset, dixit illi. Vade & monstra te sacerdoti, & offer donum. Humilitate ea, qua nos quoq; esse humilis docuit, sacerdotem adhuc appellabat, quem sciebat esse sacrilegum. Docuit enim sacerdotes veros legitime & plene honorari dū ipse circa falsos sacerdotes talis exiſtit. Matth. 8.

S. EPHRAEM Syrus sermone de Sacerdotio: *O miraculum stupendum, ô potestas ineffabilis. O tremendum sacerdotij mysterium, spirituale ac sanctum, venerandum & irreprehensibile, quod Christus in hunc mundum veniens etiam indignis impertitus est. Genu posito, lachrymis atq; suspiriis oro, vt hunc sacerdotij thesaurum inspiciamus, thesaurum, inquam, his, qui eum digne & sancte custodiunt. Scutum siquidem est refulgens, & incomparabile, turris firma, murus indiuisibilis, fundamentum solidum ac stabile, à terra ad axem vsque cœli pertingens. Quid dico fratres excelsos illos axes contingi? imo in ipsos cœlos cœlorum sine impedimento atque labore ascendit, & in medio angelorum simul cum spiritibus incorporeis facile versatur. Quid dico in medio supernarum virtutum? quin & cum ipso angelorum Domino atque creatore, datoreque luminum familiariter agit, & quantum vult confestim quæ postulat suo iure quodammodo impetrat, &c. multa.*

S. AMBROSIVS ad Irenæum: *Pythagoricum mandatum in aliquorum scriptis prædicari inuenimus, quo ille discipulos suos communem atque vsitatam populo prohibuerit ingredi viam. Sed hoc vnde assumpserit, non est incognitum. Legerat præceptum Moysi, vt montem cum sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret. Separauit igitur sacerdotes à populo, & postea ipsum* A lib. 1. ep. 6.

ipsum Moysen introire intra nubem præcepit. Vides diuisiones? nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio atque vsu & moribus inconditæ multitudinis. Sobriam à turbis grauitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis. Quomodo enim potest obseruari à populo, qui nihil secretum habet à populo, dispar à multitudine? Et ad Vercellensem Ecclesiam: *Vt aduertamus, quia in sacerdotibus diuina magis, quam humana operatur gratia, vna ex multis, quas Moyses per tribus acceperat & reconderat virga Aaron floruit, atque ita diuini iudicij munus spectandum, in sacerdote populus aduertit, ac destitit parem tibi humano iudicio vindicare gratiam, qui ante parem sibi prærogatiuam competere arbitrabatur. Virga autem illa quid aliud ostendit, nisi quod nunquam sacerdotalis marcescat gratia, & in summa humilitate habeat in suo munere comissæ sibi florem potestatis?*

Id. l. 10. ep. 82.

Num. 17.

Ch. hom. 5.

S. CHRYSOSTOMVS in verba Isaiæ: *Sacerdotium principatus est ipso etiam regno venerabilius ac maius. Ne mihi narres purpuram neque diadema, neque vestes aureas, vmbræ sunt istæ hæc omnia, verisq; flosculis leuiora. Omnis enim, inquit, gloria flos graminis, etiamsi ipsam gloriam regalem dixeris. Ne, inquam, mihi narres ista, sed si vis videre discrimen quantum absit Rex à Sacerdote, expende modum potestatis vtrique traditæ, videbis sacerdotem multo sublimius rege sedentem. Quanquam enim nobis admirandus videtur thronus regius ob gemmas affixas, & aurum quo obcinctus est, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec vltra potestatem hanc præterea quicquam habet auctoritatis. Verum sacerdoti thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus negotiis pronunciandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipse cœlorum REX. Quæcunque*

ligaue

ligaueritis super terram erunt soluta & in cœlis. Quid cum hoc honore conferri possit ? A terra iudicandi principalem auctoritatem sumit cœlum.

S. AVGVSTINVS ad Valerium Episcopum suum : *Ante omnia peto, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & latius, & hominibus acceptabilius, Episcopi, aut Presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum miserius & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo Imperator noster iubet.* A. ep. 148.

S. GREGORIVS ad Mauritium Imper. *Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquiis aliquando sacerdotes Dij, aliquando angeli vocantur. Nam & per Moysen, de eo qui ad iuramentum deducendus est, dicitur. Applica illum ad Deos, id est, ad sacerdotes. Et rursus scriptum est. Diis non detrahes, scilicet sacerdotibus. Et Propheta ait. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Quid ergo mirum si illos nostra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio homo, rem tribuens, eos, aut angelos, aut Deos ipse etiam appellat DEVS? Ecclesiastica quoq; testatur historia, quia cũ piæ memoriæ Constantino principi in scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant Episcopos conuocans in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit dicens.* Gr. l. 4. ep. 75. Exod. 22.

dicens: Vos dij estis, à vero Deo constituti. Ite, & inter vos causas discutite, quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos. In qua tamen sententia, pie Domine, sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe pagani in Republ. Principes fuerunt, qui verum Deum nescientes Deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum Sacerdotibus honorem maximum tribuebāt. Hæc ergo pietati Dominorū, non pro me, sed pro cunctis sacerdotibus suggero.

CAPVT IV.

De Virtutibus Sacerdotum.

PRIMA Virtus sit Immunitas ab omni vitio vel querela. Vult enim Apostolus Paulus in epistola priore ad Timotheum, & ad Titum non Episcopum modo, sed etiam sacerdotem quemlibet esse iustum & sanctum, immo irreprehensibilem. Nam nomine Episcopi ibi intelligi etiam sacerdotem liquet, cum post descriptionem Episcopi, non presbyteri, sed Diaconi descriptionem subiiciat, & S. PATRES id moneant: *Quisquis præsidentia cathedræ dignus censetur*, ait S. BASILIVS in Isaiam, *iamq; adscriptus est Ordini presbyteratus, qui talis est presbyter aut circumfert characterem præsbyteri, par est eum vel maxime esse irreprehensibilis vitæ, & expertem vxoris.* Et ante eum B. CYPRIANVS ad Stephanum: *Oportet sacerdotes & ministros, qui altari & sacrificiis deseruiunt, integros atque immaculatos esse, cum Dominus DEVS in Leuitico loquatur & dicat: Homo, in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona DEO. Item in Exodo hæc eadem præcipiat & dicat: Et sacerdotes, qui accedunt ad*

P. in ca. 3.

C. li. 2. ep. 1.

Leu. 21.

Exod. 19.

ad Dominum Deum sanctificentur, ne forte derelinquat illos Dominus. Et S. AMBROSIVS Vercellensi Ecclesiæ: *Neque mediocris virtus sacerdotalis est, cui cauendum non solum ne grauioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem, vt sit promptus ad misericordiam, promissum non remordeat, lapsum reuocet, compatiatur dolori, mansuetudinem teneat, pietatem diligat, iram repellat vel decoquat, sit quidam lituus plebis excitandæ ad deuotionem, mitificandæ ad tranquillitatem.* Et D. GREGORIVS in Pastorali: *Rector semper cogitatione sit mundus, quatenus nulla hunc immunditia polluat qui hoc susscepit officium, vt in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat, quia necesse est, vt esse munda studeat manus, quæ diluere aliorum sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida in se mens lutum tenet. Hinc namque per Prophetam Isaiam dicitur: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Etenim vasa Domini ferunt, qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas in suæ conuersationis fide susscipiunt:* Et paulo post: *Tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indesinenter intuetur, cum sanctorum vestigia sine cessatione considerat, & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem tendat.*

Ambros. l. 10. ep. 82.

Greg. 2. p. c. 2.

Isa. 52.

II. VIRTVS est, Morum grauitas & maturitas. Vult enim Apostolus Sacerdotem esse modestum & benignum, non litigiosum & iracundum. Vnde S. AMBROSIVS loco citato: *Refertur & ad exemplum, vt (velut Melchisedech) tanquam sine patre & sine matre Sacerdos esse debeat, in quo non generis nobilitas, sed morum eligatur gratia & virtutum prærogatiua. Sit in eo fides & morum maturitas, non alterum sine altero, sed vtrumque in vno cũ bonis*

1. Tim. 3. Tit. 1.

operibus conueniat & factis. Vnde nos Apostolus Paulus eorum vult esse imitatores, qui per fidem, inquit, & patientiam possident repromissiones Abrahæ, qui per patientiam promissæ sibi benedictionis meruit accipere &
A.l.2.ep.6. *possidere gratiam.* Et in epistola ad Irenæum: *Supergrediamur plebeias opiniones, & strata quædam gregalis conuersationis, ac detritæ viæ orbitas declinemus, ac*
Iob.9. *vulgaris semitæ solum quam currit ille, cuius vita leuior curssore: de quo dicitur: Transiuit & non vidit, sed quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium, inuiam operibus imperitorum, quam nullus maculosus deterat, maculosus scilicet ignauiæ suæ sordibus, & fimo iniquitatis oblitus, tenebrisque & parietibus quibusdam animæ ruinosus, qui nullam virtutis suauitatem gustauerit, aut certe lumis eam spectandam magis, quam directo affectu, & aperto sinu mentis suscipiendam arbitratus sit (& quod plerique amant, qui sibi faceti atque vrbani videntur, pulchritudinem sapientiæ in dedecus versutiæ transfigurantes) veram non intuens gratiam, tanquam in nocte positus non credit in die viuentibus.*

III. Est, Peritia tanta in diuinis Scripturis, vt alios docere possit: Apostolus enim vult eum esse
1.Tim.3. Tit.1.9. doctorem, & tantum quidem, *vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere:* Et Malachias Propheta: *Labia*, inquit, *Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Vnde S. HIERONYMVS scribens in verba
Agg.2. Aggæi: *Hæc dicit Dominus exercituum. Interroga sacerdotes legem. Considera*, inquit, *Sacerdotum esse officij de lege interroganti respondere. Si sacerdos est, sciat legem Domini: si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini sacerdotem. Sacerdotis enim est scire legem, & ad interrogationem respondere de lege. Quod quidem & in Deu*

in Deuteronomio legimus. Et ad Nepotianum de vita clericorum: *Diuinas scripturas sæpius lege, imo de manibus tuis nunquam sacra lectio deponatur. Disce, quod doceas, obtine eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt possis exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere. Sermo presbyteri scripturarum lectione conditus sit.* Et S. Leo ad Clerum Constantinopolit. *Si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venia.* Et C. Toletani Patres: *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas frequenter admonet Paulus Apostolus dicens ad Timotheum. Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ.* Deut. 17. Leo ep. 22. Tol 4 c. 24.

IV. Est Castitas. B. Paulus enim vult Presbyterum esse pudicum & continentem. Quod exponens S. Hieronymvs in epistolam ad Titum. *Pudicitia sacerdotalis postulat, vt non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam à tactu oculi, & cogitationis errore mens Christi corpus confectura sit libera.* Et S. Ambrosivs sermone 83. *Recte comparantur apibus sacerdotes, quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cœlestis exhibent, aculeum legis exercent: puri enim ad sanctificationem, suaues ad refectionem, securi sunt ad vltionem.* Et in commentario epistolæ primæ ad Timotheum: *Veteribus*, inquit, *idcirco concessum est Leuitis, aut sacerdotibus vxores ad vsum habere, quia multum tempus otio vacabant à ministerio aut sacerdotio. Multitudo enim erat sacerdotum, & vnusquisque certo tempore seruiebat diuinis cærimoniis. Nunc autem septem diaconos esse oportet,* 1. Tim. 3. Tit. 1.

& aliquantos presbyteros, vt bini sint per Ecclesias, & vnus in ciuitate Episcopus, ac per hoc omnes à conuentu feminæ abstinere debere, quia necesse eos quotidie præsto esse in Ecclesia, nec habere dilationem, vt post conuẽtum legitime purificentur. sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiam si non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada. Si enim plebeis hominibus orationis causa ad tempus abstinere se præcipit (Apostolus,) vt vacent orationi, quanto magis Leuitis, aut sacerdotibus quos die noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo esse debent cæteris, quia actores Dei sunt. S. CHRYSOSTOMVS homil. 2. de patientia Iob: *Dixit S. Paulus, vnius vxoris virum, non ea ratione, vt id nunc in Ecclesia obseruetur: oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse.* S. HIERONYMVS in fine Apologiæ pro libris contra Iouinianum: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eligantur, aut vidui aut certe post sacerdotium pudici.*

V. Studium precandi, & sacrificia offerendi pro se & populo: *Omnis enim Pontifex, (vel Sacerdos) ex hominibus assumptus,* inquit Apostolus, *pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona &*
Leu. 4. 26. *sacrificia pro peccatis.* Vnde in Leitico, quoties Princeps vel alius contra legem diuinam peccauerat, præscribitur quid facto opus sit, & additur: *Rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimitte-*
Ezech. 45. *tur ei.* HIERONYMVS in verba Ezechielis Prophetæ: *Et tollet sacerdos de sanguine. Pulchre,* inquit, *Sacerdotalis dignitas commonetur, cui subiecta sit officio, vt sciat se sacrificium & libamina quæ offeruntur ex vino pro populo offerre debere in cunctis sollennitatibus, vt faciat videlicet pro peccato ad expiandum pro domo Israhel, quæ est Ecclesia Dei viuentis columna & firmamen*

mamentum veritatis. Et in verba Ioëlis: *Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini & dicent: Parce Domine populo tuo,* &c. *Nota,* ait, *quod sacerdotibus præcipiat Deus, qui sunt ministri Domini, vt plorent inter templum & altare, & dicant cum Apostolo: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Et, Flete cum flentibus. Locusque aptus pœnitentiæ & confessioni templum est & altare, docetq; quid dicere debeant sacerdotes, imo quomodo Dominum deprecari. Et pepercit Dominus populo suo:* subdit Ioël. Orauerant enim sacerdotes cum lacrymis: *Aduersus arma, milites, Gothos quoque* ait S. AMBROSIVS in oratione de basilicis tradendis, *lachrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt sacerdotis.* Ioël. 2.

VI. Libertas spiritus in arguendis hominum delictis. Nam apud Isaiam sacerdoti à Deo dicitur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Et Timotheo sacerdoti ab Apostolo: *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*: Hac libertate vsus est, (cum Ozias Rex vellet adolere incensum super altare thymiamatis) *Azarias sacerdos*, vt est in historia Regum, *& cum eo sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi, qui restiterunt Regi atque dixerunt: Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium.* Quod factum expendens S. CHRYSOSTOMVS in verba Isaiæ: *VIDI Dominum, Vide*, ait, *libertatem, vide mentem seruire nesciam, vide linguam cœlos attingentem, vide libertatem incoercibilem, vide hominis corpus, & angeli mentem, vide humi ingredientem, & in cœlo* Isa. 58. 1. 1. Tim. 4. 2. 2. Par. 26. Ch. ho. 4.

versantem. Vidisti regem, nec vidisti diadema. Ne mihi dixeris esse regnum, vbi est legum transgressio. Non licet tibi adolere incensum, sed sacerdotibus isthuc datum est. Num mihi tuam vsurpasti purpuram? ne vsurpes meum sacerdotium. Non licet tibi adolere incensum. Hoc est filiorum Aaron, non dixit, cogita quid passi sint Dathan, Abiron & Core, quos insurgentes in Aaron terra deuorauit, sed tantũ ad recordationẽ historiæ adduxit. Rex autẽ non sustinuit admonitorẽ. Quid autem Deus? vbi sacerdos contẽptus est, dignitas q̃ sacerdotij conculcata, nec quicquã præterea potuit sacerdos (nã sacerdotis tantum est arguere, liberamq̃ præstare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iacula mittere.) Postquam autem Rex non cessisset, sed arma moueret, ibi sacerdos Deo. Ego, inquit, quod erat mei officij præstiti, nihil amplius possum, succurre sacerdotio, quod conculcatur. Quid igitur ille hominum amator? Continuo efflorvit lepra in fronte regis! Vbicunque est impudentia, illic est vltio. Vidisti humanitatem vltionis diuinæ, non fulmen emisit, non terram concussit, sed efflorvit lepra, non in alio loco, quam in fronte, vt facies præ se ferret vindictam, vt tanquam in columna litteræ essent impressæ.

1. Tim. 3. & 6. Tit. 1 8. VII. Contemptus diuitiarum. Apostolus enim à sacerdote exigit, vt sit hospitalis, non turpis lucri cupidus, victu & amictu contentus. S. HIERONYMI ad Nepotianum vox est: *Ignominia sacerdotis est propriis studere diuitiis.* Et in commentario epistolæ ad Titum: *Turpis quoque lucri appetitus ab eo qui Episcopus (vel presbyter) futurus est, esse debet alienus. Sũt enim multi docentes, quod non oportet turpis lucri gratia, qui totas domos subuertunt, & putant quæstum esse pietatem. Melior autem est iuxta. Salomo-*

Hep. 2. & in c. 1. ad Tit.

Prou. 16.

nem

nem modica acceptio cum iustitia, quam multa genimina cum iniquitate, & magis eligendum in paupertate nomen bonum, quam in diuitiis nomen pessimum. Qui altario seruierint, de altario viuant, inquit, non diuites fiant. Vnde & as nobis excutitur de zona, & vna tantum tunica induimur, nec de crastino cogitamus. Turpis lucri appetitio est plus quam de præsentibus cogitare. S. CHRYSOSTOMVS in epistolam ad Titum: *Non turpis lucri cupidum* vult esse sacerdotem, vel Episcopum, *hoc est, magnum pecuniarum contemptorem præferre.* Ch. ho. 2.

DE SENECTVTIS STATV.

CAPVT I.

Quid nomine Senectutis intelligatur.

SENECTVTIS nomine intelligimus extremum ætatis humanæ gradum, qui mortem antecedit. Vnde CICERO in Topicis eam vocat *Vitæ occasum.* & in Catone Maiore, *peractionem ætatis tanquam fabulæ*, id est, comœdiæ, quæ quinto actu clauditur. Quid vero aliud est vita nostra, nisi fabula vel comœdia? & nos alibi quintum ætatis gradum diximus esse senectutem. S. AVGVSTINVS epistola 110. *Senectus*, inquit, *aliam ætatem, quam speret, non habet; incertum est enim ipsa senectus, quamdiu sit homini: illud tamen certum est nullam remanere ætatem, quæ possit succedere senectuti, quia voluit DEVS.* C. de sen. in fine. C. Rodig. li 10. c 61. V adolescentia c. 1.

QVO autem vitæ humanæ tempore ini-

tium sumat Senectus, non conuenit inter Scriptores. Eruditi enim definiunt, Senectutem nihil aliud esse, quam frigidum & siccum corporis temperamentum, quod ex multitudine certorum annorum transacta proueniat. Quo vero ætatis flexu homo in huiusmodi temperamentum incidat, GALENVS de sanitate tuenda lib. 5. atque alij, aiunt non posse certa ratione præscribi, eo quod alij aliis de causis citius senescant. Si tamen generatim loquamur, non de singulis hominibus, sed de humana specie tota, fere omnes initium senectutis statuunt sub annum 56. vel 60. eo quod sub illud vitæ spacium vires corporis diminui incipiant, & calor naturalis hebescere.

G.c.9.

QVOD vero ad cursum & progressum Senectutis spectat, diuina Scriptura extremam senectutem videtur statuere in annis 70. vel ad summum, octoginta: *Dies annorum nostrorum*, inquit regius Vates, *in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Verum quia multi senes inueniuntur etiam ante annum septuagesimum infirmi & debiles, alij vero etiam post octogesimum validi & robusti, idcirco quidam hoc Psalmi dictum inter prouerbia vulgo tunc vsurpata referunt, alij mystice cum S. AVGVSTINO, interpretantur. Alij duplicem faciunt senectutem, vnam robustiorem, alteram languidiorem, quod conuenit cum descriptione ætatum à M. Varrone, Philone & Hieronymo in *titulo de adolescentia* tradita, & cum S. AVGVSTINO, qui in epistola supra allegata, adolescentiæ subiicit iuuentutem, iuuentuti vero grauitatem, & grauitati senectam; imo cum loco illo Scriptu-

Psal. 89. 10.

A. in Ps. 89.

A. ep. 110.

ræ:

Scripturæ : *Vsque in senectutem & senium ne derelinquas me.* In quæ verba ita idem AVGVSTINVS: *Duo ista nomina Senectutis sunt, & discernũntur à Græcis. Grauitas enim post iuuentutem aliud nomen habet apud Græcos, & post ipsam grauitatem veniens vltima ætas aliud nomen habet. Nam πρεσβυτης, dicitur grauis, & γηραλεος, senex. Quia verò in Latina lingua duorum istorum nominum distinctio deficit, de senectute ambo sunt posita, senecta & senium. Scitis autem esse duas ætates.* Postulat igitur Propheta, non solùm vsq; ad senectutem, sed etiam vsq; in senium; id est, decrepitam senectutem non derelinqui à Domino. Ps.70.18. A.conc.2.

CAPVT II.

De senectutis dignitate & præstantia.

DIGNITATEM, præstantiamq; huius ætatis supra alias antegressas, maximè si cum virtute coniuncta sit, Spiritus sanctus variis sententiis, formulisque loquendi in diuinis literis passim declarauit. Nam in Leuitico ait: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus*, nempe qui id impero. Et in Prouerbiis Salomonis: *Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperitur.* Et iterum: *Dignitas senum canities.* Et libro Sapientiæ: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Et apud Ecclesiasticum: *Ne spernas hominẽ in sua senectute, etenim ex nobis senescunt.* Et, *Quam speciosum canities iudicium, & presbyteris cognoscere consilium? Quam speciosa veteranis sapientia, & gloriosis intellectus & consilium? Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* Leuit.19. 32. Prou.10. 32 Prou.20. 29. Sap.4.8. Eccl.8.7. Eccl.25.6.

Dan.7.9. DEINDE Daniel describit Deum ipsum, vt maiestatem suam ostenderit, in Senis figura apparuisse: *Aspiciebam*, inquiens, *donec Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda.* In Apocalypsi quoque scribit sanctus Ioannes viginti quatuor seniores, aliis stantibus, proximè Dei assedisse. *Et in circuitu sedis*, ait, *sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor Seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Et ISAIAS vaticinatur Deum ad iudicium venturum cum senibus: *Dominus*, inquit, *ad iudicium veniet cum senibus populi sui.* Et, *Cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hierusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.*

Apoc. 4.4.

Isa.3.14.

Isa.24. 23.

ADHÆC Moyses & Aaron iam natu grandes delecti sunt à Deo vt essent duces populi Israëlitici, cúmque mandatum accepissent educendi populum ex Ægypto: *Vade*, ait ad Mosen, *& congrega Seniores Israël, & dices ad eos.* Lege autem lata in monte Sinai, *ascende*, inquit ad eum Deus, *ad Dominum tu & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta Senes ex Israël:* populum autem vetuit etiam montem contingere. Cùm verò idem Moyses apud Deum quereretur se solum non posse tantum populum regere, non alios ei adiunxit quam Seniores: *Congrega mihi*, inquiens, *septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quod Senes populi sint, ac magistri, & loquar tibi, & auferam de Spiritu tuo, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Denique quotquot populus Iudaicus habuit Iudices, qui in portis Vrbium publicas lites & contro

Exo. 3.16.

Exo. 24.1.

Nu.11.16.

controuersias dirimebant, vt liquet ex Deuteronomio & historia Ruth, ij ferè erant Seniores. Vnde Hieremias in Threnis deplorat eos sublatos, dicens: *Senes defecerunt de portis.* Nec alia de causa in veteri Testamento tam crebra mentio est. *Seniorum populi, Seniorum ciuitatis, Seniorum terræ, Seniorum Iudæorum*, quam quia apud illos præcipua authoritas in populo Israëlitico gubernando residebat. PAVLVS quoque Apostolus in nouo Testamento tantùm senectuti tribuit, vt Senes etiam delinquentes nolit reprehendi. *Seniorem*, inquiens ad Timotheum, *ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem.* Et sanctus Petrus in priore Epistola: *Adolescentes subditi estote Senioribus.* Deut. 22. 15. Thren. 5. 14. 1. Tim. 5. 1. 1. Pet. 5. 5.

IAM verò & S. PATRES honorificè de senectute locuti sunt. Nam S. ANACLETVS Pontifex Romanus, vt est apud Gratianum ait ob sapientiam presbyteris nomen suum delatum. Et ZOZIMVS Papa, apud eundem: *Decreta*, inquit, *Patrum senectuti sanxerunt reuerentiam.* S. HIERON. ad Nepotianum: *Senex crescente sapientia ætate fit doctior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit.* S. GREG. Nazianz. Apologet. 3. pro fuga. *Nihil senectute fortius, nihil amicitia venerabilius.* Et in plagam grandinis: *Veræ gloriæ corona Senectus est. Nam si iuxta Salomonis, meamq; sententiam, nemo ante mortem beatus habendus est, incertúmque est quid postera dies paritura sit, eo quod terrena hæc vita multis mutationibus obnoxia sit, quid tandem causæ afferri potest, quin is sui longum vitæ curriculum sine reprehensione confecit, & iam communis huius vitæ maris velut in portu est, tutiore ac proinde beatiore* A.c. fi. 84. d. Zo. contra statuta. 25. q. 5. H. ep. 2. Eccl 8. 8.

sit

sit statu, quam cui longa adhuc supereſt nauigatio? Et Apologetico primo: *Senectus cum prudentia coniuncta imperitæ iuuentuti anteponenda eſt, & conſulta tarditas inconſultæ temeritati, & exiguum aurum grauiſſimo plumbi ponderi, & parua lux denſiſſimis tenebris.* S. Basilivs de abdicatione rerum ad monachos: *Crede mihi, quoniam fraterne tibi, atque ex intimo animi receſſu loquor. Etiam difficilibus ac moroſis ſenibus aures libenter præbeto, qui prouerbiorum ſententiis adoleſcentes ad recta ſtudia cohortantur, neque oris tamen deformitate quidquam ipſis afferunt detrimenti.* Et in caput 3. Eſaiæ, *Orat*, inquit, *Eccleſia, ne à ſe auferatur presbyter, qui ea ſit dignus appellatione. Quanti id æſtimari debeat, didicimus in Abrahamo. In ſuperioribus ſiquidem generationibus plerique alij longè eo diuturniores in viuis conſeruati ſunt. Vixit enim Adam nongentis triginta annis, &c. Sed & Abraham teſtimonio Saræ, dictus eſt* πρεσβύτερος, *ſenior. Equidem ita contigit in hanc vſque ætatem. Dominus meus Senior. Plus ſenior erat, quod eius anima incanuiſſet virtute.*

A. li. 2. c. 8. S. Ambrosivs de Iacob & vita beata: *Beatus quidem & iuuenis, qui bene viuit, ſed magis beatus eſt ſenex, qui bene vixit. Quod enim iuuenis ſperat, adeptus eſt ſenior: quod ſenex fuit, optat hoc eſſe, qui iuuenis eſt. Quod autem poſſideas, eo quod adhuc ſperes, præſtabilius eſt.* Et in Pſalmum 36. *Bona iuuentus, ſed melior ſenectus. Qui enim vſque in finem perſeuerauerit, hic ſaluus erit. Vnde non perfunctoriè de Patriarcha Abraham dictum eſt, quod nutritus eſſet in ſenectute bona. Et Ioannes ſenex cœpit ſcribere Euangelium, vel epiſtolas, qui cum refugeret Apoſtolum ſe ſcribere, ſeniorem ſcripſit. Nec minor eſt æſtimatus cui cygnea quædam*

dam ſuppeteret gratia ſenectutis. Ipſe vas electionis Dominicæ ſcribens ad Philæmonem, ait: Cùm ſis talis, vt Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Chriſti Ieſu. ibi ſe ſenem gloriatus, vbi iam in vinculis tenebatur. Denique & Petrus ibi ſenex dicitur, vbi certamen eſt paſſionis. Cùm iunior, inquit, eſſes, cingebas te: cùm autem ſenueris, alius te cinget, &c.

ETHNICI quoque Scriptores de Senectute magnificè ſenſerunt. PLATO libro 3. de Legibus, & 5. de Repub. *Conſtat*, ait, *ſeniores imperare oportere, iuniores autem ſubeſſe.* ARISTOTELES addit *naturaliter Seniores iunioribus præeſſe.* PLINIVS auctor eſt in grege elephantorum maximum natu agmẽ ducere. Quod de formicis quoque in ſexto de animalibus perhibet Ælianus. M. TVLLIVS libro de Senectute ait, *nuſquam tribui tantum ætati quantum Lacedæmone, & nuſquam ſenectutem eſſe honoratiorem,* multisque exemplis declarat. Vnde prouerbium apud Græcos:

A. 7. polit. c. 14. Pl. l. 8. c. 5. Æl. c. 42.

Εν Σπάρτῃ μόνῃ λυσιτελεῖ γηράσκειν.
In Sparta ſola expedit ſeneſcere.

IVVENALIS de antiquis Romanis ita cecinit:

1. Sat. 13.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicunque puer: licet ipſe videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos:
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
Primaq́; par adeo ſacra lanugo Senectæ.

VALERIVS Maximus de iiſdem: *Iuuenes*, inquit, *Senatus die, aliquem ex P. C. aut propinquum, aut paternum amicum ad Curiam deducebant, affixiq́; valuis expectabant, donec reducendi officio etiam fungerentur. Inuitati ad cœnam, diligenter quærebant, quinam ei conuiuio*

V. li. 2. c. 1.

conuiuio essent interfuturi, ne Senioris aduentum discubitu præcurrerent; sublatáq; mensa priores consurgere, & abire patiebantur. CALLISTRATI quoque Iureconsulti dictum receptum est, & in Leges relatum, *Semper in ciuitate nostra Senectus venerabilis fuit. namque maiores nostri penè eundem honorem Senibus, quem Magistratibus tribuebant.*

L. semper. de iur. immun.

MVLTA denique alia indicant SENECTVTEM semper venerabilem fuisse. Nam primò phrasi Latina id quod nobis charum & pretiosum est antiquum vocamus. CICERO ad Atticum: *Ne dubitaris, quin quod honestius, id mihi futurum sit antiquius.* Apud eundem CATO refert Senatum à senibus mutuatum suum nomen. Vnde OVIDIVS 3. Fastorum.

C. l. 4. ep. 3. C. de Senect.

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani,
Inq; suo pretio ruga senilis erat.
Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen & ætatis mite senatus habet.

Olim, teste Iustino & Herodoto non alia de causa tot contentiones extitere inter Ægyptios, Phrygas, Scythas, Athenienses & alios, quam de antiquitate, quinam scilicet essent omniũ mortalium antiquissimi, vt inde maiorem sibi cõciliarent auctoritatem. In laudibus Vrbium, si aliqua sit antiqua, prima laus solet duci ab antiquitate. Regna, Imperia, successiones familiarum & hæreditatum non deferuntur nisi filiis senioribus. Quoties vel publicè vel priuatim bene de nobis meritis, faustum quippiam precari volumus, precamur longiorem vitam. Pontifici maximo in die anniuersario assumptionis ad Pontificatum gratulationis ergo acclamatur *AD MVLTOS annos.* Idem

I. lib. 2. H. lib. 2.

quiuis

quiuis Episcopus in exitu consecrationis suæ ter sibi acclamat. Idem in Conciliis acclamatur Papæ, Imperatori, Cardinalibus, Episcopis, Regibus eorumq; Legatis. Denique senectus est velut imago quædam æternitatis, tum quia omnes alias ætates complectitur, tum quia nullum definitum terminum habet, vt ait M. TVLLIVS, & olim in nongentesimum annum, eoq; amplius producta est. M. de Senect. Gen. 3. 27.

CAPVT III.

De Virtutibus Senectutis.

SENECTVTEM non posse tueri suam dignitatem sine virtutis præsidio, ita liquidum est, vt mortalium sapientissimus non dubitarit affirmare Senectutem non esse venerabilem, aut ex diuturnitate, aut annorum numero, sed ex vita immaculata, cui applaudit S. AMBROSIVS in epistola quadam ita scribens: *Verè senectus illa est venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea enim est reuerenda canities, quæ est canities animæ in canis cogitationibus, & operibus effulgens. Quæ est enim vere ætas Senectutis, nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus, sed seculis propagatur, cui sine fine est diuturnitas, sine debilitate longæuitas?* Sap. 4. 8. A. ep. 60.

PRIMA Virtus est PRVDENTIA. *In antiquis enim, teste* IOB, *est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Et Ecclesiasticus: *Quam speciosum canitiei iudicium, & presbyteris cognoscere consilium? Quam speciosa veteranis sapientia, & gloriosis intellectus & consilium? Corona senum multa peritia.* Et Apostolus ad Titum: *Tu autem loquere, quæ decent sanã doctrinam. Senes, vt sobrij sint, pudici, prudentes.* Iob. 12. 12. Eccl. 25. 6. Tit. 2. 1.

Anus

Anus similiter in habitu sancto, bene docentes, vt prudentiam doceant, adolescẽtulas, prudentes, castas, sobrias.

Eandem virtutem Senectuti tribuunt prisci PATRES. S. AMBROSIVS in Hexæmero: *Senectus ipsa*, inquit, *in bonis moribus dulcior, in consiliis vtilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior.* S. GREGOR. Nazianzenus in plagam grandinis: *Non æquo animo patior cedente canitie iuuentutem leges præscribere, tacente sapientia imperitiam iuuenili temeritate se in publicum inferre.* Et in sententiis: *Turpe est iuuenem sene imbecilliorem esse, senem autem iuuene stultiorem. Cæterùm ita vterque comparatus sit, vt senex quidem omni sapientiæ genere excellat, iuuenis autem ad corporis vires interdum prudentiam adiungat.* S. HIERONYMVS ad Nepotianum: *Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia, decrescunt cætera, ieiunia, vigiliæ & eleemosynæ.* Et paulò post: *Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit. Vnde & Sapiens ille vir Græciæ Themistocles, cum expletis centum & septem annis se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod tunc egrederetur è vita, quando sapere cœpisset.* Hæc autem virtus ita propria senum est, vt si aliquando adolescentes ea præstent nomenclaturam Senis mereantur. Ita S. BASILIVS, *Senior*, inquiens, *secundùm animam est, qui prudentia perfectus est, qualis erat Daniel, quanquam corpore iuuenis, sapientiam ac grauitatem omni canitie præstantiorem præ se ferens. Idcircò ei dicunt illi, qui erant pleni dierum malorum. Huc accede, sede in medio nostrum, nuntiaq;*

A. li. 1. c. 8.

Naz. orat.

Id. sent. 57.

H. ep. 2.

B. ho. 12. in Prouer. initium.

nuntiaque nobis, quomodo senioris ac presbyteri honorem tibi dederit DEVS. Sic S. Abbas Macharius Alexandrinus apud Palladium in Lausiaca πολιογέρων dictus est, quod in puerili ætate ob singulares virtutes senex habitus fuerit. CONTRA vero si senex sapientia destitutus sit, non senex, sed iuuenis vel puer appellandus est. Vnde Prouerbium natum: *Bis pueri senes.* Et illud quod de Græcis scribit CLEMENS Alexandrinus: *Pulcherrime Sacerdos ait apud Platonem Ægyptius, O Solon, Solon, inquit, Vos Græci semper estis pueri, nullam penitus in animis per veterem traditionem antiquam habentes opinionem: ex Græcis autem nullus est senex. Senes, vt arbitror, dicens, qui antiquiora, hoc est, nostra nouerant, vt rursus iuuenes, qui recentiora & fabulosa.* Fabulæ enim pueris congruunt. P.c.19. C.1.Strō.

II. Virtus est VACVITAS multarum animi perturbationum, quibus priores ætates fuere obnoxiæ, conuenienter dicto PAVLI: *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erāt paruuli*: Etsi enim quidam in extrema ista ætate verecundia omni abiecta nequitiæ prorsus frena laxarint, vt de Salomone Rege constat, cuius cor in ea à mulieribus fuit depranatum; & de Senibus Iudicibus, qui in concupiscentiam Susannæ exarserunt, id tamen præiudicare non debet cæteris senibus, quos experientia quotidiana docet minus iis vitiis deditos, quibus in iuuenili ætate fuerunt. Vnde S. CHRYSOSTOMVS in epistolam ad Hæbreos: *Sicuti corpus, vsquequo febribus detinetur, & subsequentibus agritudinibus, etsi sit validum, tamen affligitur: cum autem liberatum fuerit ab obsessione morborum, recreat* 1.Cor.13. 11. 3.Reg 11. Dan 13. Ch. hom. 7.

propriam virtutem: Sic etiã anima in iuuentute febribus laborat, & amor gloriæ opprimit eam, & deliciarum ac Venerearum rerum, & aliarum multarum perturbationum. Cum autem Senectus aduenerit, omnes has passiones effugat, alias per satietatem, alias per philosophiam constrictas. Vigorem enim corporis relaxans Senectus, nec si velit, animam illis vti permittit, sed sicut hostes diuersos recludens, velut in loco à turbis libero collocat & multam ei operatur tranquillitatem. Vnde merito PLATO dicebat; *Tum mentis oculus acute cernere incipit, cum primum defloreſcit corporis oculus.* Et PLINIVS, *Iuuenes adhuc confusa quædam, & quasi turbata non indecent. Senibus placida omnia & ordinata conueniunt, quibus industria sera, turpis ambitio est.* Ex ARISTOTELE quoque alias diximus ob perturbationes animi adoleſcentes à morali diſciplina arceri. Sunt enim, vt habet in ſecundo Rhetoricorum in omnibus affectibus nimij, *nimis amant, nimis oderunt, nimis cupiunt.* Et Græcus Poeta: *Senectus præclara ætas, quæ dominatur ſeruis, qui dominati fuerunt iuuentuti.* Et alius ex Ethnicorum Sapientibus: *Noli mihi compati, quod ſim ſenex: ſed cõpatere, quod iuuenis fui.* L. Annæi SENECÆ iam ſenis verba ſunt: *Non ſentio in animo ætatis iniuriam, cum ſentiam in corpore. tantum vitia, & vitiorum miniſteria ſenuerunt: viget animus, & gaudet non multum ſibi eſſe cum corpore: magnam partem oneris ſui depoſuit: exultat, & mihi facit controuerſiam de ſenectute. hunc ait eſſe florem ſuum: credamus illi, bono ſuo vtatur.*

Plato in conuiu.

Plinius li. 3. ep. 1.

Ariſtotel. Eth. c. 3.

Id. c. 12.

III. Virtus eſt longa EXPERIENTIA, cui non minus tribuendum exiſtimat Philoſophorum Princeps, quam demonſtrationibus in ſcientiis Theo

Ariſtot. 6. Eth. c. 11.

tiis Theoricis. Vnde & vulgò celebratum dictum, *Experientiam esse rerum magistram*: & apud A. GELLIVM exstat distichon Afranij in Togata: ca.quâ sit. de alect.in 6.

Vsus me genuit, mater peperit memoria,
Σοφίαν vocant me Graij, vos sapientiam. A. li. 13.c. 8.

Certè in administranda Republica in publicis cõsiliis, in bellis gerendis hæc virtus principatum facilè tenet. Sumas hominem, qui nunquam arma tractarit, nunquam castra, vel hostem viderit, quis huic licet omnium veterum Imperatorum res gestas legerit, licèt omnia militaris disciplinæ præcepta mente comprehenderit, audebit belli Ducem designare, vel aliquam Exercitus curam ei committere, si experientia sit destitutus? Quid in ipsis castris veteranos distinguit à tyronibus nisi experientia? Certè ALEXANDER Magnus à nullis ordines duci volebat, nisi sexagenariis experientiæ laude celebratis, teste IVSTINO. J.lib. 11.

Et Q. Curtius testatur in eiusdem historia prælium à iuuenibus apud Halicarnassum omissum ab Adarchia seniore fuisse redaccensum, eáque de causa maximo præmio affectum. Iam si conuertamus oculos ad omnes fere artes, tam quæ in actione, quam quæ in affectione versantur, inueniemus eas beneficio experientiæ natas & conseruatas. C.lib.5.

Rhetoricam ex ea natam, docet ARISTOTELES ad Theodecten, in primo Rhetoricorum. Quemadmodum enim ad videndum non modo oculus necessarius est, verumetiam lumen, sic in artibus nõ solùm necessaria sunt præcepta, sed etiam A.c.1.

vsus & experientia. Quis Medicũ vnquam magnifaciet, nisi experientiam cum medicinæ cognitione iunxerit? quis in pretio habeat aduocatum, qui nunquam forum viderit, forenses lites nunquam tractarit? Quis musicum, qui nunquam cecinerit? quis cytharedum qui cytharam nunquam attigerit? Prouerbium est, *difficile esse dare verba seni.* hoc est, in fraudem aliquam inducere, vel dolo circumuenire: cur vero, nisi quia diuturna experientia dicit omnes humanas fraudes & tendiculas? Vnde EVRIPIDES Poeta in Phœnicis.

Non prorsus omnibus grauis premitur malis
Fili Senectus: huic temporis longinquitas
Tribuit experientiam.

Tit. 2. 7. IV. Est AVCTORITAS & GRAVITAS morum. Quo spectat admonitio Apostoli ad Titum: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.* immo & 1. Tim. 4. 12. illa ad Episcopum Timotheum: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* hoc est, præsta, si non ætate, saltem moribus te senem, tuámque auctoritatem tuêre. Neque enim auctoritas ex canicie, & annorum multitudine, sed ex communi hominum existimatione sumitur, quæ est de sapientia, doctrina & vita immaculata, vt dixit Sapiens, eius qui aliis Sap. 4. 8. præsidet: *Senibus*, ait Fabius Quintilianus lib. 12. Qc 4. C. de Senect. *auctoritas maior est, quod plura nosse & vidisse creduntur*: Hanc auctoritatem CATO maior apud Ciceronem vocat SENECTVTIS apicem. Cuius exemplum præbuit B. IOB, qui licet ad extremam Iob. 29. 7. ætatem nondum peruenisset, tamen moribus senilem parauerat auctoritatem, quam verbis ipse palam declarauit, dum ita de se loquitur: *Quando proce*

do procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabam cathedram mihi. Videbant me iuuenes & abscondebantur, & senes assurgentes stabãt. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suã cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat, &c. GRAVITAS huius auctoritatis indiuidua comes est, cuius beneficio nihil seni permittitur vel in sermonibus, vel actionibus, quod non sit ab omni leuitate & contemptu alienum: *Vt in senibus grauitas*, inquit S. AMBROSIVS primo de Officiis, *in iuuenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia velut quadam dote commendatur naturæ*. Et libro 4. hexæmeron. *Quæ pueri risimus, ea senes commemorare qui possumus?* Et CICERO de Senectute: *Vt infirmitas puerorum est, ferocitas iuuenum, grauitas iam constantis ætatis, sic senectutis maturitas naturale quoddam habet, quod suo tempore percipi debeat*. Et infrà: *Vt libido magis est adulescentium, quam senum, nec tamen omnium adulescentium, sed proborum, sic ista senilis stultitia, quæ deliratio appellari solet, senum leuium est, non omnium.* Amb. c. 17. Id. c. 5.

V. Virtus est sobrietas. Hanc enim Apostolus ad Titum iis commendat: *Senes*, inquiens, *vt sobrij sint*. Anus quoque iubet *prudentes esse, castas & sobrias*. DICES Senectutem solere accusari, quasi plus æquo potationi deditam, vulgoque dici *lac senum esse vinum*, & idcirco Timotheum indiguisse Apostoli admonitione. Respondeo, etsi concedatur illos forte procliuiores esse ad vinum, quia tamen eorum natura deficiens id loco remedij quodammodo requirit, non est illis in vitio ponendum dummodo modum non excedant, ad quod periculũ respiciens Apostolus monuit eos, vt Tit. 2. 1. 1. Tim. 5. 23.

sobrij essent, maxime cum senum sit alios verbo & exemplo ad virtutes accendere. Qua de causa &
2. Tim. 4. 5. Episcopum Timotheū licet adolescētem commonefecit de sobrietate: *Ministeriū*, inquiens, *tuū imple.*
1. Tim. 5. 23. *Sobrius esto.* Et: *Vino modico vtere.* Vnde CATO Maior apud Tullium: *Non modo*, ait, *vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnopere desiderat. caret epulis, extructisque mensis & frequentibus poculis. caret etiam vinolentia & cruditate, & insomniis.* Et post: *Habeoque senectuti magnam gratiam, quæ mihi sermonis auiditatem auxit, potionis & cibi sustulit.*

Tit. 2. VI. Priori cognata est castitas vel pudicitia. Quo enim loco Apostolus vult senes & anus esse sobrios, vult item esse pudicos & castos. & supra S.
A. 1. hexæ. c. 8. AMBROSIVS, vbi laudauit senectutem velut
Cic. de sē. *in consiliis vtiliorem*, ibidem dixit eam *ad reprimendas libidines firmiorem.* & CATO Maior dum disputatione sua vindicat senectutem à voluptatibus, eam amantem temperantiæ & pudicitiæ facit: *Sequitur*, inquit, *tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O præclarum munus ætatis. Siquidem id aufert à nobis, quod est in adulescentia vitiosissimum. Accipite veterem orationem Architæ Tarentini. Nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis hominibus dicebat à natura datam, cuius voluptatis auidæ libidines temere & effrenatæ ad potiundum imitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum euersiones*, &c. Et iterum: *At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus: credo: sed nec desideratio quidem: nihil autem molestum, quod non desideres. bene Sophocles, quum ex eo quidam iam affecto ætate quæreret, vteretur ne rebus Venereis? Dij*

meliora.

meliora, inquit. Libenter vero istinc, sicut à Domino agresti ac furioso profugi.

CAPVT IV.

De commodis Senectutis.

PRIMVM commodum est, quod Senectus quasi continenter mortem, & iudicium, quo anteactæ vitæ ratio reddenda est, ob oculos senibus ponat: Nec enim potest senex diu viuere. Memoria vero mortis & iudicij, quam salutare sit antidotum, ad vitæ emendationem, contestatur Sapiens dicens: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7. 40. Cuius rei illustre exemplum habes apud S. Ioan. Climacum gradu sexto. Deinde, sicut qui in portum ex longa nauigatione peruenit, non est amplius solicitus, huc ne an illuc fluctibus feratur, sed animo & corpore conquiescit, sic qui ad extremam peruenit ætatem nullam amplius timet vitæ mutationem, sed tanquam in portu maris consistens longe beatiore huius vitæ fruitur statu, auctore Nazianzeno, quam is cui longa adhuc N. in plagam grandinis. supereſt nauigatio. SENECA alicubi ait, *eũ qui nouit ponere modum desideriis, posse cum Ioue de felicitate contendere*, id certe Senex ex seria meditatione mortis consequi potest, cum sibi nihil vel sperandum, vel timendum in præsenti vita supereſſe cernit, sed tantum ad futuri seculi expectationem consilia sua omnia transfert. Contra vero, qui diuini iudicij obliuiscitur, tanquam fræno abiecto, vt loquitur S. CHRYSOSTOMVS, in præcipitium defertur, cum dicat Propheta: *Inquinatæ sunt viæ illius omni tempore.* Ch. hom. 3. in Iob. cuius causam subdit, quia

auferuntur iudicia tua à facie eius. Quare assentatorum voces illæ, quæ Senes bono animo esse iubent, tanquam diutius victuri sint, pro noxiis & à dæmone immissis habendæ sunt, & NAZIANZENI monitum audiendum:

Semper saluti tu quidem studæ tuæ,
Potissimum autem sub diem vitæ vltimum.
Venit Senectus, exitum preco canit.
Parentur omnes, imminet iudex DEVS.

II. Commodum est, quod à nulla ætate tot præsidia ad consequendas exercendasque virtutes suppetant, atque à senectute. In primis vero ad Religionem, vel pietatem aduersus Deum: *Plus enim omnibus,* inquit S. CYPRIANVS libro de 12. Abusionibus seculi, *religioni operam dare Senibus competit, quos præsentis seculi florida ætas transacta deseruit. Sicut namque in lignis ipsa reproba arbor comparet, quæ post flores fructus optimos cultori suo non exhibet, sic & in hominibus ipse reprobus est, quem flos iuuentutis deserit, & tamen in sui corporis senectute bonorum operum maturos fructus proferre paruipendit. Quid enim stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitus senectute confectus ad interitum properat? Dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat, etiam homo interior, qui non senescit, his omnibus adgrauatur. Et hæc omnia ruituram iam iamque domum corporis cito pronunciant.*

C. abus. 2.

III. Commodum, quod hæc ætas aptissima sit ad summas Theologicas virtutes exercendas, fidem,

fidem, spem & charitatem, quod DEVS in Scripturis ostendit exemplo eius, quem ob harum virtutum præstantiam in eo vigentem omnium gentium constituit Patriarcham. Id non semel attestatus est B. PAVLVS, dicens: *Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam DEI non hæsitauit diffidentia, dans gloriam Deo.* Rom. 4. 18. Idem perhibet de vxore eius Sara: *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat. Propter quod & ab vno orti sunt: (& hoc emortuo) tanquam sydera cœli in multitudinem, & sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis.* Heb. 11. 12. Addit ibidem exemplum fidei Abrahæ per eximiam charitatem operantis. *Fide*, inquit, *obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est DEVS, vnde eum & in parabolam accepit.* Gal. 5. 6. Heb. 11. 17. Gen. 22. 12. In quo facto non modò eximia fides, spes & charitas in Deum, sed obedientia etiam singularis demonstrata est.

IV. Commodum, quod idem dici possit de aliis præstantissimis virtutibus, vt timore DEI, deuotione & studio precandi, de innocentia & integritate totius vitæ, diuinorúmque mandatorum & iustificationum obseruatione. TIMORIS siquidem Dei in iisdem Scripturis illustre habemus exemplum in sene SIMEONE, qui ob hanc aliásque virtutes dignus habitus est, vt primus in tẽplo Hierosolymitano suis vlnis exciperet Chri-

Luc.22.5. stum natum. *Et ecce homo*, inquit sanctus LVCAS, *erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israël, &*
Ibi. 36. *Spiritus sanctus erat in eo.* DEVOTIONIS verò in beata ANNA, de qua idem mox subiicit: *Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel, hæc processerat diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die.*

INTEGRITATIS quoque & irreprehensibilis vitæ, in S. Ioannis Baptistæ parentibus Zacharia &
Luc.1.6. Elizabeth grandæuis. *Erat autem*, inquit idem LVCAS, *iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.*

V. Commodum, quod & fortitudo animi vsque ad perpessionem mortis in senes magis conueniat, quam in alios. Nam cùm morti sint vicini, maiorem habent causam contemnendæ mortis, & profundendi etiam sanguinem pro Christo, cui tot annis seruierunt. Vnde S. AMBROSIVS in
A.li.1.c.3. hexæmero: *Senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consiliis vtilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior.* Exemplum habemus in libris Machabæorum Eleazari nonagenarij, qui maluit mortem oppetere, quam suilla contra diuinum mandatum vesci,
2.Mach.6. etiam per simulationem: *Non enim*, inquiens, *ætati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram.* In NOVO verò testamento S. Apo-
Ioã.21.18. stoli

stoli PETRI, cui Christus dixit: *Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cùm autem senueris extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo tu non vis.* Significans eum in extrema ætate aliquando in crucem exemplo Christi agendum: nam subiecit Euangelista: *Hoc autem ei dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* In quæ verba S. AVGVSTINVS tractatu 123. *Non crucifixus, sed vtique crucifigendus quo nollet est ductus: nam crucifixus, non quo nolebat abiit, sed potius quo volebat: solutus quippe à corpore volebat esse cum Christo, sed si fieri posset præter mortis molestiam vitam concupiscebat æternam: ad quam molestiam nolens ductus est, sed ab ea volens eductus est: nolens ad eam venit, sed volens eam vicit, & reliquit hunc infirmitatis affectum quo nemo vult mori, vsque adeò naturalem, vt eum B. Petro nec senectus auferre potuerit, cui dictum est: Cùm senueris, duceris quo non vis.* Addo alterum exemplum B. SYMEONIS Episcopi, filij Cleophæ, propinqui Saluatoris, & successoris S. Iacobi minoris in Hierosolymitana Ecclesia, qui teste Hegesippo apud EVSEBIVM libro Ecclesiast. historiæ tertio, etiam crucifixus est, mirantibus omnibus, quod homo ætate confectus (erat enim centum & viginti annorum) acerbissimos crucis dolores fortiter, constantérq; pateretur. Cuiusmodi fuerunt in Christiana religione complures alij, vt liquet ex Martyrologiis Sanctorum.

A. in Ioan.

E. c. 26.

VI. Commodũ est, quod senectute graues imprimis profuerint semper, & adhuc prosint Reip. siue Ecclesiasticæ, siue politicæ, tum consilio & auctoritate, tum conscribendis eruditissimis libris. Quos ideo felicius, quam iuniores in lucem edere

edere potuerunt, tum quod ob longam multorum annorum experientiam certius explorata habere potuerunt, quæ scribunt, tum quod ab attentatione, vel mordacitate solent esse alieniores. Eam laudem merito sibi vẽdicarunt SS. BASILIVS, Ambrosius, Gregorius Naziãzenus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Romanus, Bernardus & alij, qui ad extremum vsque spiritum libris scribendis & diuulgandis vacarunt. Scribit & ex Eth-

V.li.2.c.3. nicis VEGETIVS, agens de re militari, CATONEM Maiorem dixisse: *Quod plus se Reipublicæ crederet profuturum, si disciplinam militarem conferret in litteras. Nam vnius ætatis sunt, quæ fortiter fiunt: quæ verò pro vtilitate Reip. scribuntur, æterna sunt.* Certè auctore M. TVLLIO, idem CATO in libro de senectute, multos commemorat priscos Scriptores, qui in extrema ætate præclaros commentarios diuulgarint. *Est,* inquiens, *etiam quietè, ac purè atque eleganter actæ ætatis placida ac lenis senectus, qualem accepimus Platonis, qui vno & octogesimo anno scribens est mortuus. qualem Isocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto & nonagesimo anno scripsisse dicitur, vixitque quinquennium postea. Cuius magister Leontinus Gorgias centum & septem compleuit annos, neque vnquam in suo studio atque opere cessauit. Qui cùm ex eo quæreretur, cur tamdiu esse vellet in vita? nihil habeo, inquit, quod accusem senectutem. Præclarum responsum, & docto homine dignum: sua enim vitia insipientes, & suam culpam in senectutem conferunt.* Et infrà: *SOPHOCLES ad summam senectutem tragœdias fecit: quod propter studium cùm rem familiarem negligere videretur, à filijs in iudicium vocatus est. tum senex dicitur eam fabulam, quam*

in

in manibus habebat, & proximè scripserat OEDIPVM Coloneum recitasse iudicibus, quæsisseq;, num illud carmen desipientis videretur? quo recitato sententiis iudicum est liberatus. Num igitur hunc, addit, *num Hesiodum, Simonidem, Stesichorum, num quos ante dixi Isocratem, Gorgiam, num Homerum, num philosophorum principem Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num postea Zenonem, Cleanthem, Diogenem Stoicum coëgit in suis studiis obmutescere senectus? an in omnibus his studiorum agitatio vitæ æqualis fuit?*

VII. Commodum sit, quod senectuti plurima priuilegia summorum Pontificum decretis, Imperatorum constitutionibus, iureq; communi hactenus sint delata, de quibus multa apud Iureconsultos, vt PETRVM Gregorium in syntagmate, Tiraquellum, & alios. Inter ea sunt, Seniores ante alios sententiam dicere, priore loco sedere, primos consiliis & decretis subscribere, non posse eos sine venia in ius vocari, ad eos tanquam ad egregias personas iuramenta transmitti, in eundo alios præcedere, apud illos claues, annulos, sigilla custodienda deponi, in communibus actionibus eos aliis anteferri, & vt est apud Ciceronem de Senectute, studiosè Romæ & in aliis ciuitatibus obseruari, salutari, appeti, assurgi, deduci, reduci, consuli. Quanquam Christiana humilitas pleraque istorum declinat potius & refugit, nisi publici officij ratio, aut consuetudo iam recepta aliud postulet. G. par. 1. & 2. T. de iure primoge.

CAPVT V.

De Senectutis vitiis & incommodis.

ETsi plura aliarum ætatum sint vitia, quam senectutis, suis tamen vitiis & incõmodis non caret.

caret. Inter quæ primum locum iam olim obtinuit AVARITIA, sic vt TERENTIVS in Adelphis non dubiter scribere:

T.act.5.sc.3. *Ad omnia alia ætate sapimus rectius,*
Solum vnum hoc vitium affert Senectus hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.

Et HORATIVS agens de sene:

Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet vti.

A.ser.48. Et S. AVGVST. ad fratres in eremo: *Omnia in homine senescunt vitia, sola auaritia iuuenescit.* Quod vitium, neque S. Patres, neque Ethnicorum philosophi, in senibus probarunt. S. AVGVSTINVS in

8.ser.246. quodam sermone de tempore: *Nónne*, inquit, *in frigidis senibus auaritia ad acquirendum tanto feruentius inardescit, quanto citius relictura est, quod acquirit? Mirabili sane dementia: grauioribus enim se sarcinis onerare festinat, cùm iam peruenerit quo tendebat.* Et in

C.de Senect. eandem ferè sententiam CATO: *Auaritia verò senilis quid sibi velit non intelligo: potest enim quiddam esse absurdius, quam quominus viæ restat, eo plus viatici quærere.* Quanquam hoc vitium, si verum fatendum est, non tam senectutis, quam senum vitium est, vt dictus quoque Cato animaduertit: *At sunt*, inquiens, *morosi, & anxij & iracundi & difficiles senes: si quærimus, etiam auari: sed hæc morum vitia sunt, non senectutis. ac morositas tamen, & ea vitia, quæ dixi, habent aliquid excusationis, non illius quidem iustæ, sed quæ probari posse videatur.* DVPLEX siquidem est auaritia. Altera, quæ cum iniustitia coniuncta est, alienáque bona iniustè detinet, & ab omnibus passim damnatur, de qua nos non loquimur. Altera est, qua quis studet multo plus habere, quam necesse sit, aut sufficiat, de qua hic

sermo est. Contra quam Paulus dixit in epistola priore ad Timotheum: *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli.* Et in epistola ad Ephesios vocat *idolorum seruitutem.* Cuius appellationis causam reddit S. AVGVSTINVS lib. 11. de ciuitate Dei. *Auari*, inquiens, *frui volunt nummo, vti autem Deo, quoniam non nummum propter Deũ impendunt, sed Deum propter nummum colunt, quia nimirum, licèt Deum agnoscant & reuereantur tanquam rerum omnium parentem, immoderato tamen affectu, quo in sordibus pecuniæ inhæresunt, eum vltimum sui finem & summum bonum esse re & facto negare videntur.* Quod si affectus congerendarum opum aut seruandarum tam immoderatus non sit, videtur aliquid habere *excusationis, quod probari possit*, tum in seculari, si fiat ad prospiciendum liberis, tum in Ecclesiastico, si ad extruendum aliquando xenodochium, sacellum, altare. 1. Tim. 6. Eph. 5. 5. A. c. 25.

Quando autem affectus sit immodicus, ex duobus vel tribus ferè signis colligitur. Primum est, quando auarus suorum nummorum intuitu vehementer recreatur: *Auarus*, inquit sanctus AMBROSIVS, *semper aurum, semper argentum videt, semper redditus computat, gratius aurum intuetur, quam Solem.* Et apud Poëtam sic auarus quidam loquitur: A. ser. 64.

Populus me sibilat: at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

Secundum signum est, quando pecuniam velut rem sacram veneratus, ne attingere quidem audet; sed arctè collectam centum clauibus inclusam seruat, neminiq; vel locum vbi recluſa sit patefacit. Tertium est, quando nihil in pauperes, in loca pia,

pia, aliósque liberales vsus erogat, quando in ædibus omnia squalent, vestes sordent, mensa parcissima, supellex immunda, quando sibi quoque necessarium cibum & potum subtrahit, vt arcæ parcat.

II. Vitium in senibus est iracundia, quod paulò
A.c.13. ante in iisdem notauit CATO. ac ARISTOTELES quidem in secundo Rhetoricorum asserit iras senum acres & acutas esse. Verùm hoc vitium non ætatis, sed morum senilium quoque vitium est, & non est nisi in iis qui sibi imperare nesciunt. Iræ enim affectus, cùm in probis senibus prudentia & ratione regatur, tãtùm abest, vt sit vitium, vt etiam
B.ho.10. virtutis nomen mereatur. S. BASILIVS in homilia contra iracentes. *Ira*, ait, *bonarum actionum sæpe minister est, cumq; ratione ducitur, fortitudinem, iu-*
Cic. Tusc. 4. *stitiam, constantiamq; parit.* Et ideò veteres eam *fortitudinis cotem* appellabant. Et S. GREGORIVS 5.
G.c.32. Moralium: *Quando ira, vt instrumentum virtutis assumitur quasi ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo nunquam discedat.* imò S. CHRYSOST. in commentario Psal. 131. & in opere imperfecto in Matthæum, in homilia 11. docet eum peccare, qui cùm ratio docet esse irascendum, non irascitur: *Patientia enim præter rationem susceptа*, inquit, *est potius stupor quidam mentis, qui vitia seminat, negligentiam nutrit: qui autem opportunè excandescit, virtutem exercet præstantissimam, quia ira illa non ex perturbatione oritur, sed ex iudicio.*

III. Vitij vel incommodi loco sint ea, quæ commemorat HORATIVS in sua Poëtica:

Multa senem circumueniunt incommoda, vel quod
Quærit & inuentis miser abstinet, ac timet vti,

Vel

Vel quod res omnes timide, gelideq́; ministrat,
Dilator, spe longus, iners, auidusq́; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorq́; minorum.

VERVM, vt inquit CICERO, multa ex his non sunt vitia Senectutis, sed inertis, ignauæ & somniculosæ Senectutis, vt petulantia non est omnium adolescentum vitium, sed impurorum tantum. Deinde ea omnia, quæ ab Horatio numerata sunt, inter grauia vitia nullo modo sunt habenda, sed tantum ostendunt vina quamuis optima suas quoque habere fæces, quæ tamen vini suauitati & generositati nihil detrahant. C. de Senect.

IV. Et postremum incommodum est, quod senectus sit obnoxia morbis, imo vt loquitur TERENTIVS in Phormione: *Senectus ipsa morbus est.* Et vt canit Poeta Cornelius Gallus.

Hæ sunt primitiæ mortis, his partibus ætas
Defluit, & pigris gressibus ima petit.
Non habitus, non ipse color, non gressus euntis,
Non species eadem, quæ fuit ante, manet.
Labitur ex humeris demisso corpore vestis
Quæq́; breuis fuerat, iam modo longa mihi est.
Nec cœlum spectare licet, sed prona senectus
Terram à qua genita est, & reditura, videt.
Fitq́; tripes prorsus quadrupesq́;, vt paruulus infans,
Et per sordentem flebile serpit humum.

Quanquam ista incommoda non sunt in omnibus senibus, sed paucis decrepitis. Quædam etiam, vt CATO apud Tullium respondet, non senectuti, sed inualetudini tribuenda: *Quid mirum*, addit, *in senibus, si infirmi sunt aliquando, cum id ne quidem adolescentes effugere possint? Resistendum senectuti*

est, eiusq; vitia diligentia compescenda sunt, pugnandum tanquam contra morbum, sic contra senectutem. habenda ratio valetudinis: vtendum exercitationibus modicis, tantum cibi & potionis adhibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur. Deinde inquit, *ipsa defectio, adulescentiæ vitiis efficitur sapius, quam senectutis: libidinosa enim & intemperans adulescentia effœtum corpus tradit senectuti.* Hæc omnia sapiens CATO Maior.

H.apho. 13. Addo ex Hippocratis sententia solere *Seniores, vt plurimum minus quam iuuenes ægrotare*, quam confirmat quotidiana experientia in multis.

CAPVT VI.

De mediis perueniendi ad laudatam Senectutem.

Deut. 33. 25. Prou. 22. 6. PRIMVM medium est recta institutio adolescentiæ & iuuentutis. Nam in Deuteronomio ait Moyses: *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & Senectus tua* Et Salomon *Prouerbium est. Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Et

Eccl. C.ca.3. Ecclesiasticus: *Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo inuenies ea in senectute?* Et S. CYPRIANVS de 12. abusionibus: *Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuerit: Sic in Senectute honorem legitimum assequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicuius exercitatione non laborauit.*

A.cap.1. Et ARISTOTELES in secundo libro de moribus ait: *Non parum refert, quemadmodum ab adolescentia consuescat aliquis, sed quamplurimum, imo totum in eo cõsistit.* Atque huc pertinet Biantis dictum relatum à S. BASILIO in libro de legendis libris gentilium: *NEC Biantis*, inquit, *saluberrimum dictum præteribo, qui ad Ægyptios eunti filio ac percunctan*

cunctanti, quid ei maxime gratum faceret. Viaticum, inquit, senectutis possidendo, virtutem videlicet viaticum appellans, ac breui definitione describens, vt humanæ vitæ vtilitatem suppeditantem definiuit. CATONIS quoque apud Ciceronem hæc verba sunt: *Non cani, non rugæ repente afferunt auctoritatem, sed honeste acta superior ætas, quæ fundamentis adolescentiæ constituta fructus capit auctoritatis extremos.* C. de Senect.

II. Medium est, quod si recta institutio illa in adolescentia, vel etiam virili ætate neglecta aut cõtempta fuerit, non idcirco spes omnis laudabilis Senectutis secuturæ abiicienda est. Nam & LACTANTIVS cum dixisset, ætatem iuuenilem ex iis esse, quæ maxime ad delinquendum irritarent, subdit: *Multi tamen in prima ætate turpes, & omni iudicio damnati postmodum laudabiles extiterunt.* Et S. AVGVSTINVS: *Nonnullos,* inquit, *legimus & vidimus, qui aut adolescentiæ vanitate, seu ignorantiæ cæcitate decepti vario peccatorum genere tenebantur obnoxij, deinde ocyus ab errore conuersi, maiora adhuc opera fecisse iustitiæ, quam antea peccata admiserunt.* Et CICERO in oratione pro M. Cœlio: *Multi nostra,* ait, *& patrum maiorumque memoria summi homines, & clarissimi ciues fuerunt, quorum cum adolescentiæ cupiditates deferbuissent, eximiæ virtutes, firmata iam ætate exstiterunt, ex quibus neminem mihi necesse est nominare, nolo enim cuiusquam fortis atque illustris viri ne minimum quidem erratum cum maxima laude coniungere. Quod si facere vellem, multi à me summi atque ornatissimi viri prædicarentur, quorum partim nimia libertas in adolescentia, partim profusa luxuries, magnitudo æris alieni, sumptus, libidines nominarentur, quæ multis postea virtutibus obtecta adolescentiæ,*

qui vellet, excusatione defenderet. At nos in Christiana religione non dubitamus tales nominare, qui post adolescentiam perperam transactam tandem sanctissime in extrema senectute vitam clauserunt, imo in numerum sanctorum sunt relati, vt S. Maria Magdalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia pœnitens, quæ in profusa luxurie ante conuersionem vixerunt. Vt adolescens ille apud Eusebium à S. Ioanne Apostolo Episcopo commendatus, & ex latronum principe demum conuersus. Vt S. Moses Ægyptius qui item è latrone factus Anachoreta, multos alios latrones teste Nicephoro ad meliorem frugem reuocauit, imo & monachos fecit. Vt ipse S. Avgvstinvs, qui in libris Confessionum non dubitauit toti mundo patefacere ipse, quemadmodum adolescentiæ annos in omni licentia transegerit, ac tandem per pœnitentiam ad Deum syncere & serio conuersus fuerit; quod antidotum pœnitentiæ nemini etiamsi perditissime in decrepitam vsque ætatem vixisset à Deo negatum est.

E.lib.7.ca. 17.

N.l.11. ca. 36.

III. Medium est, vt quisquis ad Senectutem iam peruenit, cogitet non satis esse adolescentiæ & constantis ætatis annos cum laude percurrisse, sed nouo opus esse studio & vigilantia ad adaugendas virtutes pristinas: eoque magis quo animus in Senectute magis viget, & à perturbationibus magis est alienus, alioquin, vt dicebat Cato eo res esset indignior, cum cæteræ ætatis partes bene transactæ forent, extremum actum tanquam ab inerti Poëta fuisse neglectum. Hinc scripsit Cicero in primo de officiis: *nihil magis cauendum esse Senectuti, quam ne languori se, desidiæque dedat.*

& Ca

& CATO apud eundem: *Videtis, vt senectus non modo languida atque iners non sit, verumetiam sit operosa, & semper agens aliquid & moliens, tale scilicet, quale cuiusque studium in superiore vita fuit. Quid? quod etiam addiscunt aliquid: vt Solonem versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem senem fieri dicit: vt ego feci, qui Græcas litteras senex didici: quas quidem sic auide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens.*

IV. Medium est, sobrietas victus, potus. Vnde Ecclesiasticus cap. 37.34. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam.* Et Hippocrates ac Plinius docent varietatem & condimenta ciborum minuere vitam. & HORAT. li. 2. Satyra 2. canit: *Simul assis miscueris elixa, simul conchilia turdis, Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum Lenta feret pituita.*

V. Est, vt non ita se dedat laboribus, quin aliquando ab iisdem respiret, & corpus animumque honestis recreationibus oblectet, tanto alacrius ad consuetos labores reuertatur: *Nec enim delectatio & quies*, teste Aristotele in decimo Ethicorum, *propter se quæritur in humana vita, sed propter operationem.* Certe & Theologi probant Eutrapeliam. Vnde S. GREGOR. Nazianzenus in Maximum scribens sic loquitur de seipso: *Locus porro in quo spatiabar, maris ripa erat: soleo enim fere huiusmodi oblectamentis labores dissoluere ac relaxare, quandoquidem nec perpetuam contentionem neruus ferre potest, sed relaxare quandoque arcus cornua oportet: siquidem rursus intendendus sit, ac non sagittario inutilis tum futurus, cum eo vtendum erit. Fertur*, inquit IOAN. CASSIANVS in collationibus: *beatus Euangelista* A. cap. 6. S. Tho 22. q. 168 a 2. G. orat 28. C. coll. 24. cap. 21.

Ioannes, cum perdicem manibus molliter demulceret, quendam ad se habitu venatorio venientem dixisse: Tune es ille Ioannes, cuius fama celeberrima me quoque summo desiderio tuæ agnitionis illexit? cur ergo oblectamentis tam vilibus occuparis? Cui B. Ioannes. Quid est, quod manu tua gestas? Ait ille, arcus. Et cur, inquit, non eum vbique tensum circumfers? Cui ille respondit: Ne ingi curuamine rigoris fortitudo laxata molleſcat atque depereat. Nec nostri animi tam parua breuisque laxatio te offendat, ô iuuenis, inquit B. Ioannes: nam nisi rigor intentionis remissione aliqua relaxaretur, virtuti spiritus, cum necessitas poscit, obsecundare non poterit.

VI. Est ORATIO, hoc est, vt statum suum periculis plenum, & morti proximum sæpe Domino Deo commendent, & orent cum psalte regio: *Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea. Ne proiicias me in tempore Senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Et iterum: *Deus docuisti me à iuuentute mea, & vsq; nunc pronunciabo mirabilia tua. Et vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me.* Et: *Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiam.* Et: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*

Psal. 70. 5. & 9.
Ib. v. 17. 18.
Psal. 118. 36.
Psal. 24. 7.

CAPVT VII.

Quousq; homines à condito orbe ætatem produxerint.

RESTAT, vt breuissime inquiramus, quousque homines hactenus à conditi mundi scilicet temporibus, ætatem produxerint. Ex diuina certe Scriptura habemus eos vsque ad diluuium generale, hoc est, per mille quinquaginta sex annos, quosdam vsque ad nongentesimum produxisse, nullum

nullum autem ad milleſimum. Nam de primo omnium hominum parente ſic in Geneſ. loquitur diuina Scriptura: *Et factum eſt omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus eſt.* Et de Iared: *Et facti ſunt omnes dies Iared nongenti ſexaginta duo anni & mortuus eſt.* Et de Mathuſala: *Facti ſunt omnes dies Mathuſala nongenti ſexaginta nouem anni, & mortuus eſt.* Et de Noe. Et impleti ſunt dies eius nongentorum *quinquaginta annorum & mortuus eſt.* Vnde habes tres Adamo longæuiores fuiſſe, Iared, Mathuſala & Noe. Gen. 5. 5. Gen. 5. 20. Gen. 9. 29.

CVR autem tunt tam diu homines vixerint variæ redduntur à S. Patribus cauſæ. 1. eſt, bonitas naturæ hominis recens conditi, necdum tot morbis fractæ & vitiatæ, vt nunc eſt. 2. ſcientia Adami: nouerat enim perfecte naturales vires herbarum, fructuum, lapidum, aliarumque rerum, quæ vim producendi vitam humanam obtinebant, quibus vſus & ipſe eſt, poſteroſque vti docuit. 3. vt per longam vitam illorum hominum poſſet multiplicari genus humanum: id enim in iſto mundi exordio neceſſarium. 4. vt longæuæ vitæ beneficio inuenirent & excogitarent artes ad humanas neceſſitates vtilitateſque neceſſarias, quod fieri non poterat, citra diuturni temporis experientiam. Scite enim dictum eſt ab Ariſtotele tempus eſſe inuentorem & promotorem artium & ſcientiarum. Vnde Ioſephus in Antiquitatum Iudaicarum libris auctor eſt, Aſtronomiæ & Geometriæ diſciplinarum certitudinem non potuiſſe maiores noſtros aſſequi, ſi minus ſexcentis annis vixiſſent, cuius causã reddit, quod annus Magnus, quo elapſo eædem ſignificationes tempeſtatum & ſiderum, Ioſ. lib. 1. c. 3.

teſte Manilio, reuertuntur,tot annis definiatur.

NEC myſterio caret, quod nemo iſtorum longæuorum attigerit annum 1000. vt nempe indicaretur vitam illorum Patrum etiamſi diutiſſime vixerint, eſſe inſtar vnius diei reſpectu æternitatis iuxta illud Pſalmi: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit.* Cum quo conuenit, quod M. TVLLIVS in prima Tuſculana ſcripſit in hæc verba: *Apud Hypanim fluuium, qui ab Europæ parte in Pontem effluit, Ariſtoteles, inquit, beſtiolas quaſdam naſci, quæ vnum diem viuant. Ex iis igitur hora octaua quæ mortua eſt, prouecta ætate mortua eſt, quæ vero occidente Sole, iam decrepita; eo magis, ſi etiam ſolſtitialis dies fuerit. Confer noſtram longiſſimam ætatem cum æternitate in eadem propemodum ætate, qua illæ beſtiolæ, reperiemur.*

Pſal. 89.

OMNIBVS vero clauſula illa: *Et mortuus eſt,* in Scripturis appoſita eſt, vno Henoch excepto, vt liqueat DEVM veracem fuiſſe, qui dixerat Adæ in Paradiſo: *Si comederitis, morte moriemini:* dæmonem autem mendacē, qui promiſerat: *Nequaquam moriemini.* Deinde, vt eluceret diſcrimen inter hanc præſentem vitam, quæ morte finitur, & futuram vitam propter æternitatem interminabilem. Denique, vt oſtenderetur, nihil diuturnum eſſe, quod fine aliquo concluditur. Quicquid enim præteriit, quantumcunque fuerit, pro nihilo ducitur, vt apud Ciceronem philoſophatur CATO.

C. de Senect.

POST diluuium in ætate hominum id fere ſeruatum eſt, quod regius Propheta canit in Pſalmis: *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: Si autem in poteſtatibus octoginta anni & amplius eorum labor & dolor.* & Eccleſiaſticus: *Numerus,* inquit,

Pſalm. 89. 10.

Eccl. 18.8.

dierum

dierum hominum, vt multum centum anni, quasi gutta maris aquæ deputati sunt, & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui. Solus NOE post diluuium longius limites eos excessit: *Nam impleti sunt*, inquit Scriptura, *dies eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est.* Minus alij sequentes. De Thare enim patre Abraham ita loquitur: *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.* Et de Sara: *Vixit autem Sara centum viginti septem annis, & mortua est.* Et de Abraham: *Fuerunt dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni.* Et de Isaac: *Completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum.* Iacob vero eadem tribuit annos vitæ 147. IOSEPH annos 120. totidem Moysi. IOSVE annos 110. IOB 140. TOBIÆ 102. IVDITH 105. & IOADÆ Pontifici 130. PINEDA noster putat IOB annos 280. vixisse, si anni calamitatis annumerentur.

Gen. 2.29. Gen. 11. 32. Gen. 23.1. Gen.25.7. Gen.35. 28. Gen.47. 28. Deut.34. 7. Iud. 2.8. Iob.42.16. Tob.14.2. Iud.16.28.

IN NOVO quoque Testamento post natum Christum nonnulli sancti, (vt alios omittam) centesimum egressi sunt, vt S. SIMEON Hierosolymitanus Episcopus post Iacobum fratrem Domini ordinatus, Saluatoris propinquus, qui centum viginti annorum crucis martyrium constanter, teste Hegesippo apud Eusebium, pertulit. 2. est S. PAVLVS primus eremita, cuius vitam scripsit S. HIERONYMVS, & obiit anno 6. Constantij Imperatoris annum decimum tertiũ agens, supra centesimum. 3. est S. ANTONIVS, cuius vitam scripsit S. ATHANASIVS, & centũ quinque annos vixit. 4. est S. ARSENIVS, quem S. HIERON. numerat inter præcipuos eremi cultores, qui ad annum cẽtesimum, teste Simeone Metaphraste

2.Par.24. 15. Eus.l.3.c2. 26. H.ep.27.

peruenit. 5. sit S. ROMVALDVS Anachoreta, qui collapsam eremiticam disciplinam in Italia restituit, & teste P. PETRO Damiani Cardinale vixit annos centum viginti, quorum 20. in seculo, tres in cœnobio, reliquos vero exegit in solitudine.

Pl. lib. 7. c. 49. PLINIVS secundus gentilis de longæuis sui æui in naturali historia scribens: *Accedunt*, inquit, *experimenta & exempla recentissimi census, quem intra quadriennium Imperatores Cæsares Vespasiani, pater filiusque censores egerunt. Et vt multos omittam, inuenti sunt duo alter Bononiæ, alter Arimini centum quinquaginta annorum. In regione autem Italiæ octaua centenum annorum censi sunt homines quinquaginta quatuor: centenum denum homines quinquaginta septem: centenum vicenum quinûm homines duo: centenum tricenum homines quatuor: centenum quinûm aut septenum, totidem: centenum quadragenum homines tres.*

Nauclerus 361. DE IOANNE de Temporibus, qui tempore CAROLI Magni in trecentesimum annum vixerit fabulosam putamus historiam. Veriorem credimus de homine INDICO, qui nostro æuo in trecentesimum & septuagesimum eoque amplius adhuc spiritum trahit, sed vt apparet non sine miraculo. Ita enim nostræ Societatis Patres ex Indiæ Orientalis Residentia Peguana, Coccino ad 15. Octob. anni 1605. ad nos scripserunt: *Rem dicam*, ait Scriptor Petrus Eutitius, *quæ omnium hominum opinionem excedat, tot tamen testibus omni exceptione maioribus probatam, vt non adhibere fidem turpius, quã decipi sit. VIR est Ciandecani antea Ethnicus, nunc Maurus, à bobus scilicet ad asinos, qui quartam nunc hominum*

Ep. ad Claud. General.

*hominum viuit ætatem in optima valetudine ; trecentos & septuaginta annos vixit , ter senuit , tertioque rediit ad florentem ætatem. Tres vxores senio confectas deduxit ad tumulum. Filiam , nepotes habet nonagenarios. eius regni duodeuiginti Reges sibi mutuo post mortem superiorum succedentes vidit , aliaque huiusmodi narrat , quæ nisi vidisset , eisque interfuisset , vix ac ne vix quidem homo sine litteris ac rusticus didicisset. Hic in prima sua ætate cum adolesceret , ad vadum cuiusdam fluminis se hominem album flauo capillo , vestitum laneis , manibus ac pedibus , nec non latere transuerberatum flumen traiicere cupientem inuenisse dicit,eumq; ab se in humeros sublatum in alteram fluminis ripam fuisse delatum. Quo beneficio ille , quisquis fuerit volens gratiam referre,conuersus ad vectorem suum:Vade , inquit, non morieris , donec huc iterum redeam , atque hæc omnia meo subiiciantur imperio. Quibus dictis euanuit:nec dum eundem rediisse comperimus.HÆC ex P.Melchiore Fonseca , qui ex eodem homine hæc sæpe multis præsentibus scisciatus litteris mandauit , accepi , quibus omnes Patres ac Lusitani , qui huc ex Bengala , vt de re omnium sermone vulgata , redierunt , locupletissimi testes subscribunt.*IDEM habet PETRVS Maffæius historiarum Iudaicarum lib. 11. pag.213. Et addit : *Huic aliquoties iam deciderant dentes,aliis continuo subnascentibus : Et barba vbi prorsus incanuisset, in atrum denuo colorem idque paulatim semetipsa vertebat. Is propter miraculi nouitatem Sultani stipendiis ali consuetus idem vitæ subsidium ab Nonnio petiit. Nonnius haud grauate assignauit.*Hæc ille.

VIDE De Statu Ætatum, Adolescentiæ,Infantiæ,Pueritiæ.

DE

DE VIDVITATIS STATV.

CAPVT I.

Quid Nomine Viduitatis intelligatur.

NOMINE Viduitatis hoc loco intelligimus volũtarium cœlibatum post nuptias primas, vel à viro vel à muliere susceptum: qui si voto confirmetur proprie nomenclaturam STATVS Viduitatis vendicare sibi potest, propter immobilitatem conditionis viuendi quam à voto accipit, vt alibi diximus. Hanc sacram Viduitatem tanti fecerunt S. Patres, vt integros libros de ea & quidem ad pias Viduas, scripserint, vt S. AMBROSIVS librum vnum de Viduis. S. HIERON. epistola ad Saluinam de seruãda Viduitate, & ad Furiam, de eadem, quas ad Hedibiam quæstione prima vocat libellos. Scripsit & ad Agerucchiam viduam de monogamia. S. AVGVSTINVS de bono vel perfectione Viduitatis ad Iulianã, & epistola ad Probam, quam vocat religiosam famulam DEI. B. quoque FVLGENTIVS ad Gallam de consolatione super morte mariti, & de statu viduarum per multa capita. Quod autem S. Patres præcipue loquãtur de Viduitate Deo promissa per votum, ad quam & Viduas hortantur, liquet ex verbis S. AVGVSTINI: ita enim alloquitur Iulianam in libro citato: *Si nondum Deo vouisses continentiam vidualem, exhortaremur profecto vt voueres. Quia vero iam vouisti, exhortamur, vt perseueres. Talia mihi tamen video esse dicenda, quibus eam diligant & arripiant, & qua*

In præfat.
Amb. to. 1.
Hier. ep. 9. 10. 150.
Id. ep. 11.
A. ep. 121.
F. ep. 2.
A. c. 19.

quæ adhuc nubere cogitabant. Et ante eum TERTVLLIANVS de resurrectione carnis: *Virginitas & Viduitas, & modesta in occulto matrimonij dissimulatio, de bonis carnis DEO adolentur.*

AD hunc Viduitatis Statum hortatur Corinthios Apostolus, cum ait: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut ego. Quod si non se continent, nubant.* Ita enim intellexit verba S. AVGVSTINVS de bono Viduitatis, & Fulgentius ad Gallam: *Ait itaque Apostolus,* inquit ille: *Doctor gentium, vas electionis. Dico autem innuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego. Hæc verba ita intelligenda sunt, vt non existimemus non oportere innuptas dici, quia nuptias videntur expertæ: innuptarum enim nomine illas significat, quæ non sunt nuptiis alligatæ, siue fuerint, siue non fuerint. Quod alio loco aperit, vbi ait: Diuisa est mulier, innupta & virgo. Quando vtique & Virginem adiungit, quod mulierem innuptam nisi viduam vult intelligi? Vnde etiam deinceps vno innuptæ nomine professionem vtramque complectitur dicens: Quæ innupta est solicita est ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo: quæ autem nupta est, solicita est quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Innuptam certe non eam tantum intelligi voluit, quæ nunquam nupsit, sed etiam eam, quæ nuptiarum vinculo per viduitatem liberata nupta esse destitit: nam ideo & nuptam non dicit, nisi eam quæ virum habet, non etiam eam quæ non habuit, & non habet. Quapropter vidua omnis innupta est, sed quia non omnis innupta vidua est: sunt enim & virgines, ideo hic vtrumque posuit, vbi ait. Dico autem innuptis & viduis, tanquam diceret. Quod dico innuptis, non eis solis dico, quæ virgines sunt, sed etiam eis quæ viduæ sunt, bonum*

1. Cor. 7. 8.

Aug. ca. 2. Ep. 2.

1. Cor. 7. 33.

esse

esse illis, si sic permanserint, sicut & ego. Hæc Augustinus. Idem B. FVLGENTIVS: *Apostolici, ait, te oportet indesinenter meminisse sermonis, quo ait: Mulier innupta & virgo solicita est, quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu. Innuptam hic viduam dicit, non quia omnino non nupserit, sed quia viro mortuo soluta fuerit vinculo nuptiali, de quo alio loco dicit: Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Hanc ergo sanctam iubet esse, & corpore & spiritu.* Et infra: *Mulier ergo innupta, id est, vidua, cui præcipitur, vt sit sancta corpore & spiritu, sicut corpore desistit marito seruire, sic non debet corde carnalia cogitare.*

F.cap.5.
1.Cor.7. 34.
Ib.39.

CAPVT II.

De Præstantia Status Vidualis.

PRÆSTANTIAM Status vidualis possumus discere primo ex diuinis Scripturis; nam Scripturæ clare ostendunt ex omni genere hominum maxime Deo commendatas fuisse viduas & pupillos. nam olim in Exodo lex à Deo lata est: *Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.* Et in Deuteronomio de Deo dicitur: *Facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum.* Et in Psalmis: *Exultate in conspectu eius, turbabuntur à facie eius patris orphanorũ & iudicis viduarũ.* Et rursus: *Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet.* Et in Prouerbiis: *Domum superborum demolietur Dominus, & firmos faciet terminos viduæ.* 2. maxime Scriptura in eo reprehendit iudices & præsides

Exod.22. 22.
Deut.10. 18.
Psal.67.6.
Psal.145. 9.
Prou.15. 25.

fides populi, quod viduarum nullam rationem habuerint, vt in Psalmis: *Viduam & aduenas interfecerunt, & pupillos occiderunt. Et dixerunt, non videbit Dominus.* Et in Sapientiæ libro dicunt: *Opprimamus pauperem iustum, & nō parcamus viduæ.* Et apud Isaiam de iis dicitur: *Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Et apud Ieremiā: *Causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, nunquid super his non visitabo?* Et apud Ezechielem: *Pupillum & viduam contristauerunt apud te.* Deinde de Pharisæis Christus apud Matthæum: *Væ vobis*, inquit, *Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, propter hoc amplius accipietis iudicium.* 3. Scriptura omnem pietatem in visendis viduis collocat; nam Iacobus Apostolus ita loquitur: *Religio munda & immaculata apud DEVM & Patrem hæc est, Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* 4. iubet veras viduas honorari, & ad honorificum in Ecclesia gradum promoueri, vt in epistola priore ad Timotheum: *Viduas*, inquit Apostolus, *honora, quæ vere viduæ sunt.* Et infra: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor.* Eligebatur in diaconissam, quod erat munus præfecturæ, vt præesset instruendis in fide fœminis baptizandis, vt tradit Epiphanius in compendiaria doctrina. Debebat autem esse sexagenaria, quia auctore Chrysostomo in talibus non erat periculum incontinentiæ: vnique marito tantum copulata, quia hoc signum erat maioris honestatis & pudicitiæ, ait Theophylactus. Vnde S. AMBROSIVS libro de Viduis: *Viduis etiam honorificētia larga defertur, vt etiam ab Episcopis honorentur. Qualis autem eligi debeat ipso*

Pſal. 93.6. Sap. 2.10. Isa.1.23. Ierem. 5. 28. Ezech.22. 7. Matth.23. 14. Iac. 1.27. 1. Tim.5. 3.

docto

docto Doctoris sermone describitur. Non minus, inquit,
1. Tim. 5. 9. *sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor. Non quo senectus sola viduam faciat, sed quo viduitatis merita stipendia sint senectutis. Nam vtique illa præclarior, quæ calorem adolescentiæ & iunioris feruescentem edomat ætatis ardorem, nec mariti gratiam, nec vberiora liberorum oblectamenta desiderans, quam quæ effœta iam corpore, frigida senectute, matura æui, nec calere voluptatibus potest, nec sperare de partu.*

Ex S. Patribvs quoque præstantiam eiusdem Vidualis Status discere possumus. Et primo ex discrimine trium graduum Castitatis, quos illi assignant, vt S. Martialis epist. ad Tholosanos cap. 14. & 15. *Vltra hunc gradum*, ait, (coniugalem) *licite concessum homini, viduitatem in præmio maiori constituit Dominus. Ideo prædico vobis, quicunque in vobis viduitatem propter recompensationem elegerint, non fraudabuntur munere claritatis D E I.* Et S. Ambrosivs libro citato: *Docemur*, inquit, *triplicem castitatis esse virtutem. Vnam coniugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis. Non enim aliam sic prædicamus, vt excludamus alias. Suis quibusque professionibus ista conducunt. In hoc Ecclesiæ opulens disciplina: quod quos præferat habet, quos reiiciat non habet, atque vtinam nunquam habere possit. Ita igitur virginitatem prædicamus, vt viduas non reiiciamus: ita viduas honoramus, vt suus honos coniugio reseruetur. Non nostra hoc præcepta, sed diuina testimonia docent.* Deinde S. Hieronymvs libro 1. aduersus Iouinianum: *Vt poma*, ait, *ex arbore, frumentum è stipula, ita virginitas è nuptiis. Centesimus, & sexagesimus, & tricesimus fructus, quanquam de vna terra, & vna semente nascantur, tamen multum differt in numero.*

Triginta

Triginta referuntur ad nuptias: nam & ipsa digitorum coniunctio, quasi molli se complexans osculo & fœderans maritum pingit & coniugem. Sexaginta vero ad viduas, eo quod in tribulatione & angustia sunt positæ. Vnde & superiori digito deprimuntur, quantóque maior est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est præmium. Porro centesimus numerus, diligenter quæso Lector attende, de sinistra transfertur ad dextram, & eisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læua nuptiæ significantur & viduæ, circulum faciens, exprimit Virginitatis coronam. LEGE Marianum in scholiis Hieronymi. Eodem tendunt verba B. FVLGENTII ad Gallam. *Vtrumque,* F.c.6.
inquit, *donum Dei est, & coniugalis pudicitia, & continentia vidualis, vnusquisque enim habet proprium do-* 1.Cor.7.7.
num ex Deo: & illud quidem quantum in se est laudabile, quia bonum, hoc autem laudabilius, quia melius. Cõiugali namque seruitute, turpitudo vincitur fornicationis: viduali vero libertate crescit dignitas castitatis. Illic fides consulit infirmitati, ne cadat in vitium: hic se fidelis animus ad virtutis extendit augmentum. De coniugatis 1.Cor.7.2.
enim dicitur: Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. De vidua vero dicitur: Beatior autem erit si sic permanserit. Proinde in eo, quod ex coniugata facta es vi- Ib 40.
dua, donum DEI auctum tibi magis existima, non oblatum: neque enim te deseruit, qui tibi sequendam viam vitæ melioris ostendit: gradibus te voluit dominus ad meliora conscendere.

CAPVT. III.

Quanti fecerint Ethnici Castitatem Vidualem.

PATRES Prisci iidem, non neglexerunt commonefacere nos quãti olim solo lumine natu-

ræ ducti Ethnici fecere castitatem vidualem. Nam vetustissimus Latinorum omnium TERTVLLIANVS, (licet in eo errore hæretico lapsus fuerit, quod solam Monogamiam licitam voluerit Christianis,) ita de illis testatur in fine Exhortationis suæ ad Castitatem: *Monogamia apud Ethnicos in summo honore est, vt & virginibus legitime nubentibus vniuira pronuba adhibeatur, & si auspici initium est. Item in quibusdam solennibus, & Auspiciis, vt prior sit vniuiræ locus. Certe Flaminia non nisi vniuira est, quæ Flaminia lex est. Nam duo ipsi Pontifici Maximo iterare Matrimonia non licet, quod Monogamiæ gloria est.* Et infra: *Erunt nobis in testimonium & feminæ quædam seculares, ob Vniuiratus obstinationem famam consecutæ: vt Dido, quæ profuga in alieno solo, vbi nuptias Regis vltro optasse debuerat, ne tamen secundas experiretur, maluit è contrario vti, quam nubere.* S. HIERONYMVS in libro primo aduersus Iouinianum: *Veniam,* inquit, *ad maritatas, quæ mortuis, vel occisis viris, superuiuere noluerint, ne cogerentur secundos nosse concubitus, & quæ mire vnicos adamauere maritos, vt sciamus digamiam apud Ethnicos etiam reprobari. Dido soror Pygmalionis, multo auri & argenti pondere cõgregato in Africam nauigauit, ibique vrbem Carthaginem condidit, & cum ab Iarba Rege Lybiæ in coniugium peteretur, paulisper distulit nuptias, donec conderet ciuitatem. Nec multo post extructa in memoriam mariti quondam Sichæi pyra, maluit ardere, quam nubere. Casta mulier Carthaginem condidit, & rursum eadem vrbs in castitatis laude finita est.* Et multo post: *Martia Catonis filia minor, cum quæreretur ab ea, cur post amissum maritum, denuo non nuberet, respondit non se inuenire virum, qui se magis vellet, quam suã.*

Quo

Quo dicto ostendit diuitias magis in vxoribus eligi solere, quam pudicitiam, & multos non oculis, sed digitis vxores ducere. Eadem cum lugeret virum, & matronæ ab ea quærerent, quem diem haberet luctus vltimum, ait, quem & vitæ. Arbitror, quæ ita virum quærebat absentem, de secundo matrimonio non cogitabat. Brutus Portiam virginem duxit vxorem. Martiam Cato non virginem. Sed Martia inter Hortensium Catonemque discurrit, & sine Catone viuere Martia potuit, Portia sine Bruto non potuit. Magis enim se vnicis viris applicant feminæ, & nihil aliud nosse magnum arctioris indulgentiæ vinculum est. Ananiam cum propinquus moneret, vt alteri viro nuberet, esse enim ei & ætatem integram, & faciem bonam. Nequaquam, inquit, hoc faciam. Si enim virum bonum inuenero, nolo timere, ne perdam: si malum, quid necesse est post bonum pessimum sustinere? Portia minor cum laudaretur apud eam quædam bene morata, quæ secundum habebat maritum, respondit: Felix & pudica matrona, nunquam præterquam semel nubit. Marcella maior rogata à matre sua, gauderetne se nupsisse, respondit, ita valde, vt amplius nolim. Valeria Messalarum soror, amisso Seruio viro, nulli volebat nubere. Quæ interrogata cur hoc faceret, ait sibi semper maritum Seruium viuere. Sentio in catalogo fœminarum multo me plura dixisse. Sed quid faciam, cum mihi mulieres nostri temporis Apostoli ingerant auctoritatem, & necdum elato funere prioris viri memoriter digamiæ præcepta decantent? Vt quæ Christianæ pudicitiæ despiciūt fidem, discāt saltem ab Ethnicis castitatem. Hæc ille in Iouinianum. Idem in epistola ad Ageruchiam de Monogamia. *Legimus*, ait, *in veteri Testamento, semel maritatas filias Sacerdotum, si viduæ fuerint, vesci debere de sacerdotalibus*

cibis, mortuisque sic à patre exhibendum inferiarum officium. Sin autem alios viros acceperint, alienas eas à patre & sacrificiis fieri, & inter externas debere deputari. Quod quidem obseruat & gentilitas in condemnationem nostri, si hoc non exhibeat veritas Christo, quod tribuit mendacium diabolo, qui & castitatem reperit perditricem. Hierophanta apud Athenas euiratur, & æterna debilitate fit castus. Flamen vnius vxoris ad sacerdotium admittitur, Flaminica quoque vnius mariti eligitur vxor. Ad tauri Ægyptij sacra semel maritus assumitur. Sequitur, vt dicamus de Vtilitate.

CAPVT IV.

De Vtilitate castitatis Vidualis.

A.c.6. VTILITATEM Status Viduitatis, vt loquar cum B. AMBROSIO libro secundo, de Officiis, *non pecuniarij lucri æstimatione subducemus, sed*

1.Tim. 4. 8. *acquisitione pietatis, sicut Apostolus ait: Pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ præsentis & futuræ. Itaque in Scripturis diuinis, si diligenter quæramus, sæpe inuenimus,* inquit ille, *quod honestum est vtile vocari.* Et paulo post: *De hac igitur tractandum est vtilitate, quæ sit plena honestatis, si-*

1. Cor. 7. 35. *cut ipsis verbis definiuit Apostolus dicens: Hoc autem ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum iniiciam vobis, sed ad id quod honestum est. Liquet igitur, quod honestum est, vtile & iustum esse. Vulgo quidem hoc solum vtile dicunt, quod quæstuosum. Nos autem de ea tractamus vtilitate, quæ damnis quæritur, vt Christum lucremur, cuius quæstus est, pietas cũ sufficientia. Est ergo vtilitas alia corporalis, alia pietatis, sicut diuisit Apostolus. Corporalis enim exercitatio ad modicũ,* inquit,

vtilis

vtilis est: pietas autẽ ad omnia vtilis est. Quid autem tam honestum quã integritas? quid tam decorũ, quam immaculatum seruare corpus, & inuiolatum atque incontaminatum pudorem? Quid etiam tam decorum, quam vt vidua vxor defuncto coniugi fidem seruet? Quid etiam hoc vtilius, quo regnum cœleste acquiritur? Sunt enim qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Hucusque S. AMBROSIVS. Ex his verbis ergo, vel potius Apostoli habemus Castitatem Vidualem ad duo esse vtilem, primo ad seruandam maximam honestatem & decorum. 2. ad regnum cœleste acquirendum, quod à Christo promittitur omnibus castrantibus se propter illud. Ad quod etiam respexit S. Paulus, suadens Viduæ ne secundo nubat, cum causam adiecit hanc: *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.* In quæ verba alibi S. AMBROSIVS: *Beatiorem esse in viduitate perseuerantem, non tantum suo consilio, sed etiam Dei Spiritu definiuit. Quænam igitur talis consiliarij benignitatem recuset, qui & voluntati habenas indulgeat, & id suadeat aliis, quod in se expertus vtile iudicauit, non facilis comprehendi, nec fastidiosius æquari?*

Matth. 19. 12.

1. Cor. 7. 40.

Ambrosius de Viduis.

QVOD ad primam vtilitatem honesti & decori attinet S. HIERONYMVS ad Ageruchiam ita loquitur: *Quid si statim secundum* (maritum) *perdiderit*, VXOR? *societur & tertio: & si ille dormierit in quartum quintumque procedat, vt nihil sit, quo à meretricibus differat. Omni ratione viduæ prouidendum est, ne castitatis primos excedat limites: quos si excesserit, & verecundiam ruperit matronalem, in omnem debacchabitur luxuriam. Quid igitur damnamus secunda matrimonia? minime, sed prima laudamus. Abiicimus de*

Hieronymus ep. 11.

Ecclesia digamos? absit, sed monogamos ad continentiam prouocamus. Et infra. *Rem dicturus sum incredibilem, sed multorum testimoniis approbatam. Ante annos plurimos, vidi duo inter se paria vilissimorum è plebe hominum comparata: Vnum, qui viginti sepelisset vxores: alteram, quæ vicesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio, virorum pariter ac feminarum, post tantas rudes, quis quem prius efferret vicit maritus, & totius Vrbis populo confluente coronatus & palmam tenens, adoreamque per singulos sibi acclamantes vxoris feretrum præcedebat. Quid dicemus tali mulieri? nempe illud, quod Dominus Samaritanæ: Viginti duos habuisti maritos, & iste à quo sepelieris non est tuus.* Hęc ille in eos qui omnes decori limites excesserunt.

VTILITATEM aliam Monogamiæ, vel Castitatis Vidualis non tacuit Apostolus in eadem priori ad Corinthios, dum æque ac Virgini promittit, si à secundo coniugio abstineat, sanctitatem spiritus & corporis, & quietem maximam ab huius seculi curis: *Qui sine, ait, vxore, est, solicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat DEO. Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Et mulier innupta & virgo, cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Porro hoc ad vtilitatem vestram dico. Quæ igitur*, inquit Ambrosius de Viduis, *refugiat sancta fieri corpore & spiritu, cum supra laborem sit præmium, supra vsum gratia, supra opus merces?*

1. Cor. 7. 34.

Adiungit idem Sanctus & alias vtilitates, quas ponam eius verbis: *Nam*, inquit, *confectis & miles stipendiis arma deponit, & relicto officio quod gerebat ad propria veteranus rura dimittitur, vt & ipse exercitę labori*

Ex lib. de Viduis.

laboribus vitæ requiem consequatur, & alios spes futuræ quietis subeundis faciat operibus promptiores. Agricolæ quoque maturior torquendam aliis stiuam committit, & iuuenili grauatus opere proui dentiam curæ senilis explorat: vitem facilis tondere, quam premere, vt iuueneſcentum luxuriam reprimat, & adoleſcentum laſciuiam falce ſuccidat: parcorum quandam partuum caſtitatem docens etiam in vitibus expetendam. Similis huic vidua velut emeritis veterana ſtipendiis caſtitatis, etſi coniugij arma deponat: domus tamen totius pacem gubernat.

Vidua monogama non otioſa eſt.

Rurſum ibidem: *Sed fortaſſe aliquibus propter ſuſcipiendos liberos coniugia iteranda videantur. Quod ſi filiorum ſtudium cauſa nubendi eſt, vtique vbi eſt fructus filiorum, cauſa non ſuppetit: quanquam cuius conſilij ſit, iterum experiri velle fruſtra tentatam fœcunditatem, aut ſubire quam pertuleris orbitatem? Hæc enim iterandi cauſa eſt filios non habentibus. Ergo illa quæ liberos ſuſcepit, & perdidit. (cum ipſa enim maior contentio, quæ ſpem generandi habet) illa, inquam, nónne ſibi videtur inter ipſa repetitarum fœdera nuptiarum, amiſſorum prætexere funera filiorum? Nónne iterum paſſura, quod repetit, & ad ipſos votorum tumulos, exceptarum orbitatum imagines lamentorum ſtrepitus perhorreſcit? Cur igitur filia dolores magis, quos times repetis, quam filios, quos iam non ſperas requiris? Si grauis eſt dolor, ſubterfugienda cauſa eius eſt, non petenda. Nam tibi quid conſilij tribuam, quæ liberos habes? Quæ tibi cauſa nubendi? niſi forte leuitatis error, & intemperantiæ vſus, & ſaucij cogit pectoris conſcientia? Sed conſilium ſobriis, non ebriis datur. Et ideo apud liberam conſcientiam mihi ſermo eſt, cui vtrumque integrum eſt. Habeat ſaucia remedium, honeſta conſilium. Tu,*

Inutile eſſe viduas nubere iterum, ſiue liberos habeant, ſiue non.

inquam, filia quid moliris? cur hæredes extraneos, cum habeas tuos? Non filios desideras, quos habes. sed seruitutem, quam non habes. Generare liberos vis, non fratres futuros tuorum, sed aduersarios filiorum. Quid est ergo generare alios liberos, nisi spoliare, quos habes liberos, quibus pariter & auferuntur pietatis officia, & compendia facultatum?

Denique addit S. AMBROSIVS & aliam vtilitatem, quod abstinens ab altero coniugio, magis conformatur primis Patribus, ipsique Ecclesiæ: *Lex diuina*, ait, *cœlesti inter se coniuges auctoritate constrinxit, & difficile manet mutuus amor. Tulit enim costam de viro, & formauit feminam, vt sibi eos inuicem copularet, dicens: Et erunt duo in carnem vnam. Non hoc de secundis, sed primis nuptiis dixit. Neque enim Eua secundum accepit virum, neque sancta Ecclesia secundum agnouit virum. Sacramentum enim illud magnum est in Christo & in Ecclesia, & ideo custodiendum est. Sed neque Isaac aliam præter Rebeccam scuit vxorem, neque Abraham pater aliam, nisi cum Saram sepeliuit vxorem.* Ita S. HIERONYMVS ad AGERVCHIAM: *Prima hominis creatura nos doceat, plures nuptias refutare. Vnus Adam & vna Eua, imo vna ex eo costa separatur in feminam: rursusque quod diuisum fuerat nuptiis copulatur dicente Scriptura: Erunt duo in carnem vnam non in duas, nec in tres. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, certe non vxoribus. Quod testimonium Paulus edisserens ad Christum refert, & ad Ecclesiam, vt primus Adam in carne, secundus in spiritu monogamus sit. Sit vna Eua mater cunctorum viuentium, & vna Ecclesia parens omnium Christianorum.*

Gen. 2. 24.

Eph. 2. 31.

Hier. ep. 11.

Gen. 2. 24.

CAPVT

CAPVT V.

De proprietatibus Viduitatis.

INTER Viduæ, de qua agimus, Proprietates vel Virtutes prima esse debet, vt immunis sit à peccato graui, nempe lethali, vt si vidua viuat in delitiis huius seculi, nam, vt loquitur Apostolus: *quæ in delitiis est, viuens mortua est. Quid sibi vult,* ait HIERON. epistola ad Furiam, de viduitate seruanda, *hoc quod ait, Viuens mortua est? Viuere quidem videtur ignorantibus & non esse peccato mortua, sed Christo, quem secreta non fallunt, mortua est. Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, & quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Quod dicit, istiusmodi est. Quidam tam libere & palam peccant, vt postquam eos videris, statim intelligas peccatores, alios autem, qui callidè occultant vitia sua, ex sequenti conuersatione cognoscimus. Similiter & bona apud aliquos in propatulo sunt, in aliis longo vsu discimus. Quid ergo necesse est nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus & appendiciis suis, continentia & parcitate fidem sui facere non potest?* Et sanctus AMBROSIVS de Natali Apostol. Petri & Pauli: *Illa vera est mors, quæ etiam viuentem hominem peccatorum morte constringit: qui quamuis viuere videatur, sceleribus tamen suis morti iam videtur addictus, sicut ait Apostolus de illa delicioſa vidua. Hæc autem viuens mortua est.* S. AVGVSTINVS autem scribens ad Viduam diuitem, quæ in deliciis videbatur esse, ita loquitur: *Has delicias, in quibus Vidua si agit, hoc est si in delectatione carnis hæret atque habitat, viuens mortua est: multi sancti & sanctæ omnino cauentes ipsas velut matres delitiarum diuitias dispergendo pauperi-*

1.Ti 5.6. H. ep. 10. Ezech. 18. 20. 1.Ti. 5.24. A. ser. 67. 1.Ti. 5.6. A. ep. 121. ad Probã.

bus abieserunt, & tali modo in cœlestibus thesauros tutius condiderunt. Quod si tu deuincta aliquo pietatis officio non facis, tu scis quomodo de iis rationem reddas Deo. Nos non debemus ante tempus quicquam iudicare, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis,
Pſ.61.11. *& tunc laus erit vnicuique à DEO.*
Pſal.2.27. *Pertinet tamen ad Vidualem curam tuam, delitiæ si affluant ne apponas cor, ne in eis putrescendo moriatur, quod sursum esse debet vt viuat. Te in illorum numero deputo, de quibus scriptum est. Viuent corda eorum in seculum seculi.*

1.Ti. 5. 7. II. PROPRIETAS est, vt sit irreprehensibilis: *Et hoc præcipe*, inquit Apostolus, *vt irreprehensibiles sint. Tantam enim diligentiam*, vt habet hic AMBROSII commentarius, *actionum ac morum viduam vult habere, vt reprehendi non possit. amota enim à spe mundanæ conuersationis, & corporis curandi officio, propter hoc se ad Deum contulit, vt probabilem agat vitam: sublatis enim occasionibus, quæ aditus solent aperire peccatis, potest bona conuersatio incolumis permanere.* Iud.8.7. Talis erat sancta illa vidua Iudith, quam Scriptura his verbis laudat: *Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam ac possessiones armentis boum, & gregibus ouium plenas. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de ea verbum malum.* Si dicas nullam viduam tam sanctè viuere posse, quin reprehensionem aliquo-
Hi. ep.14. rum incurrat. Respondet S. HIERON. ad Celantiam: *Si nobis diligenter atque solicitè omnia ad honestatem prouidentibus, cunctisq; actibus nostris timorem DEI præferentibus, illi detractores nihilominus insa-*

niunt,

niunt, consoletur nos conscientia nostra, quæ tunc maximè tuta est, tunc optimè secura est, cùm ne occasionem quidem malè de se sentiendi dedit. Illis enim væ dicitur per Prophetam, qui dicant quod bonum est malum, qui lucem appellant tenebras. Et S. AVGVSTINVS ad Isa.5.20. A.ep.121.
dictam viduam Probam: *Sed quoniam quantalibet humana cautela suspiciones maleuolentissimas non potest omni ex parte vitare, vbi pro existimatione nostra, quicquid rectè possumus, fecerimus: si aliqui de nobis, vel male fingendo, vel male credendo famam nostram decolorare conantur, assit conscientiæ solatium, planéque etiam gaudium, quod merces nostra magna est in cœlis, etiam cùm dicent homines multa mala de nobis, piè tamen, iustéque viuentibus: illa enim merces tanquam stipendium est militantium per arma iustitiæ, non solùm dextra, verum etiam sinistra, per gloriam scilicet & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.* 2.Cor.6.7.

III. PROPRIETAS, *vt instet obsecrationibus & orationibus nocte & die,* vt loquitur idem Apostolus ad Timotheum. Exemplum huius virtutis egregium præbuit apud B. LVCAM: *Anna Prophetissa filia Phanuel, quæ vidua vsque ad annos octoginta quatuor non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Et in historia sacra S. Iudith, quæ non solùm ipsa sæpissime orauit, vt feliciter suos à tyrannide Holophernis liberaret, sed etiam Oziæ Principis Iudæ, & aliorum presbyterorum orationibus se commendauit. Vnde sanctus AMBROSIVS libro de Viduis: *Docet Anna quales deceat esse viduas, quæ immaturo mariti obitu destituta, maturæ tamen adoream laudis inuenit, nō minus religionis officio, quam studio castitatis inuenta. Vidua, inquit,* 1.Ti.5.5. Luc.2.36. Iud.c.8.9. 10.11.12.

octogin

octoginta & quatuor annorum, vidua quæ non discedebat de templo, vidua quæ ieiuniis & obsecrationibus die ac nocte seruiret. Vides qualis vidua prædicetur, vnius viri vxor, ætatis quoque iam probata processu, viuida religioni, & effœta iam corpore, cui diuersorium in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio, quæ dierum noctiumq; temporibus indefessæ deuotionis obsequio, cum corpore agnosceret senectutem, pietatis tamen nesciret
H.ep.10. ætatem. Et S. HIERON. ad Furiam: *Volumus scire, quales debeant esse Viduæ? Legamus Euangelium secundùm Lucam: Et erat inquit, Anna Prophetissa, filia Phanuelis de tribu Aser. Anna interpretatur gratia. Phanuel in nostra lingua resonat vultum DEI. Aser vel in beatitudinem, vel in diuitias vertitur. Quia igitur ab adolescẽtia vsque ad 84. annos viduitatis onus sustinuerat, & non recedebat de templo, diebus ac noctibus insistens ieiuniis & obsecrationibus, idcircò meruit gratiam spiritualem, & nuncupari filia vultus DEI & atani beatitudine diuitiisq; censeri.* PROBÆ piæ & prædiuiti Viduæ petenti quem modum in orando tenere deberet, ita respondit AVGVSTINVS sub
A.ep.121. initium: *Quam me lætificauerit ipsa petitio tua, in qua cognoui, quantam rei tantæ curam geras, verbis explicare non possum. Quod enim maius negotium esse oportuit Viduitatis tuæ, quam persistere in oratione nocte ac die secundùm Apostoli admonitionem?* Et in fine:
Luc.18.3. *Et Dominus cùm semper ad orandum, & non deficiendum nos hortaretur, viduam commemorauit, quæ licèt iniquum & impium Iudicem, ac Dei & hominum contemptorem ad audiendam causam suam assiduè interpellando conuertit. Quam ergo præ cæteris viduæ debeant vacare orationibus satis hinc intelligi potest, quod omnibus ad suscipiendum orandi studium de Viduis*

propositum

propositum ad exhortationis exemplum.

IV. PROPRIETAS, vt orationi coniungat ieiunium, cilicia, & alias pœnitentias, quod fecit, vt audiuimus, Anna illa Prophetissa, & imprimis ab ea virtute laudatur S. Iudith: *Erat autem Iudith*, inquit S. Scriptura, *relicta eius* (Manassis) *vidua iam annis tribus, & mensibus sex. Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium: ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbatha, & Neomenias, & festa Domus Israël.* Et infrà: *Quibus abscedentibus Iudith ingressa est oratorium suum, & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino clamabat ad Dominum*: Vnde S. HIERON. ad Furiam: *Legimus in Iudith Viduam confectam ieiuniis, & habitu lugubri sordidatam, quæ non lugebat mortuum virum, sed squalore corporis sponsi quærebat aduentum.* Et B. FVLGENTIVS ad Gallam viduam: *Habes in veteri & in nouo Testamento sanctarum Viduarum, quibus ædificeris, exempla. In veteri Testamento Iudith, Anna consideretur in nouo: quarum si Domino adiuuante imitatrix fueris & delicias carnis, & iactantiam secularem vera cordis humilitate calcabis, vt illius in te sponsi semper viuat affectus, qui semper est viuus, sicut eodem resurgente vocis angelicæ attestatione firmatur, cum mulieribus dicitur; Quid quæritis viuentem cum mortuis?* Et infrà: *Ac ne quis illam sanctam viduam (Iudith) non deuotione cordis, sed necessitate paupertatis existimet ieiunasse, audi quid de ea in subsequentibus dicitur: Quia reliquerat Manasses vir eius aurum & argentum, seruos & ancillas, pecora & prædia. Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus diues, ætate iuuenis, specie mirabilis, diuitias contempsit,*

Luc. 2. 36. Iud. 8. 4. Iud. 9. 1. H. ep. 10. F. ep. 2. c. 14. Luc. 24. 5.

tempſit, delitias reſpuit, carnis incentiua calcauit, & induta virtute ex alto non quæſiuit ſecundo famulari connubio. Propterea teſtimonio tã præclari operis apparuit, quantum Deo dilecta ſit continentia vidualis. Denique cũ Holofernes innumero Bethuliã obſedisſet exercitu, & omnis Iſraëlitarũ virtus perturbata langueſceret, egreditur caſtitas oppugnatura laſciuiam, & ad interitũ ſuperbiæ humilitas ſancta procedit. Ille pugnabat armis, iſta ieiuniis: ille ebrietate, iſta oratione. Igitur quod omnis Iſraëlitarũ populus facere nõ potuit, ſancta Vidua caſtitatis virtute perfecit. Obtrũcauit vna mulier tãti agminis ducem, & inſperatã DEI populo reddidit libertatẽ.

V. PROPRIETAS eſt, vt colat Hoſpitalitatem, cæteráque opera miſericordiæ & charitatis. Hoc enim maximè Apoſtolus à Vidua poſtulat, in prio-
1.Ti.5.9. re ad Timotheum: *Vidua*, inquit, *eligatur, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt.* Ob hanc proprietatem vel virtutem ex tot viduis ſola Sarepthana meruit hoſpitio ſuſcipere Eliam Prophetam, vt
Luc.4.25. Chriſtus ipſe teſtatur apud Lucam: *In veritate dico*
3.Reg.17. 9. *vobis*, ait ibi Dominus, *multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cœlum annis tribus & menſibus ſex, cùm eſſet fames magna in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sa-*
A.de Viduis. *reptha Sidoniæ ad mulierem viduã.* Vnde S. AMBROSIVS: *Salubre eſt igitur*, inquit, *præceptum quoque hoſpitalitatis aduertere, vt hoſpitibus deferamus, quia nos quoque ſumus hoſpites mundi. Quam verò ſancta vidua, quæ cum fame vrgeretur extrema, venerationem Deo debitam reſeruabat: nec ſoli ſibi vſurpabat*

alimenta,

alimenta, sed cum filio diuidebat, ne charo pignori superuiueret. Magnum pietatis officium, sed religionis vberius. Nam sicut neminem filio oportuit anteferri, ita Propheta Dei, & filio præferri debuit & saluti. Cui non exiguũ victuum, sed vitæ suæ omne subsidium existimanda est detulisse, quæ nihil reliquit tibi: tam hospitalis, vt totum daret: tam fidelis, vt cito crederet. Ergo vidua abstinẽtia corporis non tantùm definitur, sed virtute designatur, cui præcepta non do ego, sed Apostolus tribuit. Et paulò post: *Nec sola tamen castitas corporis viduæ fortitudo est, sed magna & vberrima disciplina virtutis, quæ in operibus bonis testimonium habeat, si filios educauerit, si hospitio receperit, si sanctorum pedes lauerit, si tribulationem patientibus subministrauerit, si postremo omne opus bonum fuerit subsecuta. Vides, quam multas comprehenderit virtutum disciplinas? Primò pietatis officium, secundò hospitalitatis studium, & humilitatis obsequium. Tertiò, misericordiæ ministerium, liberalitatisq; subsidium, ad summam omnis executionem boni operis flagitauit. Et ideò adolescentiores deuitandas putat, eo quod non valeant tantæ opera implere virtutis.* Si dicas, tibi non suppetere tantas opes, vt esse liberalis possis in pauperes. Respondet paulò post ipse AMBROSIVS: *Liberalitas non cumulo patrimonij, sed largitatis definitur affectu. Denique Dominica voce illa vidua omnibus antefertur, de qua dictum est: Vidua hæc plus omnibus misit, in qua moraliter Dominus instituit vniuersos, ne quis à collatione ministerij paupertatis pudore reuocetur, nec sibi diuites blandiantur, quod plus videantur conferre, quam pauperes. Vberior est enim nummus è paruo, quam thesaurus è maximo, quia non quantum detur, sed quantũ resideat, expenditur. Nemo plus* Luc. 21. 3.

tribuit

tribuit quam qui nihil sibi relinquit. Quid tu dives egeni comparatione te iactas? & cum tota oneris auro pretiosam per humum trahens vestem, quasi inferior tuis & parua diuitiis, honorari desideras, quia inopem collatione vicisti? Spumant musta dum feruent, nec damnum putat agricola quod defluxerit. Gementibus areis dum cæditur messis frumenta defodiunt: sed deficientibus messibus, non deficit hydria de farina & plena olei testa de-
3.Reg. 17. *sudat. Exinaniuit tamen dolia diuitum siccitas, cùm viduæ pauxillulum olearium redundaret. Non ergo quid fastidio expuas, sed quantum deuotione conferas æstimandum est. Denique nulla plus tribuit, quam illa quæ de filiorum alimentis pauit Prophetam: & ideò quia nulla plus contulit, nulla plus meruit. Hæc moraliter. Nec mysticè tamen despexeris hanc mulierem in gazophylacium duo æra mittentem. Magna planè fœmina, quæ diuino iudicio meruit omnibus anteferri.* Ita Ambrosius.

VI. Proprietas est, vt quæ hospitalitati, aliisque misericordiæ operibus vacare non potest, quia *verè vidua est, & desolata*, id est, pauper & destituta omni præsidio humano filiorum, nepotum, amicorum, (vt erant ferè, quæ è Iudæis aut gentilibus cõuertebantur ad Christum) iuuetur ab Ecclesia, aliisve Christianis. Hoc enim significant illa
1.Ti.5.3. verba Apostoli: *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.*
Ib.16. Et rursum: *Si quis autem fidelis habet viduas, subministret illis, & non grauetur Ecclesia, vt iis quæ verè*
Hiep.11. *viduæ sunt sufficiat.* Sic sanctus Hieronymus ad
Aug lib.5. Ageruchiam: *Scriptum est*, ait, *Honora viduas, quæ*
quæstio.in *verè viduæ sunt, hoc est, quæ omni suorum auxilio de-*
Deu.q.43. *stitutæ sunt: quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitat, atásque conficit, quibus* DEVS

spes

spes est, & omne opus oratio. Ex quo datur intelligi, adolescentulas viduas exceptis his, quas excusat infirmitas, vel suo labori, vel liberorum ac propinquorum ministerio delegari. Honor autem in præsentiarum, vel pro eleemosyna, vel pro munere accipitur, vt est illud: Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Et in Euangelio Dominus dixerit mandatum legis, in quo dicitur: Honora patrem tuum & matrem tuam, non in verborum sono, qui inopiam parentum cassa potest adulatione frustrari, sed in victus necessariis ministrandis debere intelligi: iubente enim Domino, vt filij alerent parentes pauperes, & redderent beneficia senibus quæ paruuli acceperant, Scriba & Pharisæi è contrario docebant filios, &c. Si ergo Apostolus pauperes viduas, eas tamen quæ adolescentulæ sunt, & nulla debilitate franguntur, cogit suis manibus laborare, ne grauetur Ecclesia, & possit anus viduas sustentare: quæ excusatione vietur quæ mundi opibus affluit, quæ potest etiam aliis ministrare, & de iniquo mammona sibi facere amicos, qui possint eam in æterna tabernacula recipere? Hucusq; ille. Inter cætera autē monet S. AMBROSIVS in fine libri secundi de Officiis, *Viduis deposita esse reddenda. Illud sane*, inquit, *diligenter tuendum est, vt deposita Viduarum intemerata mancāt sine vlla seruentur offensione: nec solum viduarum, sed etiam omnium. Fides enim exhibenda omnibus, sed maior est viduarum causa & pupillorum. Denique hoc solo viduarum nomine, sicut in libris Machabæorum legimus, commendatum templo omne seruatum est. Nam cum indicium factum esset pecuniarum, quas in templo Hierosolymis maximas reperiri posse Simon nefarius Antiocho regi prodidit, missus in Hierusalem Heliodorus ad templum venit. Tum sacerdos di*

1. Tim. 5. 17. Matth. 15. 6. Ambros. c. 29. 1. Mach. 3.

dos dixit deposita esse Viduarum & pupillorum. Quæ cum Heliodorus ereptum ire vellet sacerdotes ante altare iactauerunt se, &c. Tum subito apparuit Heliodoro terribilis eques, & alij duo iuuenes, qui vtraque ex parte flagellabant sacrilegum, &c. Seruanda est igitur, fili, depositis fides. Egregie hinc vestrum enitescit ministerium, si susceptæ impressio potentis, quam vel vidua vel orphani tolerare non queant, Ecclesiæ subsidio cohibeatur. Subiicit deinde recens exemplum Ticinensis Ecclesiæ, quæ viduæ depositum defendit. Quomodo autem Vidua aliqua opulenta & copiosa vere vidua & desolata esse possit saltem spiritualiter, lege S. Augustinum epist. 121. ad Probam, in fine.

VII. PROPRIETAS est, vt parentes suos colat, & si liberos adhuc habet, illos non negligat.

1. Tim. 5. 4. Nam & de hac re eas admonuit Apostolus: *Si qua, ait, autem vidua filios, aut nepotes habet, discat primum domum suam regere & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram DEO.* Et infra: *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Vnde

lib. 8. Amb. de Viduis. AMBROSIVS libro sæpe citato ad hæc verba Pauli respiciens: *Vnde & aduertitur*, inquit, *vtrumque pietatis affectum inesse debere, vt filios diligat, parentibus deferat. Ita dum obsequium parentibus rependit, magisterium exercet in filios, suoque ipsa remuneratur officio, cum id quod aliis defert, sibi proficit. Hoc enim acceptum est coram DEO.* Et in fine: *Vidua velut emeritis veterana stipendiis castitatis, etsi coniugij arma deponat, domus tamen totius pacem gubernat, & si vehendis oneribus otiosa, maritandis tamen iunioribus prouida, vbi cultus vilior, vbi fructus vberior sit, quarum copulam aptiorem senili grauitate disponit. Itaque si mat-*

si maturioribus, quam iunioribus committitur ager, cur putes vtiliorem nuptam esse, quam viduam?

VIII. PROPRIETAS, vt si vidua adhuc adolescentula sit, non senex, aut annis matura, ad secundas nuptias accedat. Ita Apostolus loco citato. *Adolescentiores autem viduas, inquit, deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ nõ oportet. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quædam conuersæ sunt retro Satanam.* 1. Tim. 5. Quæ autem verbis his Apostolicis subiecta sit sententia, accurare exponunt S. Patres, vt S. Hieronymus ad Saluinam: *Vnde illud, ait, Apostoli, quod fornicationis metu indulgere compellitur, scribens ad Timotheum: Volo adolescentulas nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti causa. Cur indulserit, statim subiecit. iam enim quædam declinauerunt post Satanam. Ex quo intelligimus illum non stantibus coronam, sed iacentibus manum porrigere. Vide qualia sint secunda matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur, quia declinauerunt quædam post Satanam. Ideo adolescentula vidua, quæ non se potest continere, vel non vult, maritum potius accipiat, quam diabolum. Pulchra nimirum & appetenda res quæ Satanæ comparatione suscipitur, &c. Quid ergo mirum, si & lasciuientibus viduis, de quibus in alio loco Apostolus dixerat, cum luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, concesserit digamiæ* 1. Tim. 5. 14. 1. Tim. 5. 11.

præcepta non bona, ita secundum indulgens maritum, vt & tertium, si liberet etiam vicesimum: vt scirent sibi non
H. ep. 11. *tam viros duos, quam adulteros amputatos?* Et ad Ageruchiam. *Singula testimonij verba tractanda sunt. Volo, inquit, adolescentulas nubere, cur quæso? quia nolo adolescentulas fornicari: Procreare filios. quam ob causam? Ne metu partus ex adulterio filios necare cogantur. Matresfamilias esse, quare obsecro? quia multo tolerabilius est digamam esse, quam scortum: & secundum habere virum, quam plures adulteros. in altero enim miseriarum consolatio, in altero pœna peccati est. Sequitur, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia, in quo breui, accinctoque præcepto multa simul monita continentur. Ne propositum vitæ exquisitior cultus infamet. Ne oculorum nutus, & hilaritate vultus iuuenum post se greges trahat. Ne aliud verbo, aliud habitu polliceatur, & conueniat illi versiculus illi vulgatus: R sit & arguto promisit ocello. Atque vt omnes nubendi causas breui sermone concluderet, cur hoc præcepisset ostendit dicens. Iam enim quædam abierunt retro post Satanam: Ideo ergo secunda, & si necesse est tertia incontinentibus aperit matrimonia, vt à Satana abstrahat: vt magis mulierem qualicunque viro iunctam faciat esse, quam diabolo.* Eodem collimant
A. de Vid. verba S. AMBROSII, licet ille exemplo Annæ o-
Idem Au. de bono viduit c. 8. stendat, melius esse adolescentem feminam non nubere secundo: *Ideo*, inquit, *Apostolus adolescentiores deuitandas putat, eo quod non valeant tantæ opera implere virtutis* (quæ scilicet Apostolus ab eis requirit) *Etenim vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum feruorem calentis inflammat ætatis, bonique doctoris est materiam arcere peccati. Prima enim institutionis disciplina est, culpam auertere,*

secunda

secunda, virtutem infundere. Tamen cum sciuerit Apostolus, Annam illam ab adolescentia octogenariam viduam dominicorum operum extitisse prænunciam, non puto quod iuniores reuocandas putarit à viduitatis affectu, maxime cum dixerit: Melius est nubere, quam vri. Nam vtique pro remedio nuptias suasit, vt peritura saneturnon pro electione præscripsit, casta & continens quid sequatur. Aliud enim est subuenire labenti, aliud suadere virtuti. Luc 2.

VIII. PROPRIETAS est, vt in omnibus bonis operibus suis caueat à vana gloria, de qua præclare Viduã Gallam monuit B. FVLGENTIVS. *In omnibus*, ait, *operibus bonis, caue ne laudis humanæ desiderio ventileris; laudari quippe in bonis operibus debes, sed in eo quod operaris, hominum laudes expectare non debes. Laudet te quidem humana lingua, sed tu laudem à solo Deo desidera. Atque ita fiet, vt dum tu laudem ab homine non quæsieris, DEVS laudetur in operibus tuis. Memento, qualiter nobis Dominus interdicat, ne iustitiam nostram laudis humanæ faciamus obtentu, dicens: Attendite, ne faciatis iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Cum ergo dicit, vt attendamus, ne faciamus iustitiam nostram coram hominibus, vt videamur ab eis, & iterum iubet, vt lux nostra luceat coram hominibus, nunquid contraria præcepit? absit. Sed sic iubet opera bona fieri, vt non nosipsos, sed Deum velimus in nostra operatione laudari.* Et infra: *In studio ergo bonorum operum, & laudis humanæ contemptu, caue ne bonum, quod facis, non gratiæ DEI, sed tuæ velis assignare virtuti. Imo firmiter tene, nullam tibi facultatem inesse posse bonæ voluntatis, aut operis, nisi id gratuito munere* F. ep. 2. ca. 19. Matt. 6. 1. Matth 5. 16. c 20.

diuinæ miserationis acceperis. Scito ergo Deum in te operari & velle perficere pro bona voluntate. prôinde cum
c.21. *timore & tremore tuam salutem operare, &c. Nec quia dixi, nihil te debere propriæ assignare virtuti, ideo tibi est de diuina virtute ac pietate in aliquo diffidendũ. Fidelis enim est Deus in verbis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis. Nec tibi auxilium denegat in hoc seculo, nec*
Hebr. 10. 35. *præmium subtrahet in futuro. Ne igitur amittas confidentiam tuam, quæ magnam habet remunerationem.*

VIDE De Statu Virginitatis Monachorum & Vouentium. Et in VIRIDARIO de Castitate.

DE VIRGINITATIS STATV.

CAPVT I.

De nomine & definitione Virginitatis.

VIRGINITATIS, vel Virginis nomen B ISIDORVS duodecimo Originum, & SERVIVS in Maronem deducunt à viriditate; S. FVLGENTIVS vero à virtute, cuius verba
Fulg. ep. 3. c. 4. sunt in epistola ad Probam, de Virginitate: *Virginis si quis velit diligenter considerare vocabulum, ex virtutis inueniet nomine deriuatum. Virgo enim dicitur, quasi virago. Viraginem vero Scriptura sancta non*
Gen. 2 23. *ob aliud vocatam dicit, (in Genesi) nisi quia de viro sumpta est. Itaque cum virginis nomen ex nomine viri descenderit, quis dubitet, quod vir à virtute vocatus sit?* QVOD ad definitionem attinet, sciendum est Virginitatem, quâ virtus est moralis, dupliciter posse à nobis considerari. Primo, vt species

Tempe

Temperantiæ est, & tunc non est aliud quam virtus, per quam firmo animi proposito abstinemus ab omni actu Venereo, & illibatam corpis puritatem, integritatemque conseruamus, iuxta illud S. AMBROSII libro de Virginibus: *Castitas Virginalis est expers contagionis integritas.* Per integritatem autem corporis intelligimus eam, quæ per nullam voluntariam obscœnitatem violata sit: nam qui in somno contra voluntatem polluitur, non amittit continuo integritatem corporis. Vnde S. AVGVSTINVS libro de ciuitate DEI primo ita scribit: *Quis sana mente putauerit se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa vel oppressa carne sua exerceatur & expleatur voluntate non sua?* Et infra *Si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi lege sua mouetur. Quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Aug. c. 18. & 25.

SECVNDO potest considerari, vt species Religionis est, quod fit quando idem propositum firmum abstinendi ab omni Venereo actu Deo consecratur per votum, vt faciunt omnes religiosi, & alij. Vnde S. AVGVSTINVS libro de Sancta Virginitate: *Per Virginitatem integritas carnis ipsi Creatori animæ & carnis vouetur, consecratur, seruatur.* Et infra: *Nec nos hoc in Virginibus prædicamus, quod Virgines sint, sed quod Deo dicatæ pia continentia Virgines.* De hac Virginitate Deo consecrata intelligitur illud dictum Christi: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat*: Ita enim intellexerunt S. Patres. S. EPIPHANIVS de hæresi Valesiorum: *Quinam,* inquit, Aug. c. 8. & 11. Epih. hær. 58.

hi fuerint, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, nisi generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes, vt deinceps virgines. Et infrà: *Post ipsos vero Apostolos quot millia in mundo solitariam vitam agentes, & à monasteriis, & virgines conuentibus huius certaminis gloriam abstulerunt?* At monachorum castratio, non est simplex à Venereis, sed continentia per votum Deo promissa.

H. in Mat. Et S. HIERONYMVS in commentario huius loci: *Vnusquisque*, ait, *consideret vires suas, vtrum possit virginalia implere præcepta.* At quæ sunt præcepta virginalia, nisi obligatio non nubendi, quæ sine voto nulla est? Et libro in Iouinianum secundo dicit, eos castrare seipsos, qui templum se Deo purissimum & holocaustum Deo acceptissimum offerunt: vbi quoque cœlibatum Deo deuotum castrationem vocat. S. AVGVSTINVS de S. Virginitate alludens ad hunc locum, vbi Dominus de castratione ista voluntaria ait: *Qui potest capere, capiat: Vos etiam*, inquit, *qui hoc nondum vouistis, qui potestis capere capite.* Denique & S. FVLGENTIVS libro de fide ad Petrum: *Quisquis*, inquit, *seipsum castrauerit propter regnum cœlorum, & in corde suo continentiam Deo vouerit, si aut vir vxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, secundum Apostoli sententiam damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit.* vbi illud (ET) ad explicationem pertinere non dubium est.

Aug. c. 30.

Fulg. c. 3.

CAPVT II.

De dignitate & præstantia Virginitatis.

TANTI fecere S. PATRES Virtutem Virginitatis, maxime autem Deo per votũ dicatam, vt inte

vt integros libros, tractatus, vel prolixas epistolas de ea ediderint, vt Cyprianus, Basilius, Athanasius, Ambrosius, Damazus, Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, Augustinus, Fulgentius, alij.

S. MARTIALIS ex 72. Christi discipulis vnus ita de ea scribit ad Tolosanos: *Vltra hunc gradum* (coniugalem) *homini licitè concessum, viduitatem in præmio maiori constituit: sed & tertium excellentem gradum honestatis (Dominus) in Virginitate nobis demonstrauit perfectum, & per omnia similem angelicæ dignitati. Adquem inuitabat nos dicens: Non omnes capiunt verbum hoc, sed qui potest capere capiat.* M.c.9. Mat.19.12.

S. IGNATIVS ad Tarsenses: *Eas quæ in Virginitate degunt in pretio habete veluti Christi Sacerdotes, viduas in pudicitia permanentes, vt altare D E I.* Et ad Philadelphienses: *Vxores maritis subditæ sint in timore Dei: virgines Christo in puritate, non abominantes nuptias, sed id quod præstantius est amplectentes, non in calumniam matrimonij, sed, vt liberioribus animis diuinæ legis meditationi vacent.* Et ad Heronem: *Virgines serua, vt pretiosa Christi monilia.* I.ep.7.&9. Id.ep.13.

S. CYPRIANVS de disciplina & habitu Virginum: *Cùm castæ perseueratis & Virgines, Angelis Dei estis æquales: tantùm maneat & duret solida Virginitas, & vt cœpit fortiter, iugiter perseueret.* Et de bono Pudicitiæ: *Virginitas & continentia extra ius omne sunt: nihil ad virginitatem de matrimoniorum legibus pertinet, altitudine sua transcendit omnes. Virginitas æquat se angelis: si verò exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert, quam non habēt Angeli. Virginitas quid est aliud, quam futuræ vitæ meditatio?*

S. ATHANASIVS libro de Virginitate extremo:

O virginitas opulentia indeficiens, corona immarcessibilis, templum DEI, domicilium Spiritus sancti, margarita speciosa vulgo inconspicua, gaudium Prophetarum, gloriatio Apostolorum, Angelorum vita, Sanctorum corona. S. BASILIVS libri de vera virginitate initio: *Magnum reuera quiddam ac præclarum Virginitas est, quæ, vt totum simul explicem hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Hæc autem profecto non à corporibus ad animas manat, sed cùm incorporalis animæ propria & præcipua sit, eius pretiosissima integritate corpora quoque incorrupta seruantur.* Et multo post: *Cùm inter cætera magnum quiddam & splendidissimum Virginitas intelligatur, regenerationis etiam atque incorruptibilis vitæ semen esse quoddam purissimum cernitur. Si enim in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli, efficiuntur filij DEI. Et hi profecto, qui virginitatem seruant, angeli sunt, qui viuentes in carne corruptibili mortalium vitam illustrando tuentur, angeliq; sunt, non obscuri aliqui, sed sanè illustres atque nobilissimi.* S. GREGORIVS Nazianzenus in carmine de Virginitate:

SALVE Virginitas diuino tradita dono,
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars, & spiritibus sociata supernis,
Ignaris thalami.

Ep. tom. 1. S. EPHRÆM sermone de Virginitate: *de Virginitate & animæ sanctificatione, à Paulo Apostolo optimo consiliario omnes docemur, quippe qui Virginitatis gradum & præstantiorem & superiorem mũdo arbitratur. Nam*
1. Cor. 7. 33. *qui vxorem habet, inquit Apostolus, solicitus est quomodo placeat vxori: at qui in Virginitate permanet, cogitat quæ sunt Domini, & quomodo placeat ei. Illa cura sæpe abducit ad pœnam, hæc verò in vitam ducit aternam.*

æternam. S. AMBROSIVS ad Virginem lapsam: *Eras Virgo in paradiso DEI, vtique inter flores Ecclesiæ. eras sponsa Christi, eras templum DEI, eras habitaculum Spiritus sancti. Incedebas in Ecclesia, tanquam columba illa, de qua scriptum est: Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Splendebas, vt argentum, fulgebas, vt aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu Domini.* Et in epistola ad Siricium Papam: *Bonum coniugium, per quod est inuenta posteritas successionis humanæ, sed melior Virginitas, per quam regni cœlestis hæreditas acquisita, & cœlestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus euenit. Denique speciale sibi donum Virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, atque ipse repræsentauit, quod elegit in matre.* Et libro 2. de Virginibus: *Nemo miretur, si angelis comparentur, quæ angelorum Domino copulantur.* SVLPITIVS in 2. Dialogo: *Beata species, & Deo digna. nihil enim Virginitati est comparandum.* S. HIERONYMVS ad Eustochium, de custodia Virginitatis: *Sponsa Christi, arca est testamenti, intrinsecus & extrinsecus deaurata, custos legis Domini. Super hoc propitiatorium, quasi super Cherubim, sedere vult Dominus.* Et aduersus Iouinianum: *Certè Romanus populus quanto honore Virgines semper habuerit, hinc apparet, quod Consules, & Imperatores, vt in curribus triumphantes, qui de superatis gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus eis de via cedere solitus sit.* Ibidem verò multa alia gentilium exempla coaceruat. S. CHRYSOSTOMVS in Genesin: *Ab initio mundi Virginitas palmam principatus accepit. Cogita dilecte, quanta Virginitatis dignitas, quam sublimis & magna*

A.c. 1.

Psa. 67. 14.

A. lib. 10. ep. 31.

H. ep. 22.

Id. lib. 1.

C. ho. 18.

magna possessio, & quæ supra humanam naturam, & quæ opus habeat manu superna. Quandoquidem qui Virginitatem alacriter arripiunt, in corpore ea agunt, quæ incorporearum sunt virtutum. S. AVGVSTINVS libro de S. Virginitate: *Nulla carnis fœcunditas sanctæ Virginitati etiam carnis comparari potest. Neque enim & ipsa, quia Virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur: quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione ac deuotione seruatur: ac per hoc spiritalis est etiam virginitas corporis, quam vouet & seruat continentia pietatis.* Et paulò post: *Virginalis integritas, & per piam continentiã ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis: illa non est in potestate, illa nõ est in æternitate.* S. FVLGENT. ad Probam: *Tantũ dicimus à Sanctis nuptiis, vbi nubunt qui se continere non possunt, sanctam Virginitatem merito potiore distare, quantum distant à bonis meliora, ab humilibus celsa, à terrenis cœlestia, à beatis beatiora, à sanctis sanctiora, à mundis mundiora, à mortali connubio immortale connubium, à carne spiritus, ab infirmitate virtus, à fœtu trãsitiriæ prolis permansuri germinis fructus, à tribulatione securitas, à perturbatione tranquillitas, à bono quod est cum angustia momentaneum, melius quod est cum lætitia sempiternum.* B. ISIDORVS iunior, Hispalensis Episcopus, de summo bono: *Prælatam Virginitatem esse nuptiarum coniugio: illud enim bonum, hoc optimum, Coniugium concessum est. Virginitas admonita tantùm, non iussa. Sed ideò tantùm admonita, quia nimis excelsa.*

F.ep. 3.ca. 9.

Isi.l.2.c.40

CAPVT III.

De proprietatibus Virtutis Virginitatis.

PRIMA

PRIMA Proprietas est, vt æquè seruetur in animo atque in corpore. *Mulier enim innupta, & virgo,* ait Apostolus, *cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Ac prius in animo, quàm in corpore, ab animo siquidem nomenclaturam virtutis trahit. *Hæc*, inquit S. BASILIVS libro de vera Virginitate, *profectò non à corporibus ad animas manat, sed cùm incorporalis animæ propria & præcipua sit, eius pretiosissima integritate corpora quoque incorrupta seruantur.* Et S. AVGVSTINVS de S. Virginitate: *Sicut enim nemo impudicè vtitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia; ita nemo pudicitiam seruat in corpore, nisi spiritu prius insita castitate.* Et addit: *Porrò autem si pudicitia coniugalis, quamuis custodiatur in carne, animo tamen non carni tribuitur, quanto magis, quantoq; honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi creatori animæ & carnis vouetur, consecratur, seruatur?* Quocirca & diabolus, teste B. FVLGENTIO ad Probam, magis insidiatur castitati animi quàm corporis: *Corporalis*, inquit, *Virginitas, etiam Deo dicata, si virginitatem non seruauerit cordis nihil proderit in corpore custodita, si spiritalis castitas fuerit in mente corrupta. Vtramque diabolus persequitur: sed virginitatem carnis per hominem nititur præripere: cordis verò virginitatem per seipsum conatur auferre.*

1.Cor.7. 34.

Basilius.

Fulg. ep.3. c.15.

II. Proprietas est, vt voueatur, & dicetur Deo: Sic enim virgo verè sanctitatem corporis & spiritus, quam requirit Apostolus, assequi poterit. Ita in Ecclesia Dei factum est inde ab Apostolorum seculo. S. IGNATIVS ad Antiochenos. *Virgines*, inquit, *agnoscant, cui seipsas consecrarunt.* SANCTVS MARTIALIS ad Tolosanos: *Virgo Valeria sponsa regis*

Ign. ep. 12. Mc. 8.

regis terrestris, sed melius sponsa regis cœlestis, quæ per meam prædicationem virginitatem mentis & corporis Deo deuouerat, gladio decollata, dum vitam temporalem contempsit, æterna inuenit. S. CYPRIANVS de disciplina & habitu Virginum: *Quæ se Christo dicauerint, & à carnali concupiscentia recedentes, tam carne quam mente se Deo vouerint, consumment opus suum magno præmio destinatum, nec ornari iam, aut placere cuiquam, nisi Domino suo studeant, à quo & mercedem*
A lib. 3. *Virginitatis expectant.* S. AMBROSIVS de Virginibus: *Si quis putat consecratione Virginum minui genus humanum, consideret quia vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: vbi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse maiorem. Discite, quantas Alexandrina, totiusq; orientis, & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueuerint. Pauciores hic homi-*
t. de S. Vir. *nes prodeunt, quàm illic Virgines consecrantur.* Certè S. AVGVSTINVS non solùm indicat Virginitatem Deo dicandam, verumetiam affirmare non dubitat, nisi dicetur, honore dignam non esse. *Neque enim*, inquiens, *& ipsa quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quæ licèt in carne seruetur, spiritus tamen religione ac deuotione seruatur: ac per hoc spiritalis est etiam virginitas corporis, quam vouet & seruat continentia pietatis.*

III. Proprietas. Virginitas, eiúsque votum vel consecratio Deo facta non præcipitur, sed tantùm consulitur. Hoc autem differt consilium à præcepto, quod hoc vi sua obliget: illud verò positum
H. ep. 22. sit in hominis arbitrio. *Vbi consilium*, inquit S. HIERONYMVS ad Eustochium de seruanda Virginitate, *ibi offerentis arbitrium: vbi præceptum datur, ibi necessitas est seruientis.* Virginitatem autem consulit Christus

Christus apud Matthæum, cùm ait: *Sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, & sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, Qui potest capere capiat.* Nam teste S. AVGVSTINO, de præceptis iustitiæ non potest dici: *Qui potest facere, faciat, sed omnis arbor, quæ non fecerit fructum bonum excindetur.* Consulit & S. Paulus in priore ad Corinthios dicens: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* NEC aliud tradũt veteres Patres. ORIGENES in epistolam ad Romanos: *Ea quæ supra debitum facimus, non facimus ex præceptis. Verbi causa: Virginitas non ex debito soluitur, neque enim per præceptum expetitur, sed supra debitum offertur.* S. CYPRIANVS de habitu Virginum: *Neque hoc iubet Dominus, sed hortatur, nec iugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum.* S. AMBROSIVS libro de Viduis: *Qui præceptum impleuerint, dicere possunt, serui inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus. Hoc Virgo non dicit, non dicit ille, qui bona sua vendidit.* Et infrà: *Ideò ergo præceptum nõ datur, consiliũ datur: præceptum enim castitatis est, consiliũ integritatis.* S. GREGOR. 15. Moralium: *Electi nonnunquã plus studeant agere, quam eis dignatus est Dominus iubere: carnis enim Virginitas nequaquam iussa est, sed tantùm laudata.*

Mat. 19. A. ser. 61. de temp. 1. Cor. 7. 25. Orig. in c. 15. Luc. 17. 17 Gr. c. 9.

IV. Proprietas, Virginitas, quæ semel dicata est Deo per votum, ita præcipitur, vt post eam non pateat aditus ad matrimoniũ. Vnde Apostolus in 1. epist. ad Timotheum, affirmat adolescentiores quasdam viduas habere damnationem, *quia primam fidem irritam fecerint*, quo loco omnes omnino Patres per *primam fidem*, nempe Deo datam per votum, intellexerunt votum continentiæ.

1. Ti. 5. 11.

S. C v

C.lib. 1. ep. 11. S. CYPRIANVS ad Pomponium ita scribit: *Christus Dominus & Iudex noster, cùm virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernat, quam indignatur & irascitur, & quas pœnas incestis huiusmodi coniunctionibus comminatur?* Et infrà: *Quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adul-*

E. hær. 61. *tera est.* S. EPIPHANIVS contra Apostolicos: *Tradiderunt sancti DEI Apostoli peccatum esse, post decretam Virginitatem ad nuptias conuerti.* Multa de hoc argumento habes in PANARIO nostro V. Votorum violatio.

V. Proprietas. Virginitas semel amissa, nunquã recuperari potest. Hanc tradit S. BASILIVS libro de vera Virginitate: *Cæterùm,* inquiens, *si hoc amittas patrimonium integerrimæ castitatis* (Virginitatis) *quamuis illa omnia facias, quæ dixi, cœlumq; ac terras, & maria, & abyssos, immensumq; aërem peruagata fueris, nulla hoc omnino ratione recuperare iam poteris. Quo enim pacto, quod corruptum semel est, iam incorruptum fiet? Qua ratione, quæ cognouit virum, quasi quæ non agnouerit, existimabitur? Pœnitentia quidem peccatum relaxari certum est: verum quæ corrupta est, quasi ea inuiolata perstiterit, redintegrari omnino non va-*

H. ep. 22. *lens, dum vivit, lugebit.* Et S. HIERON. ad Eusto-

Amos 5. 2. chium, de custodia Virginitatis: *Caue quæso, ne quãdo de te dicat DEVS: Virgo Israël cecidit, & non est, qui suscitet eam. Audenter loquar: Cùm omnia possit Deus, suscitare Virginem non potest post ruinam. Valet quidem liberare de pœna, sed nõ vult* (al valet) *coronare corruptam.* Et S. AVGVSTINVS contra Faustũ Ma-

A. li. 26. c. 5. nichæum: *Quisquis itaque dicit: Si omnipotens est Deus, faciat, vt quæ facta sunt facta nõ fuerint, (vt virgo, quæ corrupta est, non fuerit corrupta) nõ videt hoc se dicere:*

dicere: Si omnipotens est, faciat, vt ea, quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt falsa sint. Potest enim facere, vt aliquid non sit, quod erat: tunc enim facit, vt non sit, quando id esse inuenerit de quo fiat: Quis autem dicat, vt id quod iam non est, faciat non esse? Quicquid enim præteritum est, iam non est, quod si & de ipso fieri aliquid potest, adhuc est, de quo fiat. Et si est, quomodo præteritum est? Et S. THOMAS in summa Theologica, posita obiectione: *DEVS potest reparare charitatem amissam, ergo & Virginitatem: ergo potest facere, quod illa quæ corrupta fuit non fuerit corrupta.* Resp. *quod omnem corruptionem mentis & corporis Deus auferre potest à muliere corrupta: hoc tamen ab ea remouere non poterit, quod corrupta non fuerit: sicut etiam ab aliquo peccatore auferre non potest, quod peccauerit, & quod charitatem non amiserit. Sub omnipotentiam enim DEI non cadit aliquid quod implicat contradictionem: præterita autem non fuisse, implicat. Sicut enim implicat contradictionem dicere, quod Socrates sedet, & non sedet, ita quod sederit, & non sederit.* Conatur tamen B. PETRVS Damiani Cardinalis in epistola ad Desiderium Abbatem & Cardinalem fusè probare Deum posse facta infecta reddere, & suscitare Virginem post ruinam, quod S. Hieronymus inficiatur; quẽ lege.

Th. 1. p. q. 25. art. 4.

Petrus lib. 2. ep. 17.

VI. Proprietas. Vt Virgo à mundi huius curis sit libera: *Volo vos*, inquit, Apostolus, *sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi.* Vnde S. GREGORIVS. Nazianzenus dans præcepta ad Virgines.

1. Cor. 7. 32.

Ne tibi curarum, inquit, *moles densissima Christum*
Eripiat, quæ vel mentem in sublime volantem
Detrahit, atque humili cogit subsidere terra.

Nec velut indomitus solet in certamine pullus
Currere calce procul: sic in diuersa feratur
Mens tua, & à Christo procul excidat omnipotente.

Hier. li. 2. Et S. HIERONYMVS aduersus Iouinianum exponens verba dicta Apostoli: *Intueamur*, inquit, *curarum Virginis, maritique distantias. Virgo Domino, maritus vxori placere desiderat, & vt vxori placeat, solicitus est de iis quæ sunt mundi, quæ cum mundo vtique transitura sunt: & diuisus est, in multas scilicet solicitudinum partes, miseriarumque distractus. Non est huius loci*, addit, *nuptiarum angustias describere, & quasi in communibus locis rhetorico exultare sermone: plenius super hac re contra Heluidium, & in eo libro, quem ad Eustochium scripsi, arbitror absolutum: certe & Tertullianus, cum adhuc esset adolescens, lusit in hac materia, & præceptor meus GREGORIVS Nazianzenus, virginitatem & nuptias differens, Græcis versibus explicauit.* Eadem tractans S. CHRYSOSTOMVS libro de Virginitate. *Quæ enim*, inquit, *solicitudine quæ non nupsit, afficitur? num pecuniæ? num seruorum? aut eorum, qui domesticas res tuentur? aut agrorum, aut aliarum rerum? an cocis præest, aut textoribus, aut reliquo seruitio? minime vero; nihil eiusmodi cogitat: sed tantum id curat, quo modo animam suam instruere, quomodo sanctum illud templum exornare possit, non iam capillis intexendis auro, vel margaritis, non frictionibus, aut pigmentis, non alio incommodorum, aut nequitiæ genere, sed tum corporis, tum Spiritus sanctitate.* Et paulo post: *Quid igitur*, inquit, *virgo multa pertractans, & iis quæ ad vitam pertinent, distenta curis, quæro an Virginitatis laudem retineat? minime. nam istam ab harum Virginum choro excluseris. Neque enim illud, non nupsisse virginem constituit, sed ad id præterea opus est animæ integritas,*

Chrysost. sub finem. cap. 75.

cap. 77.

integri

integritas, inquam ea, quæ non solùm prauis ac turpibus voluptatibus, ornatu corporis, reliquisque rebus superuacaneis vacua sit, sed terrenis etiam curis libera: nam nisi ea sit, quid illi prosit castitas corporis? quanti enim est, Virginem corpore puram esse? Vt enim eo milite nil turpius esse queat, qui abiectis armis in caupona conterit otium: Sic nullum virgo maius dedecus concipere potest, quam si terrenis curis incubuerit. Etenim propterea Virginitas etiam bonum est, quod omnem extirpat ex animo causam curarum inanium, & hominem inducit, vt totum suum studium dicet diuinis operibus. Quod si non ita affecta sit Virgo, longe ea sit nuptiis inferior, quippe quæ spinas circumfert in animo, quibus purum ac cœleste semen opprimitur.

CAPVT IV.

De Virtutibus Virgini necessariis.

PRIMA Virtus est FIDES recta in Deum: *Qui enim sine vxore est, inquit Apostolus, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* At *sine fide, teste eodem, impossibile est placere Deo.* S. CYPRIANVS de bono pudicitiæ: *Pudicitiæ, ait, fratres, competunt, & cogniti sunt imprimis diuinus pudor, & præceptorum sancta meditatio, & animus propensus ad fidem, & mens attonita ad sacram religionem.* QVARE *Virgines, quales apud diuersas hæreses, inquit,* S. HIERONYMVS epist. 22. *& quales apud impurissimum Manichæũ esse dicuntur, scorta sunt existimanda, non Virgines.* Ac multo magis Vestales Virgines olim apud Romanos celebratæ, Virgines Vestæ nõ fuerunt. Quanquam S. AMBROSIVS libro 1. de Virginibus, & aliis de causis eas cętu Virginũ excludit:

1. Cor. 7. 32.
Heb. 11. 6.

Quis, inquit, *mihi prætendit Vestæ Virgines & Palladis Sacerdotes? Qualis ista est, non morum pudicitia, sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur. Petulantior est talis integritas, cuius corruptela seniori seruatur ætati. Ipsi docent virgines suas non debere perseuerare, nec posse, qui Virginitati finem dederunt. Sed nec illa pudica est quæ lege tenetur, & illa impudica, quæ lege dimittitur. O mysteria, ô mores. Vbi necessitas imponitur castitati, auctoritas libidini datur. Itaque nec casta est, quæ metu cogitur, nec honesta, quæ mercede conducitur. Conferuntur immunitates, offeruntur precia: quasi non hoc maximum petulentiæ sit indicium, castitatem vendere.*

II. Virtus est HVMILITAS: *Cum Christianis omnibus,* ait S. AVGVSTINVS in libro de S. Virginitate, *custodienda sit humilitas, quandoquidem à Christo Christiani appellantur, cuius Euangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis* Eccl. 3. 20. *inueniat, tum maxime virtutis huius sectatores & conseruatores eos esse conuenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent, vt magnopere curent illud, quod primitus posui. Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, & coram DEO inuenies gratiam. Proinde, quia perpetua continentia, maximeque Virginitas magnum bonum est in Sanctis DEI, vigilantissime cauendum est, ne superbia corrumpatur.* Et infra: *Quid igitur faciat Virgo, quid cogitet, ne se extollat super eos vel eas, qui hoc tam magno dono carent. Neque enim simulare debet humilitatem, sed exhibere, nam simulatio humilitatis ma-* Fulg. ep. 2. *ior superbia est.* S. FVLGENTIVS epistola ad Probam de Virginitate & humilitate: *Est talis virtusque virtutis copula, vt in præsenti vita ipsa sit perfectio, culmenque omnium virtutum: quia nec in corpore est aliquid*

quid integritate melius, nec in anima est aliquid fideli humilitate sublimius. Et rursus: *Proinde, vt integra maneat Deo dicata Virginitas, sicut custoditur integritas corporis, multo amplius custodienda est humilitas cordis. Si qua enim vere virgo est Christi, non potest Christo, nisi cordis humilitate coniungi.* S. BERNARDVS homilia prima super, *Missus est: Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat Virginitatem, & Virginitas exornat humilitatem. Laudabilis virtus Virginitas, sed magis necessaria humilitas: illa consulitur, ista præcipitur: ad illam inuitaris, ad istam cogeris. Potes denique sine Virginitate saluari, sine humilitate non potes. Potest inquam placere humilitas, quæ Virginitatem deplorat amissam: sine humilitate autem, audeo dicere, nec Virginitas Mariæ placuisset. Super quem, inquit, requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & quietum? Super humilem dixit, non super Virginem:* Et in sermone de beatissima Virgine Maria: *Respexit, inquit, Dominus humilitatem ancillæ suæ. Nam virginitas sine humilitate forte habet gloriam, sed non apud Deum. Humilia semper excelsus respicit, qui alta à longe cognoscit.* Id. c. 18.

III. Virtus est TIMOR DEI. Si enim Virgo, teste Apostolo, solicita esse debet in iis quæ sunt Domini, vt placeat Deo, certe & timore aliquo percelli debet; *Bonum est tibi*, ait S. AVGVSTINVS libro de Virginitate, *O anima Virginalis, vt sic quo modo Virgo es, sic omnino seruans in corde, quod renata es, seruans in carne quod nata es, concipias tamen à timore Domini, & parturias Spiritum salutis. Timor quidem non est in charitate, sed perfecta, sicut Scriptura dicit, charitas foras mittit timorem, sed timo-* 1. Cor. 7. 32. Isa. 26. 18. 1. Ioan. 4. 18.

rem hominum, non DEI timorem, temporalium malorum, non diuini in fine iudicij. Et vbi magis esse debet timor ille castus permanens in seculum seculi, quam in te, quæ non cogitas, quæ sunt mundi, quo modo placeas coniugi, sed quæ sunt Domini, quo modo placeas Domino. Ille alius timor non est in charitate: iste autem castus non recedit à charitate. Et infra: Quæ magis membra corporis Sancti, quod est Ecclesia, curare debent, vt super ea requiescat Spiritus Sanctus, quam illa quæ virginalem profitentur sanctitatē? Quomodo autē requiescit, vbi non inuenit locū suū? Quid autē aliud, quā cor humiliatum, quod impleat, non vnde resiliat, quod erigat, non quod deprimat, cum apertissime dictū sit: Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea? Iam iuste viuis, iam pie viuis, pudice, sancte, virginali castitate viuis: adhuc tamen hic viuis, & non humiliaris audiendo. Nunquid non tentatio est vita humana super terram? Non te à præsidenti elatione reuerberat: Væ mundo à scandalis? Non contremiscis, ne deputeris in multis, quarum refrigescit charitas, quoniam abundat iniquitas? Non percutis pectus, cum audis: Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat?

Psal. 18. 10.

Isa. 66. 2.

Iob. 7. 1.

Matth. 18. 7.

Matth 24. 12.

1. Cor. 10. 12.

IV. Virtus est VERECVNDIA, & silentium. Est enim verecundia, ait sanctus AMBROSIVS libro primo de Officiis, pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim regendæ castitatis pudor est comes, qui si se prætendat ad ea quæ prima pericula sunt, pudicitiā temerari non sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingressu Domini matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur, astruit, quod in cubiculo, quod sola, quod salutata ab angelo tacet, & mota est introitu eius,

Amb. c. 18.

eius, quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis. Itaque quamuis esset humilis, præ verecundia tamen non resalutauit. nam silentium ipsum, vt paulò ante monuit, *in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est.* Et in institutione Virginis: *Virginitatis,* inquit, *dos quædam est Verecundia, quæ commendatur silentio.* Et in Lucam, exponens verba illa: *Turbata est in sermone eius: Disce,* ait, *Virginem moribus, disce virginem verecundia, disce oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari.* Id c. 1. A. li. 2. c. 1.

Eandem verecundiam in Virginum Principe notauit B. BERNARDVS super, *Missus est: Solent Virgines,* inquit, *quæ vere Virgines sunt, semper pauidæ, & nunquam esse securæ, & vt caueant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse viuere angelice inter homines, & in terris more cœlestium conuersari, & in carne cœlibem agere vitam. Ac proinde quicquid nouum, quicquid subitum fuerit ortum, suspectas habent insidias, totum contra se æstimant machinatum. Idcirco & Maria turbata est in sermone angeli: turbata est, sed non perturbata. Quod turbata est, verecundiæ fuit virginalis: quod non perturbata, fortitudinis: quod tacuit & cogitauit, qualis esset ista salutatio, prudentiæ.* B. hom. 4.

V. Virtus est SOLITVDO vel Secretum. Ita rursus S. AMBROSIVS in exhortatione ad Virgines. *Attende,* inquit, *Virgo sacræ professioni, ab hominis irreuerentis oculis caue. Nullus sit tuus sine matre progressus, quæ sit anxia tui custos pudoris. Considera,*

quanta fuerit Maria, & tamen nusquam alibi, nisi in cubiculo reperitur cum quæritur. Decet solitudo verecundiam, & gymnasium pudoris secretum est. Quid enim tibi vel ad proximam facile accedere? Pes fatui facilis in domum proximi: qui autem sapiens est verecundatur. In-

A.lib.8.ep. 64. *de nasciũtur fabulæ.* Et in epistola ad Syagrium: *Quid præstantius præsertim virgine, cuius principuum opus verecundia, quam secretum? quid tutius secreto, & ad omnes actus expeditius? Munia enim pudoris induit, non concursationis.* Et rursus in Lucam: *Discant mulieres pro-*

Id.loc. cit. *positũ pudoris imitari in* B.V.MARIA. *Solã in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus angelus reperit: sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab angelo salutatur.* Eodem collimant quæ

H.ep.7. S. HIERONYMVS ad Lætam de institutione filiæ monuit, dicens: *Imitetur Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit, & ideo forsan timore perterrita est, quia virum, quem non solebat, aspexit. Æmu-*

Psa.44.14. *letur eam de qua dicitur. Omnis gloria eius filiæ regis ab*

Cant. 1.4. *intus. Loquatur & ipsa electo charitatis iaculo vulnerata. Introduxit me Rex in cubiculum suum. Nunquam exeat foras, ne inueniant eam, qui circumeunt ciuitatem, ne percutiant & vulnerent, & auferant theristrum pudicitiæ; quin potius, cum aliquis ostium eius pulsauerit,*

Cant. 5.& 6. *dicat: Ego murus, & vbera mea turris, laui pedes meos,*

H.ep 22. *non possum inquinare eos.* Plura habes in epist. ad Eustochium.

VI. Virtus est DEVOTIO in oratione vocali & mentali. Hanc expressit S. PAVLVS in priore epistola ad Corinthios: nam cum monuisset virginem debere *solicitam esse quæ Domini sunt, quomo-*

1. Cor.7. 35. *do placeat Deo*, subiecit: *Porro hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum*

honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. In quæ verba S. CHRYSOSTOMVS libro de Virginitate: *At nullum*, inquit, *tale impedimentum habet Virgo. nam ipsius domus ab omni perturbatione libera est, & omnis inde remotus clamor, ac velut in pleno tranquillitatis portu apud eam cuncta silentio continentur: ac silentio maior requies altera, qua præditus animus, tanquam nullam agens humani muneris partem, assiduè cum Deo colloquitur, & illum intentius intuetur.* S. CYPRIANI de bono Pudicitiæ verba sunt: *Virginitas, quid aliud est, quam futuræ vitæ gloriosa meditatio?* Quæ quasi repetens S. AVGVSTINVS libro de S. Virginit. *Virginalis*, inquit, *integritas angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* S. BASILIVS de vera Virginitate: *Cum cæteris, qui beati esse studēt, tum sponsæ Christi imprimis conuenit operationes animæ, quæ per sensus fiunt ab exterioribus ad interiora conuertere, ac sponso in intimis thalamis, vt DEO DEI verbo perpetua dilectione sociari, cum eo colloqui, & in eius die noctúque lege meditari, & his quidem, quæ ad sponsum ducunt, lege scilicet & Euangelio, & si qua his consona sponsi decorem exponunt oblectari.* SANCTVS AMBROSIVS tertio de Virginibus: *Oratio quoque nos Deo crebra commendat: si enim Propheta dicit, Septies in diem laudem dixi tibi, qui regni necessitatibus erat occupatus, quid nos facere oportet, qui legimus: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem? Certè solennes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cùm è somno surgimus, cùm prodimus, cùm cibum paramus sumere, cùm sumpserimus, & hora incensi, cùm denique surgimus, Sed etiam in ipso cubili vel Psalmo cum*

Psal. 118. 164.

Matth. 26. 41.

oratione Dominica frequenti contexas vice, vel cum euigilaueris, vel antequam corpus sopor irriget, vt te in ipso quietis exordio rerum secularium cura liberam diuina meditantem somnus inueniat. Et in exhortatione ad Virgines: *Attende tibi Virgo & tu, vt insistas orationi, & vultus tuus assidua obsecratione palleſcat. sed ante orationem præpara animam tuam, vt non videaris tentare DEVM, cùm deprecaris, vt id quod oras mores tui loquantur, fides adiuuet, opera commendent.*

VII. Virtus est MODESTIA, nempe in vultu, incessu, habitu, & sermone, virgineo statui congruens, de qua generatim monuit Apostolus omnes fideles, cùm ad Corinthios scripsit: *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis.* Et ad Philippenses: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* S. CYPRIANI in libro de bono Pudicitiæ de ea hæc monita sunt: *Nihil consideretur curiosè in alienis vultibus: Sermo & breuis sit, & sobrius risus. Signum est enim animi facilis & remissi: nam contactus recedat etiam honestus: nihil corpori liceat, vbi vitandum est corporis vitium. Cogitetur quam honestum sit vicisse dedecus, quam inhonestum victum esse dedecore.* S. BASILIVS libro de Virginitate: *Vera virgo ex morum puritate, tanquam ex vitreo fonte sermonem suum lucidum & purum effundere tranquillè debet, qui nō modò nihil noxiū aut subdolū, & quod sensum ad voluptatem demulceat, importet: verùm ne otiosum quidem ac ratione vacuum, atque ideò rationali anima indignum.* Et infrà: *Verùm neque vsquam in plateis, vbi turpium flagitiosorumq́, hominum conflari cœtus consuenit, sacra Virgo cernetur, sed captata congrua processionis hora, talem se & habitu & incessu, & toto corporis*

1. Cor. 14. 40.
Phil. 4. 5.

corporis motu exhibebit, vt qui illi fortè obuij fuerint ac si viuum Dei simulachrum aspicientes, facie ad reuerentiam atque admirationem sanctitatis inclinent: honestaq; virtutis admoniti mentem pudicam & sobriam referant. Similia memorat S. CHRYSOSTOMVS in sermone de regularium fœminarum habitatione cum viris: *VIRGO*, ait, *cùm in publicum se recipit, oportet vt omnis philosophiæ specimen præ se ferat, & omnes in stuporem conuertat, sicut angelus, si nunc è cœlo descenderet; & sicut Cherubin aliquis si in terris appareret, omnes homines in stuporem conuerteret: sic & Virginem omnes qui eam vident adducere in admirationem & stuporem suæ sanctimoniæ oportet. Nam dum vadit, quasi per desertum eat: quando autem sedet in Ecclesia, profundissimo silentio oculus nullum videat prætereuntium, non mulierum, non virorum, sed solùm sponsum præsentem & conspicuum.* S. AMBROSIVS in exhortat. ad Virgines: *Si virilis sexus iubetur tacere coram senioribus, quam indecorum est loqui virgines, & varios serere sermones? Nec ipsam quidem liberiorem lætitiam decet in Virginibus esse. Quæ si non habent quod fleant, lapsus fleant peccantium. Quid autem Ecclesiastes monuerit nos omnes de immoderatione ridendi, consideremus. Sicut vox, inquit, spinarum sub olla, ita risus stultorum. Nempe spinæ cùm ardent sonant, & citò exuruntur, vt nullus sit caloris effectus. Vnde & Iudæis dictum est. Exarserunt sicut ignis in spinis: exusti enim sunt suo risu, & conflagrarunt in Domini passione, quando in animæ suæ iocabantur incendium dicentes: Sperauit in Domino, eripiat eum.* S. AVGVSTINVS libro de sancta Virginitate laudans Virgines ab hac Virtute modestiæ: *Ecce iam non solùm homicidiis, & aliis grauioribus abstinetis. Verùm etiam illa*

Eccl. 7. 7.

Psal. 117. 12.

Psal 21. 9. Matth. 27. 43.

A. sub fin.

illa quæ leuiora vel sunt vel putantur, non inueniuntur, nec oriuntur in vobis, non improbus vultus, non vagi oculi, non infrænis lingua, non petulans risus, non scurrilis iocus, non indecens habitus, non tumidus aut fluxus incessus. Iam non redditis malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.

VII. Virtus est ABSTINENTIA cibi & potus, sed moderata. Qua de re diligenter & prolixè commonefacit Virgines S. BASILIVS mox post libri de Virginitate initium: *Ante omnia*, inquiens, *aduersus gustum virgo tota intentione pugnabit, fontesq; voluptatum ventris, & impudicitiæ fomitum inde manantium à principio castitatis studio siccabit. Virginem enim esse & gustum Virginis conuenit, nulliq; suauiter oblectanti illecebræ obnoxium. Neque tamen expedit dum nimis obseruat ne gustus voluptate rapiatur, contra ita corpus atterere abstinentia, vt inualidum & inutile reddatur. Ne declines enim, inquit, ad dexteram, siue ad sinistram. Extrema quæque, vt ait Sapiens quidam, ac per id inæqualia perniciosa sunt. Neque solùm escarum quantitas vbique probe metienda est, sed & qualitas, hoc est, recondita earum vis explorandæ est.* Idem monet eius frater S. GREGOR. Nyssenus in libro de Virginitate: *Virgini regula*, inquit, *hæc adhibenda est ad vitæ temperantiam accommodata, vt animum non adiungat ad aliquid, in quo permixta est voluptatis cupiditas, atque eam voluptatem maximè caueat quæ gustatu percipitur, quoniam vitij mater videtur. Quæ enim è cibo atque potione existunt voluptates, cùm modum plus iusto excedant grauium malorum necessitatem corpori imponunt. Ergo, vt nulla horum malorum turba corpus perturbatum in nobis tranquillum maneat, continentior vitæ disciplina est procuranda, vt*

N.c.21.

non

non voluptatem, sed necessarium in singulis vsum delectationis modum & terminum constituamus. S. AMBROSIVS in exhortatione ad Virgines: *Quid de* (Virginum) *parsimonia loquar? cùm sapiens dicat: Auferà me ventris concupiscentias, & concubitus cupiditas ne apprehendat me. Nec infirmitatem ex ieiunio, & abstinentiam reformides. Infirmitas enim grauis sobriã facit animam. Præ cæteris tamen in virgine præcellit studium sobrietatis. Sobrietatem dico nõ vini abstinentiam, sed corporalis lasciuiæ, qua grauius quam vino inebriamur.* S. HIERONYMVS ad Eustochium Virginem: H.ep.22. *Sit tibi moderatus cibus, & nunquam venter expletus: plures quippe sunt, quæ cùm vino sint sobriæ, ciborum largitate sunt ebriæ. Ad orationem tibi nocte surgenti, non indigestio ructum faciat, sed inanitas.* S. FVLGENTIVS ad Probam: F.ep.3. *Ad exteriorem Virginitatem, interioremq; seruandam solicita debet virgo semper exultare cautela, delitias carnis, & oblectamenta corporis omnino sacra Virgo refugiat. Spiritalis enim Virginum sponsus non quærit in Virgine carnem delitiis accuratam, sed ieiuniis castigatam. Hoc Doctor gentium* 1.Cor.9. *cùm se facere dicit, nobis quoque insinuat faciendum. Castigo, inquiens, corpus meum, & seruituti subiicio.* Et rursus: *In vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis.* 27. 2.Cor.11. 27. 1.Ti.5.6. *Non quærat ergo Christi virgo carnis delicias, quas nec viduæ videt esse concessas. Quæ in delitiis est vidua, ait idem, viuens mortua est.* Et paulò post: *Porrò ieiuniis sic est adhibenda temperies, vt corpus nostrum nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Talis igitur tantaq; Virginis ieiunium refectio subsequatur, vt nec suauitate corpus illiciat, nec saturitate succendat. Saturitas facit, vt inaniter ieiunemus: debilitas facit, ne ieiunare possimus.*

CAPVT

CAPVT V.

De Mediis ad tuendam Virginitatem idoneis.

PRIMI Medij locum obtinere possunt VIRTVTES superiori capite enumeratæ, quas diximus cum Virginitate debere esse coniunctas.

II. MEDIVM sit diligens custodia omnium sensuum, quod præscribit S. BASILIVS loco sæpe allegato. *Sancta virgo,* inquiens, *sensuum fenestris custodem admouere rationem, eorumq; ad exteriora progressum, nequaquam eis transitu libero passim permisso moderatum & quietum efficere omni studio curabit, ne scilicet, si ad quæ velint, effundantur, supernatantem sibi interdum animam fluctibus agitent, & ad sua vitia pertrahant.* PRIMÒ autem OCVLI custodiendi sunt: *Omnis enim,* ait Christus, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Vnde S. AVGVSTINVS ad Monachas: *Oculi vestri etsi iaciuntur in aliquem, figantur in neminem. Neque enim quando proceditis, viros videre prohibemini, sed appeteri, aut ab ipsis appeti velle criminosum est.* 2. AVRES. *Ne auditum quidem,* ait S. BASILIVS, *temerè & indiscussè verbis omnibus Virgo accommodabit, cæterùm ad ea quæ mala sunt & noxia, ipsum velut ad pestem quandam putidi ac pernicioſi amnis obturabit. His verò quæ sunt optima, emanántque virtutis purissimos latices tota intentione subiiciet.* 3. GVSTVS custodiendus est, de quo paulò antè egimus. 4. TACTVS, quem *vt sensuum omnium pernicioſissimum,* inquit S. BASILIVS, *& sæuissimè blandientem, sensusq; reliquos in sua ad voluptatis illecebras pellicentem, immaculatum & perturbationibus minimè peruium, semper quam maxima poterit cura seruabit. Hic enim*

Mat. 5. 28.
A. ep. 109.
B. ib.

tota

tota cùm sit diffusus corpore, per omnem illius superficiem, non eam solùm, quæ apparet extrinsecus, verùm & quæ altius recondita est ad vitiosos contactus aduersus animam sæuè dominatur. Vnde Apostolus: *Bonum est homini mulierem non tangere. Malum est ergo tangere,* 1.Cor.7.1. infert HIERONYMVS in Iouinianum: *nihil enim bono contrarium est nisi malum. Non dixit, bonum est vxorem non habere, sed bonum est, mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit: quasi qui illam tetigerit non euadat, quæ virorum pretiosas animas rapit, quæ facit adolescentium euolare corda. Alligabit quis in sinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis & non ardebit?* H.lib.1.

III. MEDIVM est. Vitare occasiones lædendæ Virginitatis. PRIMA est virginum commoratio cum masculis. nã S. CYPRIANVS ad Pomponium, ita scribit: *Primo in loco & præpositis & plebi nihil aliud elaborandum est, quam ad vitam singulis fideliter consulere, nec pati Virgines cum masculis habitare, non dico simul dormire, sed nec simul viuere: quando & sexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frænari à nobis & regi debeat, ne diabolo insidianti & sæuire cupienti, ad nocendum detur occasio, quando & Apostolus dicat: Nolite locum dare diabolo. Liberanda est vigilanter de periculosis locis nauis, ne inter scopulos & saxa frangatur. Exuenda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis superuenientibus concremetur. Nemo diu tutus est, periculo proximus. Denique quam graues multorum ruinas hinc fieri videmus, & per huiusmodi illicitas & periculosas coniunctiones corrumpi plurimas virgines cum summo animi nostri dolore conspicimus.* C.lib.1.ep. 11. 2. Est CHOREAS adire. Vnde HIERONYM. de Virginibus: *Ab hac* (saltatione) H.lib.3. *virgines*

virgines Dei procul esse desidero. Nemo enim, vt dixit quidam secularium Doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. Et infrà: *Quid ibi verecundiæ potest esse, vbi saltatur, strepitur, concrepatur? Quid dicitis vos sanctæ fœminæ, videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? saltet, sed adulteræ filia. Quæ verò pudica, quæ casta est, religionem doceat filias suas, non saltationem.* 3. occasio est, admittere quæuis oscula. *Verendũ quippe est,* vt bene monet S. Basilivs de Virginitate, *ne ex consuetudine nostra atque confidentia sumpta occasione peccatum operetur in nobis omnem concupiscentiam. Sufficit namq; peccatum & per tactum fraternæ manus, & per pacis ac dilectionis osculum sensum carnis ad sua molienda opera latenter excitare, & concupiscentiæ oculos, sicut Adæ, post voluptatis gustum amplius ad malum aperire. Non ergo vel vtero eodem genita soror iugi fratris tactu & osculis se assuefaciat, ne per assiduitatem exorta in intimis passio suo tempore in actum prorumpat. Nempe enim & ab huiusmodi flamma externæ quoque Sapientiæ ratio retrahens: formosorum, inquit, oscula cauere oportet, non secus, quam venenatorum animalium morsus: diffunditur enim venenum ex osculo per omne corpus.* 4. Occasio est interesse Nuptiis. *Quis ille*, clamat S. Cyprianvs de habitu Virginum, *in nuptiis locus est, cui animus ad nuptias non est? aut voluptaria illic, & læta esse quæ possunt, vbi & studia & vota diuersa sunt: quid illic discitur, quid videtur? quantum à proposito suo Virgo deficit, quando pudica quæ venerat, impudica discedit? corpore licet virgo ac mente permaneat; oculis, auribus, linguæ minuit illa quæ habebat.* 5. Adire balneas, quod reprehendit ibidem Cyprianus. Quid verò, inquiens, *quæ promiscuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidi-*

Meminit Laërtius & Stobæus.

libidinem curiosis, pudori ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt, quæ cum viros, atque à viris nudæ videri turpiter, ac videntur, nónne ipsæ illecebram vitijs præstant? nónne ad corruptelam & iniuriam suam desideria præsentium solicitant, & inuitant? Verecundia illic omnis exuitur, simul cum amictu vestis, honor corporis ac pudor ponitur, denotanda & contrectanda virginitas reuelatur. Et S. HIERON. ad Lætam: *Mihi omnino in adulta virgine lauacra displicent, quæ se ipsam debet erubescere, & nudam videre non posse: Si enim vigilijs & ieiunijs macerat corpus suum, si incentiua feruentis ætatis extinguere cupit continentiæ frigore, cur è contrario balnearum fomentis sopitos ignes suscitat?* Et S. BASIL. libro citato: *Non decet virginem, etiam cum sola domi est, ideo quod nullus adsit hominũ, passim licenterq; nudari. Et cum corpus necessario curandum est: & capitis vittas & singulatim cætera constringens, id opus celeriter exigat, & quantum fieri potest operiat membra, non solum suos, angelorumq; oculos verens, verum se, vt in suæ exercitationis domicilio ad verecundiam studiose semper exercens. Quod si neque cum sola est nudari sine ratione permittitur, quanto minus fratribus in Christo præsentibus?* 6. & postremum, amare ornatum & pretiosum vestitum, cõtra quem multa diximus in PANARIO V. *Vestium luxus.* Hiero. epi. 7. B. de Virg.

IV. MEDIVM est. Consideratio incommodorum coniugij, & commodorum Virginitatis, quæ prolixe persequuntur S. BASILIVS libro de vera Virginitate longè ante medium, S. GREG. Nyssenus de Virginitate, cap. 3. 4. 7. 13. S. CHRYSOST. libro de Virginitate, cap. 11. & sequentibus multis, S. HIERONYM. aduersus Heluidium de perpetua Virginitate B. MARIÆ, & libro primo

in Iouinianum. Et S. AVGVSTINVS de S. Virginitate. Quæ commoda autem Virginitati tribuerit Apostolus in cap.7. prioris ad Corinthios, attigimus in Titulo de Castitate.

V. Est ORATIO, vel imploratio diuinæ opis. Neque enim dubium est Virginitatis virtutem inter maxima DEI dona reputandam. Donum DEI vocat Apostolus, cum ait: *Volo omnes esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Et sapiens ait: *Sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEVS det, & ideo adij Dominum & deprecatus sum illum.* Hoc medium præscripsit S. CYPRIANVS libro de Bono pudicitiæ, in fine. & IOAN. CASSIANVS libro 6. institutionum monasticarum cap.6. & 23.

1. Cor. 7. 7. Sap. 8. 22.

IV. Consideratio exemplorum Christi, B. Virginis Mariæ, & innumerabilium Virginum Sanctarum, quæ etiam sanguinem pro Virginitate sua sarta tecta præstanda profundere non dubitarunt: *Quid enim*, orat S. AMBROSIVS in libro de Institutione Virginis: *vel ad inuitanda Virginum studia, confirmandámque virtutem, vel ad concelebrandam Virginitatis gloriam plus conferre potuisti, quam vt DEVS ex virgine nasceretur?* Et initio libri 2. de Virginibus: *Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, vitaque beatæ Mariæ, è qua velut speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, &c.* Subiicit deinde exemplum B. THECLÆ Virginis. S. AVGVSTINVS vrget exemplum Christi: *Certe*, inquiens, *principuum magisteriũ, & Virginalis integritatis exẽplum in ipso Christo contuendum est.* S. HIERON. exemplum

Augu. l. de Virgin. Hier. 1. in Iouin.

plum S.Ioannis Euangeliſtæ.S.CHRYSOST.B.Pauli. Alij aliorum.Certe quod veterum Patrum ſeculo *plures fuerint Virgines quam coniugatæ*, vt teſtatur S.CHRYSOST. ſermone 13.in epiſtolã ad Epheſios, non niſi exempli beneficio factũ eſt.Vnde S. AMBROSIVS initio libri 2. de Virginibus: *Virginem*, inquit,*exemplis potius quam præceptis putauimus imbuendam, licet amplius proficiatur exemplo, quoniam nec difficile, quod iam factum eſt, exiſtimatur, & vtile quod probatum,& religioſum,quod hæreditario quodam paternæ virtutis vſu in nos eſt ſucceſſione transfuſum.* C.de Virginitate.

DENIQ. quod ad Caſtrationem corporalem Eunuchorum attinet, eam non eſſe Medium ad Virginitatem cuſtodiendam,fuſe tradit S. BASILIVS ſub finem libri de Virginitate,& S.CHRYSOST.in Matthæum homilia 63.

VIDE in VIRID.V. Caſtitas, Temperantia.& in PANARIO, V. Luxuria.Mulierum commoratio cum clericis vel monachis.

DE VOVENTIVM STATV.

CAPVT I.

De definitione Voti.

VOTVM S. GREGOR. Nyſſenus in homilia de oratione Dominica ita definit: *Votum eſt promiſſio alicuius rei,quæ pietatis nomine dedicetur, & ſacris deſtinetur.* Breuius. VOTVM eſt promiſſio Deo, vel Sanctis in cœlo cum Deo regnantibus facta. Per N. hom.2.

promissionem intelligimus actum, quo nos obligamus; Nec enim sufficit ad votum, statuisse aliquid facere, nisi etiam promittatur. Quod autem
Gen. 28. 20. DEO fiat votum, liquet ex Scripturis, vt ex Genesi. Vouit, inquit, etiam votum (nempe Iacob) dicens: *Si fuerit DEVS mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendū & vestimētum ad induendum, &c. erit mihi Dominus in Deum, cunctorumq; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Et ex Deuteronomio: *Cum votum*,
Deut. 23. 21. ait, *voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus. Si nolueris*
Psal. 131. 2. *polliceri* (vouere) *absque peccato eris.* Et in Psalmis de Dauide dicitur: *Votum vouit Deo Iacob.* Et apud
Isa. 19. 21. Eccl. 5. 3. Isaiam: *Colent eum in hostiis & muneribus, & vota vouebunt Domino & soluent.* Ecclesiastes quoque ait: *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. displicet enim ei*
1. Tim. 5. 12. *infidelis & stulta promissio.* Et S. Paulus: *Cum luxuriatæ*, ait, *fuerint in Christo* (viduæ) *nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* vbi, per *primam fidem*, omnes prisci Patres intelligunt votum continentiæ. Vnde S. AVGVSTINVS in Psalmum 75. *Quid est*, inquit, *primam fidem irritam fecerunt? vouerunt & non reddiderunt.*

VOTA vero posse etiam Sanctis cum Deo regnantibus nuncupari iidem veteres Patres non se-
E. cap. 7. mel testati sunt. NAM EVSEBIVS libro 3. præparationis Euangelicæ in persona Christianorum agens de Martyribus: *Nos*, ait, *veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes ad monumenta illorum accedimus, votaque illis facimus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad DEVM non parum iuuari profitemur.* Et B. THEODORETVS libro 8. ad Græcos,

cos, cum dixisset varia à S. Martyribus peti: *Pie*, subdit, *fideliterque precatos ea maxime consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei persoluunt. Nam alij quidem oculorum, alij vero pedum, alij manuum simulachra suspendũt ex argento auroue confecta*, &c. PALLADIVS in historia Lausiaca scribit S. Philoromum ex voto Apostolis nuncupato venisse Romam ad limina Apostolorum, & deinde Alexandriam ad S. Marcum. P. ca. 113.

PRVDENTIVS in hymno de SS. Hemiterio & Chelidonio.

Illitas cruore sancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant obseruantes
Voce, votis, munere.

S. PAVLINVS natali primo de S. Felice.

Hunc liceat celebrare diẽ, pia reddere corã, Vota, &c.

Et Natali quarto.

Annua vota mihi remeant, simul annua linguæ Debita, &c.

S. GREG. Turonicus libro 2. historiæ Francorum meminit Voti, quod nomine Clodouæi Regis S. Martino fecerunt ministri eius: *Domino*, inquit, *gratias agentes, & B. Confessori promittẽtes læti nunciauerunt Regi*, &c. Gr. c. 37.

Fauisse autem valde vsitatum olim in Ecclesia vouere Sanctis, patet ex testimonio FAVSTI Manichæi, ita loquentis apud S. Augustum libro 20. in Faustum edito: *Idola vertistis in martyres, quos votis similibus colitis*. Aug. ca. 3.

Nostro autem seculo Dominicani teste Caietano & alij religiosi, dum professionẽ edunt, hac formula fere vtuntur: *Voueo Deo, & B. Mariæ & omnibus Sanctis, me Prælato tali vel tali obedituru*ũ. Dices. Vouere est actus latriæ soli Deo debitus. Resp. cùm Deo aliquid vouetur esse C. 22. q. 88. a. 5.

actum latriæ, cum sanctis duliæ. Aliter enim promittimus Deo munus, aliter Sanctis. DEO quidem in signum gratitudinis erga primum principium omnium bonorum; Sanctis vero in signum gratitudinis erga mediatores vel intercessores, per quos à Deo beneficia accipiamus. DENIQ. & Ethnici hanc Voti naturam agnouerunt & vsurparũt. nam M. TVLLIVS lib. 1. de diuinatione auctor est, Attium Nauium, cum propter paupertatem sues puer pasceret, vna ex his amissa, *vouisse, si recuperasset, vuam se Deo daturum, quæ maxima esset in vinea.*

CAPVT II.

De materia legitima Voti.

MATERIAM vocamus rem, quæ vouetur vel promittitur Deo, vt orationem, ieiunium, peregrinationem ad loca sancta, &c. Hæc autem debet semper esse de præstantiori bono: nihil enim voueri potest nisi id quod præstet facere quam omittere. ITAQVE vicem Materiæ voti subire nequeunt. 1. PECCATA, quia vouere Deo peccatum, non est Deo munus promittere, sed minari. Tale votum erat eorum Iudæorum, qui
Act. 23. 13. in Actis Apostolicis vouerunt se occisurum Paulum. Vnde S. FVLGENTIVS libro de fide ad Petrum:
F. cap. 3. *Tunc vnusquisque, ait, regnum cœlorum possidebit, &c. si quod scit esse licitum, & ad profectum vitæ melioris pertinere cognoscit, libenter voueat & celeriter reddat.* 2. ADIAPHORA opera, vt adire forum, nec enim potest Deo placere opus vanum &
Eccl. 5. 3. inutile: *Displicet enim ei*, ait Sapiens, *stulta promissio.* Quod si ex circumstantia indifferens illud opus fiat

fiat bonum vel malum, vt si voueat se aditurū forum, ad emendum panem pro pauperibus, poterit esse materia voti. 3. IMPOSSIBILIA, vt si quis voueat se nunquam peccaturum venialiter, quod moraliter secundum legem ordinariam fieri nequit. 4. NECESSARIA, vt si quis voueat se moriturum, quando placuerit Deo. 5. Ea opera bona, quæ maiora bona impediunt, vt si quis voueat se ducturum vxorem, nisi si quando contingat melius esse alicui hoc facere, quam omittere; tunc enim posset esse legitima materia voti. Vnde S. FVLGENTIVS paulo ante dixit, non esse vouendum, nisi quod *ad fructum vitæ melioris pertinet.* Et S. AVGVST. de S. Virginitate: *potuistis*, ait ad Virgines: *coniugia non deuitare prohibita, sed transuolare concessa.* Et de bono Viduitatis: *Non nuptias abs te damnatas esse velis, sed spretas. Bonum ergo continentiæ luculentius decet, cum pro illo vouendo & profitendo possunt contemnere feminæ, quod & libet & licet.* Eodem pertinet, si quis voueat se non ingressurum religionem. Voti enim materia debet esse bonum. talis autem videtur vouere se restituturum Spiritui Sancto, quod est malum. Aug. c. 11.

MATERIA vero legitima Voti esse possunt. Primo & maxime proprie, consilia Euangelica tria, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ. 2. Omnes actiones virtutum, & quicquid melius consultiusque est fieri, quā non fieri, maxime si non cadat sub præceptū, vti sunt omnia opera, quæ dicuntur supererrogationis, vt ieiunij, orationis, eleemosynæ, peregrinationū. Cum enim ad opera ex præcepto facienda satis ligati simus ex ipso præcepto,

non opus est noua vincula quærere, ne occasionem grauius peccandi nobis ipsi sine magna vtilitate procuremus. Inficiandum tamen non est, vt bene monent Theologi, opera lege diuina, humanaue præcepta posse esse legitimam materiam voti. Consuetudo siquidem Religiosorum, & aliorum est vouere omnimodam castitatem, atque adeo etiam eam quæ est præcepta. Secundo, quia nihil impedit, quo minus pluribus titulis possit quis obligari ad aliquid, vt liquet cum idem præcipitur iure naturali & positiuo, Ecclesiastico & ciuili. 3. S. AVGVSTINVS in Psalmum 75. ita scribit, exponens verba illa: *Vouete & reddite Domino. Quisque quod potest voueat & reddat. Vouete & reddite Domino Deo nostro omnes communiter. Quid debemus vouere? credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, bene viuere secundum communem modum. Est enim quidam modus communis omnibus, furtum non facere, non nubere castimoniali præcipitur, & nuptæ non præcipitur, adulterium non facere omnibus præcipitur, non superbire omnibus æqualiter præcipitur, non hominem occidere, non odisse fratrem, non aduersus aliquem tenere perniciem omnibus in communi præcipitur. Hoc totum omnes vouere debemus. Sunt etiam vota* (subiungit) *propria singulorum. Alius vouet Deo castitatem coniugalem, vt præter vxorem suam non nouerit aliam: Sic & fœmina, vt præter virum suum non nouerit alium. Alij etiam vouent, & sic experti tale coniugium, vltra nihil tale pati, nihil tale concupiscere aut sustinere, & ipsi vouerunt aliquid maius, quam illi. Alij virginitatem ipsam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti sunt, & reliquerunt, & isti vouerunt plurimum.*

alij

Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus Sanctis aduenientibus. magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem Sanctorum. magnum votum vouit. Quisque quod vouere voluerit, voueat, illud attendat, vt quod voverit, reddat. Et in Aphorismis à B. PROSPERO collectis: *Quisquis*, inquit, *bene cogitat, quæ voueat Deo, & quæ vouendo persoluat, seipsum voueat & reddat, hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo.* Similia habet ser. 7. de Tempore. S. 15. A. cp. 45. Luc. 20. 28.

CAPVT III.

De Votorum Dignitate & Vtilitate.

DIGNITATEM Votorum inde cognoscere possumus, quod sit actus latriæ, vel religionis, quæ inter omnes Virtutes morales tenet principatum. Vnde ISAIAS Propheta in hunc modum loquitur de Ægyptiis ad Christum olim conuertendis: *Cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & in muneribus, & vota vouebũt Domino & soluent.* vbi posteriora verba explicant priora. Vota enim munera sunt. DEINDE TERTVLLIANVS libro de Resurrectione carnis, ieiunia, delectum ciborum, virginitatem & viduitatem. AVGVSTINVS vero libro de ciuitate Dei 10. omne opus bonum propter Deum factum, vocat *sacrificium Deo gratum.* S. EPIPHANIVS in Panario, Virginitatem & abdicationem rerum appellat *approbatum DEI cultum.* Et HIERON. lib. 1. in Iouinianum: *illa*, inquit, *virginitas hostia est Christo, cuius nec animum cogitatio, nec carnem libido maculauit.* Quanto magis, si hæc omnia promittan Isa. 19. 21. Aug. ca. 6. E. hær. 48.

mittantur Deo talem nomenclaturam merebuntur? Adhæc quod præstantius opus ab homine edi potest, quam quod exemplum Apostolorum secutus, non modo bona fortunæ omnia, verum etiam corporis & animi, atque adeo seipsum totum per sacra vota offerat Deo & hominibus? Vn-

Aug. ca. 4. de S. AVGVST. Apostolos vocat potentissimos li. 17.

1. Reg. 2. 8. de ciuitate DEI: *De terra,* inquiens, *suscitatus est super omnes diuites ille pauper, (Christus,) & de illo stercore erectus est supra omnes opulentos ille inops, vt sedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis super duodecim sedes. Et sedem gloriæ hæreditatem dans eis. Dixerant enim potentes illi. Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te: hoc votum potentissimi vouerant. Sed vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuo dictum est, dans*

Matth. 19. 27.

1. Reg. 2. iuxta 70. *votum vouenti? Non enim Domino quicquam ratum voueret, nisi qui ab illo acciperet, quod voueret.* Et in Psalmũ 131. *Nil melius possumus dicere DEO, quam posside nos.* In eandem sententiã S. HIERON. ad Lucinium: *Aurum deponere, incipiẽtium est, nõ perfectorum. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes. Seipsum offerre Deo proprie Christianorum est & Apostolorum, qui duo cum vidua paupertatis suæ in gazophylacium æra mittentes, totum censum, quem habuerũt, Domino tradiderunt & merentur audire: Sedebitis super 12. solia, iu-*

H. ep. 28.

Id. ep. 103. *dicantes 12. tribus Israel.* Et ad Paulinum: *Victus & vestitus diuitiæ Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuã, vende: si non habes, proiice. Tollenti tunicam, & pallium relinquendum est. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit.*

VOTORVM VTILITAS.

IAM vero fructuosam & vtilem esse Votorum nuncupationem multis argumentis demõstrari potest.

poteſt. PRIMVM ſit quod Spiritus Sanctus ad ea nuncupanda, reddendaque nos hortetur, vt in Pſalmis: *Vouete & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Pſal.75. 12. Nec non S. PATRES, vt AVGVST. in eadem verba ſcribens: *Quiſque quod vouere voluerit, voueat, illud autem attendat, vt quod vouerit reddat.* Et in Epiſtola ad Armentarium, qui vna cum vxore continentiam vouerat: *Quanquam & ſi non vouiſſes, quid aliud tibi ſuadendum fuit, aut quid melius ab homine fieri poteſt, quam vt ei ſe reſtituat, à quo inſtitutus eſt? præſertim, quia charitatis erga nos Dei tantum apparuit atque illuxit indicium, vt filium ſuum vnigenitum mitteret, qui pro nobis moreretur.* A.ep.45.

2. Quia opus quodlibet bonum acceſſione voti, redditur illuſtrius, ac Deo gratius, binæ enim virtutes præſtant vni. Bene facis, ſi ad honorem Dei ieiunes, quia virtus temperantiæ eſt: at ſi idem ieiunium voueas, facies melius, quia virtus religionis eſt, temperantia præſtabilior. Vnde S. AVGVSTINVS libro de Virginitate: *Neque enim ipſa*, inquit, *Virginitas, quia virginitas, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur: quæ licet in carne ſeruetur, ſpiritus tamen religione ac deuotione ſeruatur, ac per hoc ſpiritualis eſt etiam Virginitas corporis, quam vouet ac ſeruat continentia pietatis.* Et infra: *Honoratius in animi bonis illa continentia numeranda eſt, qua integritas carnis ipſi creatori animæ & carnis vouetur, conſecratur, ſeruatur.* Aug. ca.2.

3. Quia Apoſtolus ad Corinthios ait: *Qui adhæret Domino, vnus Spiritus eſt.* 1.Cor.6. 17. at arctius nullus ei adhæret, quam qui votorum vinculis ei aſtringitur: quare nec vllus vberius de eius ſpiritu cõmunicat. Nam, quemadmodum ſi quis columnæ alligetur,

non

non tam is columnæ, quam etiam columna ipsi alligatur: sic qui Deo se astringit, viciſſim etiam Deum sibi quodammodo astringit, & cum Deo omnia bona, omnesque cœlestium bonorum thesauros.

4. Quia qui vouet aliquod opus, vt ieiunium, paupertatem vel obedientiam, non modo opus, sed etiam voluntatem, vel liberum arbitrium ista faciendi DEO dedicat, illudque mactatum nobili quodam sacrificio integre offert. Quæ quidem voluntas cum inæstimabile quoddam sit bonum, homini intimum, & ita charum, vt præ hoc omnia facile contemnat, fieri non potest, quin hoc donum Deo exiſtat gratiſſimum. Vt enim hominibus gratiores sunt, qui non fructus modo arboris, quæ similitudo S. ANSELMI est, in libro de similitudinibus, sed ipsam adeo arborem dono impertiunt: sic qui Deo offerunt non solum laudabiles actiones voluntatis, sed ipsam adeo voluntatem, actionem omnium fontem.

A. cap. 4. 5. Aristoteles in secundo de Moribus libro eam proprietatem in quaque Virtute postulat, vt secundum eam homo immobiliter, hoc est constanter & firmiter operetur, at nulla ad constantiam in virtutum exercitio obtinendam, via accommodatior est, quam si votorum beneficio nobis neAu. ep. 45. cessitatem imponamus. Vnde S. AVGVSTINVS ad Armentarium: *Non te vouisse pœniteat, imo gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta factis imple: ipse adiuuabit, qui vota nostra expetit. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit.* Etenim velut vites, aliæque teneriores arbusculæ vinciri solent ad stipite

pites firmiores, à quibus sustententur; sic homo, natura leuis & inconstans, ad voti stabilitatem alligare debet voluntatem suam, vt in virtutis quam vouit studio perseueret. ISAAC sua, patrisque voluntate alligatus est, antequam immolaretur. cur vero? nempe, vt bona illa & recta voluntas maneret immobilis, nec vlla perturbatione dissolui posset, quod sane non timoris, sed ingentis fortitudinis animi fuit argumentum. Omnium certe gentium vsus obtinuit, vt siue Magistratus creentur, siue miles conscribatur, siue matrimonia, aliive contractus magni momenti ineantur, solenni iurisiurandi formula pacta conuenta concludãtur, non aliam certe ob causam, quam vt nihil eorum de quibus conuentum est, facile immutetur. Quanto minus pacta conuenta inita cum Deo per voti sacramentum, immutari debent: *Iurauí*, dicebat sanctus ille Rex: *& statui, custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Gen 22.9. Psal. 118. 106.

CAPVT IV.

De Votorum reddendorum necessitate.

NECESSITATEM votorum reddendorum Sacræ litteræ, sanctique Patres aperte contestantur: *Cum votum voueris Domino Deo tuo, ait* MOYSES: *non tardabis reddere. Nam requiret illud Dominus Deus tuus: quod si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Salomon vero in Prouerbiis: *Ruina est homini vota retractare.* vbi S. HIERON. annotat, damnationem incurri ab eo qui votum violat. Et Ecclesiastes: *Si quid vouisti Deo ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta promissio: sed quod* Deut. 23. 21. Prou. 20. 25. Eccl. 5. 3.

quodcunque voueris redde: multoq; melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere. Et Apo-
1.Tim.5. 11. stolus agens de Viduis: *Habentes*, inquit, *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt*, hoc est, votum cõtinentiæ, vt exponunt omnes Patres.

Basil.q.14. Ex S. Patribus est BASILIVS, cuius in quæstionibus fusius explicatis hæc sunt verba: *Qui seipsum Deo semel deuouerit, hic si ad aliud vitæ genus se transtulerit, sacrilegij se scelere obstrinxit, quippe qui seipsum Deo, cui se cõsecrauerat veluti subterfuratus sit.*

Ambr.l.9. c.20. Eccl.5.3. S. AMBROSIVS in Lucam: *Quam grauia vincula promittere Deo & non soluere? Melius est*, inquit, *non vouere, quam vouere & non reddere. Maior est contractus fidei, quam pecuniæ. Redde promissum, dum in hoc corpore es, priusquam veniat exactor, & mittat*

Chr.ep. 6. *te in carcerem.* S. CHRYSOST. ad Theodorum lapsum: *Te iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum. Angelorum enim societati semel iunctũ illam relinquere & vxoris laqueis implicari adulterij crimen incurrere est. Quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus angelus*, S. AV-

Aug.c.11. GVSTINVS libro de bono Viduitatis. *Planè non dubitauerim dicere lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vouetur Deo, adulterijs esse peiores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cum membrum eius fidem non seruat marito, quanto grauius offenditur, cum illi ipsi non seruatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cum enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vouit, tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit*

Fulg.c.3. *vouendi necessitatem.* S. FVLGENTIVS de fide ad Petrum.

Petrum: *Quisquis in corde suo continentiam Deo vouerit, non solum si mortifero fornicationis crimine maculetur, verum etiam si aut vir vxorem accipere aut mulier nubere voluerit, secundum Apostoli sententiam damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit.* 1. Tim. 5. 11. Greg. li. 5. ep. 33.

S. GREGOR. ad Venantium: *Si Ananias mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nūmos, DEO abstulit, cōsidera quāto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti?* Act. 5. 1. B. PETRVS Damiani de dedicatione Ecclesiæ: *Qui non reddit, quod vouet, quasi Deum prouocat & irridet. Reddendum est votum integrum & perfectum, quia aliter non satisfaceret Deo, qui votum nostrum tanquam proprium exigit debitum.* Pet. ser. 2. Plura testimonia, & exempla eorum, qui diuinitus ob violata vota grauiter puniti sunt, in PANARIO, V. *Votorum Violatio*, reperies.

CAPVT V.

De quibusdam Voti proprietatibus.

PRIMA Proprietas est, quod duplex sit Votum, Simplex & solemne. Simplex est, quod in nuda tantum promissione consistit, & si sit castitatis impedit Matrimonium contrahendū, hoc est, quo minus licite & sine peccato possit contrahi. Solemne vero est, quod consistit in promissione quidem Deo facta, sed affecta certis circumstantiis, accedente approbatione & cōstitutione Ecclesiæ. Nam BONIFACIVS VIII. in lib. 6. decretalium affirmat *solemnitatem voti ex sola constitutione Ecclesiæ inuentam esse.* Bonif. c. de voto & voti red. Hoc autem solemne Votum est

est duplex secundum decreta Pótificum. Alterum in susceptione sacrorũ ordinum, alterum in professione religiosæ vitæ, vt habetur in Decretalibus, titulo, *qui clerici vel vouentes:* Vtrumque autem non solum impedit matrimonium cõtrahendum, sed etiam dirimit contractum. Olim hæc solemnitas, ex parte Virginum, collocata erat in susceptione Veli, quod ab Episcopis vel palam in Ecclesia, vel domi cũ benedictione dabatur, etiãsi in ædibus paternis remanerent, de quibus multa apud S. AMBROS. aliósque veteres Patres.

D. ca. rursus. ca minimus. ca. consuluit.

II. Proprietas est, quod quidam possint vota edere, quidam non possint. Possunt omnes, qui sui iuris sunt, & satis maturo iudicio præditi. Sui autem iuris non sunt quatuor hominum genera. Primo *serui vel mancipia*, qui nequeunt circa consensum Dominorum vouere ea quæ impediunt corporale eorum seruitium, vt ingressum in religionem, longam peregrinationem, &c. quæ vero non impediunt, possunt, vt castitatem, eleemosynam. Ita definiuit GELASIVS I. Pontifex epistola prima. 2. *coniuges.* nam vir sine consensu vxoris non potest vouere continentiam, nec vxor sine consensu viri. Nam vt docet Apostolus: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem vt vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Vnde S. AVGVSTINVS ad Riparium qui vna cum vxore vouerat continentiam: *Vna*, inquit, *sola esse causa posset, quare id quod vouisti, non solum non hortaremur, verum etiam prohiberemus implere, si forte tua coniux hoc tecum suscipere animi seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vouenda talia non sunt à coniugatis, nisi ex consensu & voluntate communi.*

G.c. 16.

1. Cor. 7. 4.

Au. ep. 45. & 199.

Neque

Neque enim DEVS exigit, si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potius vsurpare vetat alienum. Diuina quippe de hac re per Apostolum est prolata sententia. Vxor non habet potestatem corporis sui, &c. 3. *Filij* non sunt sui iuris; quare inuitis parentibus non possunt vota nuncupare, nisi seruatis duabus conditionibus. Altera, vt ad annos pubertatis peruenerint, qui est decimus quartus in masculo, vt habes in 6. Decretalium, titulo de Regularibus; duodecimus autem in fœminis, vt habetur apud Gratianum canone *Puella.* Altera, vt si vouerint religionem, sine eorum auxilio parentes viuere possint. nam si possunt viuere, poterunt & filij vouere. Clare enim Christus dixit: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Et apud Lucam cuidam à se vocato, nec potestatem salutandi parentis indulsit, & alibi alteri nec sepeliendi. Idemque docuere S. Patres HIERORYMVS ad Heliodorum. Chrysostomus contra vituperatores monastices. Augustinus ad Lætum. Gregorius in Euangelia & Bernardus. 4. Religiosi, qui per votum obedientiæ omne voluntatis suæ ius in superiorē transferre solent. Votum enim obedientiæ deducitur ex illis verbis Christi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*; at abnegare seipsum, est nullo proprio iudicio regi velle. Quare qui verum religiosum se profitetur, nihil citra consensum Superioris vouere, vel statuere de se debet.

D.c.1. G.20.q.2. Matth.10. 37. Luc.9.59. Matth. 8. 21. H.ep.3. C.lib.3. A.ep.38. G. hom. 37. B.ep.111. Matth.16. 24.

III. Proprietas, quod veri nominis votum fieri debeat cum deliberatione rationis, saltem imperfecta. Votum enim debet esse actio humana, promissio autem indeliberata, est actus naturalis, immo nec virtus, nec vitium est. Quod autem sufficiat de

ciat deliberatio imperfecta, liquet ex subitis naufragorum votis, quæ pro veris & ratis solent haberi. Et probatur ex capite 30. Numerorum, vbi Deus votum mulieris in ætate puellari, tacentibus parentibus, pronuntiat esse legitimum. S. AMBROSIVS quoque lib. 2. de pœnitentia, ait quosdam tumultuario mentis impulsu, non iudicio rationis vouisse quædam Ecclesiæ, & postea voluisse reuocare, illosque duo peccata perpetrasse, imprudentiæ scilicet & sacrilegij; illud, quia vouerant sine perfecta deliberatione, hoc quia votum præuaricati. Et S. AVGVSTINVS ad Lætum scribens, qui vouerat religionē, & non considerarat, an sumptus suppeterent ad ædificium, suasuque matris tergiuersari voluit, eum monet, vt ne faciat, quod non licet. Denique in *Decretalibus* titulo de regularibus, declarat Papa, eum qui in mortis articulo vouerat religionem, & reualescens voti pœnituit, eum teneri voto. Et in titulo de voto, commutat votum à puero tenera facilitate, sine discretionis arbitrio factum: quod sane irritasset, si verum votum non fuisset.

Num. 30. 3.

Amb. c. 2.

Au. ep. 38.

R. c. sicut nobis.

V. c. veniē-tes.

IV. Proprietas est, quod redditio Voti non debeat diu prorogari. Clare enim Deus in Deuteronomio dicit: *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et Ecclesiastes: *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.* Cuius rationem & causam reddit S. AMBROSIVS libro 1. de Cain & Abel: *Cum enim moram facis*, inquit, *non reddis votum. Est autem postulatio à Deo cum soluendi muneris promissione. Et ideo cum impetraueris,*

Deut. 23. 21.

Eccl. 5. 3.

Amb. c. 7.

ueris, quod petisti, ingrati est tardare promissum. Et post: *Prima voti gratia est celeritas solutionis. Denique Abraham filium suum ad holocaustum iussus offerre non post dies, vt Cain obtulit, sed exurgens mane strauit asinam suam.* Id.c.8. EXEMPLA quinque diuinitus punitorum, qui nimium distulerunt expletionem Voti religionis, habes apud B. Petrum DAMIANI li. 5. epistolarum ad clericos epist. 6. Quanta autem in reddendis votis mora possit intercedere, pendet ex vouentis mente, qui si non definiuit certum tẽpus, quam primum commode potest, ea reddere tenetur, vt docet S. Th. in 2.2.q. vltima, artic. 3. & alij.

V. Proprietas est, quod nihilominus homo aliquando liberari queat ab obligatione reddendi voti. Ac primo quidem per mutationem circumstantiarum, vt cum materia voti desinit esse aut possibilis, aut vtilis, aut melior. vt si quis post votum factum ieiunij, labatur in morbum: aut peregrinationis, velit ingredi religionem; melius enim est ingredi religionem, quam peregrinari. 2. per irritationem factam ab eo, in cuius potestate erat is, qui vouit; vt monachus in potestate Abbatis qui vouisset aliquod opus vetitum per Regulam ordinis. 3. per dispensationem factam auctoritate Superioris. Si enim Respublica potest cum aliquo dispensare in lege sua, hoc est, vinculum legis in aliquo casu tollere, poterit etiam Ecclesia in voto. Voto enim imponimus nobis quasi legem. 4. per commutationem auctoritate quoque Superioris factam. Quæ in hoc differt à dispensatione, quod per hanc simpliciter tollitur Voti obligatio, per commutationem non simpliciter, sed tantum quoad certam materiam voto promissam, verbi

causa cum votum ieiunij, Superior commutat in orationem.

VIDE De Statu Monachorum, & Virginitatis. Et in PANARIO De Violatione Votorum.

DE REGIMINE RVSTICORVM LIBELLVS.

PRÆFATIO.

In qua institutum Auctoris, & summa omnium capitum breuiter proponitur.

Gen. 3. v. 23.

EMISIT *Dominus* DEVS *Adam de paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est,* scribitur Geneſis 3. cap. COGITANTI mihi, quid dilectis fratribus & cognatis crebro pulsantibus offerrem pro verbo ædificationis, venit in mentem pulcherrimus ille *Tractatulus S. Doctoris* THOMÆ *de Aquino, de Regimine Principum,* quem Regiæ maiestati vir nobilis & vrbanæ eloquentiæ summa edidit elegantia, quasi suis sua loquens, vtique magnus magnis magna, glorioſus glorioſis glorioſa, ſicuti dignum erat tantæ Celſitudini. Aſt ego pauper & exilis creatura DEI, neſcio qua ſorte raptus de aratro, ſacriſq; litteris applicitus cum hoc exemplo meis mea loqui vellem, paruus paruis parua, in prædictum flebilem ſermonem deflexi dicens: *EMISIT Dominus* DEVS *Adam de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus erat.* Terram vtique limoſam & ſterilem, terram reprobam & male

Tho. Aquinas.

& maledictam, dicente Domino, vbi supra, ad Adam: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vescēris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in pulueren reuerteris.* Et quanquam simul tota humani generis propago hanc duram à DEO experitur miseriam, nulla tamen, sicut mea, hoc est, rusticana, quæ pœne ab ipsis cunabulis morti vltra cæteras destinata cernitur. Sed ne nimia tristitia absorbeatur, aliqua hic consolatoria, & informatoria ex Sanctorum Patrum dictis colligere disposui, quibus vna cum cæteris exhortationibus quotidianis spem habeat, & modum inueniat per temporalia detrimenta felicitatem mercandi sempiternam. Gen. 3. v. 17. Rustici maledictioni Adę plus cæteris obnoxij.

PRIMO igitur debet quilibet fidelis Agricola DEVM timere.

II. Firmiter credere, quod omnia opera sua, quantumcunque etiam minima ab omniporente DEO copiosa mercede præmiabuntur in cœlis, si permanserit in simplicitate & voluntate bona. Summa 16. capitū à Rustico seruandorum.

III. Debet etiam honorare officium suum tanquam à DEO institutum, & hilariter exequi ea, quę ad ipsum spectant.

IV. Debet humiliter Dominis suis obedire.

V. Debet pręcipue Clerum venerari & diligere.

VI. Decimas & pensiones ac cætera debita soluere.

VII. Solemnitates & ieiunia, ac cæteros ritus Ecclesiasticos deuote obseruare.

VIII. Eleemosynas pauperibus, quantum facultas permittit, elargiri.

IX. Cum omnibus hominibus, & præcipue cũ vicinis, & contribulibus suis pacem seruare.

X. Familiam suam laudabiliter regere.

XI. Cauere se ab omni occasione mali.

XII. Niti ad bonum nomen & probam famam apud proximos suos.

XIII. Cauere se à societate mala, & consortio potantium & iurantium, ac omnium, qui sine timore DEI viuunt.

XIV. Sedulo discutere conscientiam suam, & crebro confiteri.

XV. Sæpius meditari de præceptis DEI, & obseruatione eorum, & vt in recta fide ambulet.

XVI. Cogitare frequenter de morte, & breuitate huius vitę, & vt assuescat crebro inuocare Dominum DEVM bonis & simplicibus verbis, vt eum dirigat in omnibus, & ad æterna tandem gaudia perducat. Hæc sunt, quæ vnumquemque Christianum sanctificant: Sine quibus Christianum nomen nulli prodest. Hæc sunt, quæ hominem de terra ad cœlum leuant, quæ homini DEVM reconciliant, quæ proximum ædificant, quæ ad fœlicem transitum hominem præparant. VERVM, quoniam Rusticana simplicitas nonnunquam ignorat, quomodo hæc fieri debeant, ideo per singula redeundo, latius aliquid de his loquamur.

CAPVT I.

Debet quilibet fidelis agricola primo Deum timere.

Psal. 110. vers. 10. Prou. 1. 7.

INITIVM *sapientiæ timor Domini*, scribitur, Psalmo 110. Prouerb. 1. & 9. & aliis locis multis: *Et, qui*

qui sine timore est, non poterit iustificari. Hæc & similia debet aduertere quilibet fidelis rusticus, imo & omnis Christianus, & à peccato recedere. Quod si aliquis ita simplex fuerit, vt dicat: Non scio timere Deum: nescio quid sit hoc: talis debet informari hoc modo. Primo quæratur ab eo, an aliquid sit in mundo, quod timet amittere, vel incurrere? & respondebit procul dubio, si aliquem vsum rationis habuerit, quod quotidie ista solicitudine anxietur, ne perdat bona, quæ habet, & ne superueniant ei mala, quæ solent homines sine intermissione vexare. Habet forte pauca bona, quæ timet amittere, sed multo plura sunt mala, quæ timet incurrere. Ecce vtrobique occasio timoris, sed secunda est incomparabiliter maior, quam prima, & æqualiter vniuersos perstringit. Secundo quærat, an credat, quod DEVS sit vniuersalis Paterfamilias omnium, qui sunt in cœlo & in terra, & an omnia sint nuda oculis eius, & an sit iustus iudex tribuens singulis iuxta opera sua. Tertio quærat, an habeat fidem de cœlo & inferno, & quod in cœlo sint sola summa bona, & in inferno sola summa mala? Item, quod iustis debentur præmia cœlestia, reprobis vero tormenta infernalia sine fine mansura?

Prou. 9. 12. Eccl. 1. 16. Iob 28. 28. Eccl. 1. 18.

Heb. 4. 13. 2. Tim. 4. 8. Matth. 16. 27.

Si hæc se credere dicat, tunc instruatur, quomodo comparare debeat temporalia ad æterna: videlicet, quod hæc omnia, quæ hic videmus, aut excogitare possumus bona, nihil sunt respectu futurorum. Similiter omnia, quæ hic patimur mala, seu excogitari possunt, quamuis sint reuera horrenda nimis, tamen respectu pœnarum infernalium non sunt nisi quædam suauia præludia futurorum. His admonitionib. si aliqua adiũcta fuerit

Bona & mala huius mundi nihil sunt respectu futurorum.

fides absque dubio facillime timorem Domini suscitabit in corde humano. Qui vero his compunctus non fuerit, fidem non habet, quamuis se habere forte putet: sicut multi fatui putant, se esse prudentes, quamuis non sint.

Hoc fundamento posito, vlterius est informandus homo simplex & bonæ voluntatis, quatenus plus timeat Dominum Deum suum offendere propter suam naturalem bonitatem quam extortam seueritatem: quia in veritate sic est, quod Dominus Deus in se & ex sua natura totus bonus, suauis, largus, & clemens est: quod autem seuerus est, nostra peccata faciunt, & quodam modo cogimus eum, vt nos affligat. Hinc exiuit prouerbium: *Si faceremus, quod debemus, Deus faceret, quod vellemus. Sed quia non facimus quod debemus, cogimur pati, quod nolumus.* Exemplum huius habemus in aliquo probo & virtuoso viro, habente officium regendi aliquâ communitatem: hunc omnis homo diligit, quia vident, quod omnibus prodesse cupit, nulli obesse: & qui talem non diligit, est valde peruersus: nam omnis populus acclamat, eum esse merito diligendum. Iste neminem faciliter punit, aut permittit affligi, nisi omnino delinquens nolit se emendare. Sic Dominus Deus, à quo bona cuncta procedunt, super omnia est diligendus, quia nihil bonitatis est in creaturis, quod ab ipso non sit.

Deum sola peccata nostra faciunt seuerum.

Prouerbium.

Studeat ergo homo simplex crebro ad memoriam reuocare, quod Deus eum vbique videt multo clarius, quam proximus suus, coram quo peccare erubesceret, vt hac manuductione paulatim crescat in timore Dei, vt ad illum gradum perueniat,

perueniat, quod si etiam Deus non vellet eum punire, tamen adhuc non vellet peccare, aut offendere tam pium Patrem. Hic vocatur filialis Timor, quia, qui istum habet, inter filios DEI computatur: & timet, ne vel in modico oculos amantissimi Patris offendat. Timor autem seruilis est, quando aliquis propter pœnam, siue temporalem, siue æternam, abstinet à peccatis, & in tali adhuc manet peccandi voluntas, si speraretur impunitas. Ille timor non est filiorum DEI, sed malorum seruorum, qui non faciunt bonũ, nisi coactè: & quamuis non sit meritorius æternæ vitæ, tamen introducit filialem, sicut seta filum.

Timor filialis quis.

Timor seruilis quis. Aug. conc. 25. in Psal. 118. Aug. tract. 9. in epist. Ioann.

Est etiam notandum, quod sancti viri solent crebro ante oculos suos pœnas ponere damnatorum, tamen propter hoc non sunt mali serui iudicandi, quia hoc faciunt ad piam cautelam. Vnde dicit B. HIERONYMVS: *Dum pœnam timeo, seruo gratiam, quam accepi*: facilè enim quælibet tentatio vincitur, dum futuræ calamitatis acerbitas, quæ pro peccatis debetur, anxia mente præuidetur. Siquidem, vt ait S. Gregorius: *Momentaneum est, quod delectat; æternum quod cruciat.* Item B. Augustinus: *Heu quam malè peccator decipitur: semel fornicatus est, & in æternum ardebit.* Hinc B. Hieronymus rursum dicit: *Quoties diem illum considero: toto corde contremisco, siue enim comedo, siue bibo, siue aliud aliquid facio, semper videtur illa tuba terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Aſt econtra peccatores obstinati nolunt timere, & quicquid eis de his dicitur, parui pendunt, aut respuunt, donec mors improuisa eos rapit ad supplicia horrenda: tunc timent, gemunt, dolent, con-

Timor pœnę quo modo sit in sanctis. Hier. epi. 127. ad Fabiolam.

Aug. serm. 150. de temp. Hier. reg. mon. c. 30.

tremiſcunt, ſed infructuoſe. De quibus ta-

Exemplũ hominis non timorati.

le fertur exemplum. Miles quidam valde perſæ vitæ, vxorem habuit deuotam, hæc virum ſæpe monuit, quatenus, vita mala poſt-

Spec. exẽ. diſt. 9. c. 88

poſita, ſuæ animæ ſalutem, dum tempus haberet, & miſericordiam conſequi poſſet, in timore DEI operaretur. Cui ille: Num tu ſic fatua es, vt illis papis credas, qui talia deliramenta fingunt, vt à populo denarios extorqueant? neque infernus eſt, neque vita aliqua poſt iſtam. Quid plura? ventum eſt ad mortem, & ecce infelix ille, exanimis, in lecto iacens nigram chartam in manu habuit, in qua ſic ſcriptũ fuit. Iã certus ſum, quia infernus eſt. Ecce cariſſimi perpendite in quantis tormentis iã ſit: vbi & æternaliter neceſſe eſt ipſũ permanere.

Exemplũ S. Arſenij timentis Deum.

RVRSVM de S. ARSENIO longè aliter legitur. Hic vir ſanctus de nobili Senatore Romano ac diuite Patricio factus erat eremita ſanctus, & pauper ruſticus. Dicebatur namque, teſte B. Hieronymo, eremitica illa ſolitudo, *ſancta ruſticitas*. Si-

Surius to. 4. ex Metap. & Iul.

quidem cùm in palatio Imperiali ſummo fungeretur honore, vocem diuinitus elapſam audiuit: ASRENI, fuge homines, & ſaluus eris. Quo facto, ſtatim ad eremum perrexit. Vbi quantæ perfectionis fuerit, nec ipſi, aut intelligere, aut ſcribere potuerunt, qui eum ibidem nouerunt. Inter cætera autem ſpiritualia exercitia magnifica, quibus excellenter claruit, ſic maximè DEVM timuit, vt à ſolis ortu vſq; ad occaſum ſæpius à la-

Arſenius continẽter flet.

chrymis nõ ceſſaret: cũq; & in hora mortis à fleru nequaquã ſe tẽperaret, dixerunt ei fratres; & tu pater adhuc times? quibus ille, verè timeo, & valdè timeo, quia quamuis in mandatis Domini à iuuẽ-

tute

tute ambulauerim, tamen nondum scio, qualiter à districto iudice opera mea iudicabuntur: & his dictis in fletu vsque ad exitum permansit. Sed iam sancta eius exeunte anima & protinus in cœlum euolante, quidam sanctus Pater, qui in spiritu hoc vidit, voce magna post eam clamauit, dicens: Beatus es ARSENI qui tantùm fleuisti.

Rusticis facilè imitari eremitas.

EIA venerabiles huc accedite Rustici, & diligenter omnes aduertite huius tanti Patris exemplum, vbinam tantæ sanctitatis pondus meruerit, in vrbe an in rure? Vos multa ex paterna habetis educatione, quæ ipse tam laboriosè quæsiuit: videlicet, laboris assiduitatem, victus vestitúsq; vtilitatem, cæteráque pœnitentiæ sanctæ exercitia humano generi diuinitus imposita, quæ curialibus & delicatis difficillima videntur: vobis autem per assuefactionem facillima facta sunt. Cur ergo non respicitis, quam prope sitis saluti, si timueritis Deum, & in mandatis eius ambulaueritis? Ecce, quod grauius in spirituali conuersatione iudicatur, vos pro nihilo, & quasi naturaliter confecuti estis, vigilare, laborare, carnem affligere, petulãtes eius motus comprimere, cibo grosso vestitúq; inculto vitam transigere, omni humanæ creaturæ propter DEVM subiici, præcipua sunt sacræ religionis exercitia: & qui in his amplius floruerunt, glorioſiores sunt in cœlo, & in terra, nunc & in sempiternum. Hæc si vultis, vobis sunt possibiliora præ cunctis hominibus.

Eremitarũ exercitia.

Rustico facilè est timere Deum.

DEVM quoq; timere similiter sine omni Doctore æquè faciliter discitis ex quotidiana subiectione Dominorum vestrorum, qui vestris ceruicibus minãtur sine intermissione, parati pro quibuslibet

buſlibet etiam leuibus erratis mulctas imponere graues. Si, inquam, tanto pauore neceſſe habetis coram mortalibus Principibus conuerſari, ne videlicet cauſam habeant nocendi vobis, ſiue rebus veſtris; quanto magis coram immortali omnium Deo ſolicitè ambulare debetis, qui intus & foris iugiter vos intuetur, ne ſi, quod abſit, coram tanta maieſtate peccare non vereamini, mittat vos cum corpore & anima in gehennam ignis. Facilè, arbitror, vobis iſta perſuaderi poterunt, ſi aliquam ſcintillam bonæ voluntatis habueritis. Attendite, quam eſt miſerabile hic tantis affligi doloribus, laboribus, opprobriis, & vexationibus continuis, & poſt peius incomparabiliter æternis tormentis: hic habere Purgatorium, & poſtea Infernum.

Audite ergo venerabilem Patrem veſtrum S. THOBIAM, quomodo vos doceat, vt omnia mala euadere poſſitis: *Seruite*, inquit, *Domino in veritate, & inquirite, vt faciatis quæ placita ſunt illi. Pauperem quidem vitam geritis, ſed multa bona habebitis, ſi timueritis Deum, & receſſeritis ab omni peccato, & feceritis bene.* Quod vobis concedat omnipotens & beatus DEVS, qui cum vnigenito filio ſuo Domino noſtro IESV CHRISTO viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti DEVS in ſecula benedictus, AMEN.

Tob. 14. 10.

Tob. 4. 13.

CAPVT II.

Secundò debet quilibet fidelis agricola firmiter credere, quod omnia opera ſua, quantumcunque minima ab omnipotente DEO *copioſa mercede præmiabuntur in cœlis, ſi permanſerit in ſimplicitate & voluntate bona.*

HIC

HIc, proh dolor, plures deficiunt Rustici, & præcipuè illi, qui sunt cæteris pauperiores, seu despectiores, putantes, quod sicut sunt apud homines nullius reputationis, sic etiam apud DEVM: & ob hoc ad nihil se vocatos arbitrantur, nisi vt sint æternaliter infelices. Ab hac mala humilitate reuocat nos Spiritus sanctus, Sapientiæ sexto dicens, *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Et Psalmus: *Ne auertas hominem in humilitatem.* Vbi dicit quædam glossa: *Mala humilitas, quando quis sic viliter de se homo sentit, vt putet se derelictum à DEO, & nunquam meliora posse consequi ab eo.* Quamuis enim vile corpus circumferimus, animæ tamen nimis pretiosæ sunt, purè ad imaginem & similitudinem DEI creatæ. Vnde, ne animæ nobis vilescerent, filius DEI seipsum in pretium animarum dedit. Hîc attendite vos omnes, qui viles estis in oculis vestris, & despecti in hoc seculo, & nolite desperare. Ecce pro vobis DEVS homo factus est. Non vtique homo glorioſus, diues, ac præpotens, sed opprobrium hominum abiectio plebis, factus per omnia similis vobis & plus quam vos pauper & despectus. Non regum palatia, non aulas Principum, non castra nobilium, non ciuium delicata cubilia, sed pauperum & abiectorum rusticorum elegit stabulum. Cur ergo desperatis ô pauperes, cur contristamini ô glorioſi contribules angelorum, ac prænobiles summi Regis hospites, cur, inquam, mussitatis, quasi Deus oblitus sit vestri, cùm in omnibus, & super omnes vos quæsierit, inuenerit, & exaltarit, diuites dimittens inanes.

Sap. 6. 8. Psal. 89. 3.

Rusticus simillimus Christo.

O si vestram intelligeretis dignitatem, ac singularem

larem erga vos diuinæ gratiæ munificentiam, non sic mortifera tristitia absorberemini, quin potius, quanto in hoc seculo per momentum temporis plus cæteris vanis hominibus abiectiores videmini, tanto magis gaudere deberetis quasi Dei filio cõformiores, & per consequens in futura gloria sublimiores. Hæc namque est certissima omnium Catholicorum Doctorum regula, quod quanto quis est similior Christo in præsenti mortali vita, quæ velociter transit, tanto erit & similior in illa superna gloria, quæ durabit in æternum. Hanc salutarem similitudinem in multis vos vltra omnes alios hæreditario iure possidetis. Neque dicetur vobis à districto iudice, quod receperitis quidem bona in hac vita, sicut olim diues ille epulo, de quo dicitur Luc. 16. quod nunc cruciatur apud inferos, sed audituri estis cum fideli Lazaro, quod hic mala recepistis, non sine iusto Dei iudicio, quia forte aliqua peccata admisistis, quæ caminus paupertatis examinat nunc, vt tunc cum ipso in deliciis perpetuo mansuri consolemini.

Rusticus similis Lazaro.

Luc. 16. 25.

Attendite igitur quam paterne vos hic ad modicum castiget, vt in æternum parcat, & quàm seuerè irascatur his, quibus cuncta ad votum largitur, quoniam ab illa mercede sanctorum vacui remanebunt. Verissima namque est sententia B. Bernardi, ac aliorum sanctorum Patrum plurimorum, quod nemo potest hîc gaudere cum seculo, & illic regnare cum Christo. Et Dominus ipsemet in Euangelio dicit suis electis discipulis, & in eorum persona aliis omnibus prædestinatis: *Nolite mirari, si odit vos mundus, quia me priorem odio habuit.* Item, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum,*

Greg. l. 26. mor. c. 11.

Ioã. 15. 18.

Luc. 9. 23.

ipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Sed fortè dicetis mihi, nónne sunt multi solemnes viri in hoc seculo, pariter & fœminæ honore ac diuitiis referti, & tamen bonæ spei? nunquid omnes damnabuntur? nunquid soli miseri salui erũt? Nónne CAROLVS Magnus, ac multi Reges, Duces, Comites, nobiles, militares, ciuésque innumeri sanctè vixerunt, & tamen statum mundi tenuerunt? Hæc & alia similia infirma & imperita sibi proponit anima, vt suam, si posset, iustificaret impatientiam, ac per consequens, si auderet, diuinam inculparet prouidentiam, sacrámq; Scripturam, & Sanctorum exempla calumniaretur, hæc aut similia dicendo. Mallem & ego talia loqui cum diuitibus & potentibus, quam hæc cum pauperibus perpeti. Facilè est in deliciis corporis, rerúmque copia, de patientia ac ieiunio, fame & labore, contemptúque & oppressione multa verbo tenus prosequi, sed non æquè facilè est ista tolerare.

Multi diuites fuere sancti.

FATEOR & ego ita esse. Sed nunquid qui in sublimitate & deliciis esse videntur omnino expertes sunt omnis tribulationis, tentationis ac laboris, imò verè, si in timore DEI ambulare voluerint, plus quàm pauperes affliguntur. Norunt experti, quàm verum sit, quod quicquid foris eminet, plus mœrore afficit, quàm gaudio recreat. Sed istud miseri aduertere nolunt, aut non possunt: putant enim sic esse apud alios, sicut imperite suspicantur. Iam enim certissimè dictum est, neminem posse hic gaudere cum seculo, & post regnare cum CHRISTO. Quod si electi quidam aliquid hic plus participãt de diuitiis, & statu

Diuites nõ carent afflict. onibus.

huius

huius vitæ, quam debent, oportet eos per grauem pœnitentiam delere, aut per horrēdam Purgatorij pœnam recompensare: quæ vtiq; sic maximè afflictiua est, vt omnis præsentis vitæ tribulatio illi comparata quasi punctura iunci sit reputanda.

Diuites peccata sua grauiori pœnitētia debent expiare.

Ab hac ergo occasione labendi in diuitiis & honoribus temporalibus facillima, vtiq; pauperes & inglorij sunt præseruati: & pœnè contra solum impatientiæ vitium dimicare habent. Quod quidem faciliùs vincunt, quam diuites vincant oblatos honores, aut paratas delicias, siue alia quæque incentiua vitiorum, etiamsi nihil aliud pati haberent: quia, sicut Philosophus dicit, & quotidiana experientia docet, non sine magna virtute arridens fortuna tolerari potest. Aduersa autem propter assuefactionem tanquam connaturalis huic vitæ pœnæ à cunctis hominibus, maximè Deum timentibus, sano corpore: ac mente sensata æquanimiter sufferibilis est. Hinc inter timoratos viros tanquam verissimum exiuit prouerbium, quod nedum in corporalibus siue secularibus, sed etiam spiritualibus exercitiis plures ceciderunt prosperis elati, quam aduersis fracti. Quid enim tam inimicum est probis moribus, sicut otium in deliciis, & ventosa huius mundi sublimitas? Et quid tam securum, ac bonæ vitæ conseruatiuum, sicut iustus labor cum frugalitate & contemptu mundanarum vanitatum? Hæc merito quoslibet simplices & pauperes rusticos consolari debent, dum intelligunt se eo amplius à Deo dilectos, quo sobrius eis hæc temporalia largitur, quæ multis fuerunt causa damnationis æternæ.

Rustici cō tra solam impatientiam pugnare debent.

Seneca, ca. 74.

Prouerbium.

Prosperitas plures tollit, quā aduersitas. Augustin Psal. 50.

Sed heu, proh dolor, cōtingit nonnullis, quod olim

olim sublimis quidam orator Hannibali improperauit dicens: *Vincere scis Hannibal, vti victoria nescis.* Ita & nos de quibusdam rusticis huius temporis dicere possumus: Vincere scit rusticus, vti victoria nescit. Quod quanquam sit perspicuum, vt ex parte iam dictum est, cum velint nolint, huius mundi careant prosperitate: & tamen miserabili quadam negligentia à vitiis nō abstineant, nec ad virtutes perueniant, quod præ cæteris omnibus facilius possunt, hoc Dominus per Prophetam increpat, dicens: *Percussi vos, & non redistis ad me, &c.* Sed hos dimittamus, quos nullus diuinus metus, aut flagellum inflectere potest, & ad illos reuertamur, quos exhortari suscepimus, qui talento bonæ voluntatis prædiți vias rectas ingredi volunt. Ipsi námque sciunt, quod totum humanum genus ob demerita sua proiectum est ab illis summis deliciis in hanc ærumnosam vitam & tribulationem continuam, vbi nullus vnquam ad libitum omnia habere potuit, aut tam diu viuere, quamdiu concupiuit. Sciunt etiam, quod afflictio ista medicinalis est, & à spirituali morte, id est, peccatis præseruat, & aperte vident illos, qui in deliciis viuunt, aut vix, aut nullo modo posse à vitiis abstinere. Sciunt deinde, quod omnes sancti, quorum glorioſa memoria est in Ecclesia, à primo vsque ad nouissimum per hanc viam innumeris tentationibus probati transierunt fideles, & sic tandem perfecti amici DEI facti sunt.

T. Liuius li. 2. dec. 3.

Amos 4. 9. Agg. 2. 18.

Rustici boni qua cōsideratione proficiant.

SCIVNT insuper, quod ista non casualiter, aut fortuito agantur in hoc mundo, quod sic dissimiliter administretur genus humanum, videlicet,

quod vnus est pauper, alter diues: vnus glorioſus, alter contemptus: vnus ſanus, alter ægrotus: vnus fortunatus, alter infauſtus: vnus acutus, alter ſimplex: vnus prælatus, alter ſubiectus, ſed cuncta iuxta diuinæ prouidentiæ regulam æquiſſime & optime diſponuntur. Sciunt etiam & caute aduertunt, quod ſicut ſeipſos facere non potuerunt, ſic nec in eſſe conſeruare, nec ea quibus indigent creare, ſed omnia de largiſſima Domini manu expectare habent, qui paſcit vniuerſa quæ condidit, & implet omne animal benedictione; cui nemo dicere iuſte poteſt, cur ſic facis? cum nulli debitor ſit, nec vllius opus habet. Sciunt denique, quod nullus poteſt immutare decretum diuini conſilij ſuper genus humanum, & quod nemo vnquam melius habuit, qui ſcrutator eſſe voluit maieſtatis, aut impatienter reniti contra manum omnipotentis, quinimo tales in peius ſemper prolapſi ſunt, ſed illi ſoli cunctas miſerias euadere meruerunt, qui diuino ſceptro ſuas ceruices humiliter ſubmiſerunt, beneuole & longanimiter expectantes, donec diuina bonitas emplaſtrum paternæ correctionis, quod poſuit, tollere dignetur; nec quicquam aliud cupiunt. Dicamus ergo, quod nullus pauper bonæ voluntatis homo ſic de ſe deſperabiliter ſentire debet, quaſi DEVS de ipſo non curet pro eo, quod in hoc ſeculo contemnitur, aut quaſi opera ſua bona Deo non placeant, aut meritoria non ſint, quia pro nihilo reputantur à ſtultis amatoribus mundi, ſed, ſicut iam dictum eſt, eo amplius à DEO ſe diligi firmiter credat, ac magis opera ſua in futuro remuneranda ſciat, quo minus receperit bona temporalia in vita iſta.

Ruſtici hoc magis diliguntur à Deo, quo contemptibiliores sũt.

Formet

Formet denique fidelis agricola, siue alius operarius quicunque intentionem suam ad Deum per hunc aut consimilem modum: *Gratias ago tibi Domine creator vniuersorum, qui me ex nihilo fecisti, & vsque in hanc horam clementer conseruasti, & vires cum bona voluntate tribuisti, quatenus iuxta præceptum tuum in sudore vultus mei vescar pane meo, te nunc ex toto corde rogo, vt dirigas me in omnibus operibus meis secundum præcepta tua, & intentionem cordis mei sursum trahe, vt sint mihi labores huius peregrinationis in remissionem peccatorum meorum, & meritum æternæ vitæ. Amen.* Quicũque hoc modo procedit, & in omnibus, quæ facit DEO placere cupit, scire debet, quod à bono DEO nunquam separabitur, sed magnus sanctus in regno superno erit. Oratio à rustico quotidie dicenda. Matth. 10. 42.

SI enim, ipsa veritate testante, nec calix aquæ frigidæ porrectus pro DEO erit sine mercede, quid pro tantis sudoribus, vigiliis, frigoribus, caumatibus, necessitatibus, curisque diurnis & nocturnis, ac cæteris sine numero miseriis, quas fidelis quilibet rusticus tolerat ab ineunte ætate vsque ad decrepitam senectutem, quid, inquam, retribuetur pro illis? Certe illa præmia dabuntur, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, & vtique in tam iustissima mensura, vt nihil omnino manebit irremuneratum quantumcumque modicum etiam fuerit, siue factum, siue patienter toleratum pro beneplacito diuinæ voluntatis. Vnde patet, quod sicut dicit S. BERNARDVS, quod labor sanctus est, etiamsi immediate pauperibus non impendatur, sed proprię necessitati subueniatur: & sicut habet duplicem occupationem, scilicet carnalem & spiritualem, ita etiam habet duplicem mercedem. Rustici pro laboribus suis cœleste præmium merentur. B. serm. 3. de natali.

Nam propter fatigationem corporis, debetur ei sustentaculum vitæ, & propter virtuosam intentionem, ei debetur merces regni cœlestis: quam vobis tribuat beatus & fidelis DEVS, qui sine fine viuit & regnat. Amen.

CAPVT III.

Tertio debet quilibet fidelis agricola officium suum honorare, tanquam à DEO institutum, & hilariter exequi ea, quæ ad ipsum spectant.

HIc quidam Rustici plurimum delinquunt, communiter illi, qui cæteris sunt honoratiores, aut ditiores, superbia tumentes, & dolentes, quasi ad vile officium sint à Deo vocati. Quare etiam variis modis suum statum mutare conantur, ad maiora anhelando. Sed quid eos sequatur, quotidiana experientia docet. Nam statim, vt se altiori coniunxerint, Deo & omnibus hominibus odiosi fiunt, derisioni & contemptui patentes.

Rusticana dignitas defenditur tripliciter.

Contra quos dignitas Rusticana est defensanda, & hoc tripliciter. Primò, quia à Deo est instituta. Secundò, quia à natura est principaliter intenta. Tertiò, quia à celeberrimis viris est plurimum approbata, & multipliciter priuilegiata.

1. Quantum ad primum, est sciendum, quod agricultura pluries est instituta ab ipso summo omnium Deo. Nam in statu innocentiæ dicitur esse

Gen. 2. 13. instituta, per hoc, quod legitur Genesis secundo: *Tulit ergo Dominus DEVS hominem & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum.* In statu quoque naturæ destitutæ, per hoc,

Gen. 4. 23. quod legitur Genesis 4. *Emisit Dominus DEVS Adam*

Adam de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est, &c. Hinc dicitur Ecclesiastici 7. *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem ab altissimo creatam.* Ecce aperta testimonia, ex quibus liquide patet Agriculturam præ cæteris mechanicis artibus hanc gratiæ dignitatem habere, quod ineffabiliter à DEO est instituta. Aliæ autem omnes, aut pene omnes humana curiositate sunt inuentæ: quare etiam nunquam in eodem ritu perseuerant, vt communiter tractant sancti Doctores nostri super quarto cap. Geneseos, vbi de origine, & primis inuentoribus mechanicarum artium fit mentio. Insuper saluator noster verus Deus & homo, vt opus suum glorificaret, non ex auro vel argento vel lapidibus pretiosis, aut aliqua alia re curiosa benedictum corpus suum & sanguinem pretiosum confici instituit, sed ex materia vere dignissima, scilicet, pane & vino, quam simplices rustici in sudore vultus sui parare consueuerunt. Quod vtique merito cunctis fidelibus agricolis magna debet esse causa lætitiæ & deuotionis erga suum officium exequendum.

Eccl. 7. 16. Deus auctor agriculturæ.

SECVNDO dignitas Rusticationis ex hoc attenditur, quod est à natura principaliter intenta, quod sic patet. quia cum corpus humanum dignissimum sit inter omnia corpora ratione vnionis ad animam rationalem, & glorificationis futuram, sequitur, quod omnia alia corpora siue cœlestia, siue inferiora subministrare habent eidem. Cum ergo copus humanum sine victu & vestitu in esse permanere non possit, & victus ipse & vestitus sine opere rustico non proueniat, patet, quod tota machina ad hoc seruit, vt Domino orbis, id

Natura intendit maxime agriculturam.

est, homini necessaria subministrentur. Hinc dicit Dominus ad Noe, Genesis octauo: *Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.* Dauid quoque, cum Dominum in operibus suis benediceret, & decorem vniuersi laudaret, causam totius intulit dicens: *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis.* Ex quibus patet, quod agricola est præcipuus cooperator DEI, angelorum & naturæ. Quamuis enim diuina maiestas per suam omnipotentiam posset omne hominum genus nutrire & vestire, tamen hoc non vult facere sine coadiutoribus rusticis, ne sint vacua opera benedictæ sapientiæ suæ.

Gen. 8. 28.

Psal. 103. 14.

Rustici cooperatores Dei & naturæ.

Similiter sancti Angeli, qui secundum sententiam B. DIONYSII istis inferioribus prælati sunt, ad quorum imperium singula quæque diriguntur, quamuis facillime possent aptare vnamquamque naturam vsui humano ad conuenientiam propagationis suæ pro multiplicatione eorundem, nequaquam tamen hoc faciunt sine concurrente rusticana prouidentia, ne diuinæ institutioni contraire videantur. Natura vero, etsi omnibus modis conetur ad conseruandam speciem humanam in esse suo, non tamen ad hoc sufficit, nisi rusticorum auxilio pariter & industria suffragetur. Hæc omnia adeo sunt nota, vt his probandis vlterius insistere superuacaneum existimem. Videmus enim, & sine intermissione experimur, quam multipliciter humana natura sit serua, & quantis indigeat: & si quibusdam saltem ad tempus carere possit, rusticano tamen fructu nec ad vnum diem quidem. Omnium Pontificum

Dionys. de diu. nom. c. 7 Aug. 3. de Trin. c. 4.

Nec reges nec principes subsistere queunt sine rusticis.

cum languet baculus, ruit mithra, arescit dextera. Omnium Imperatorum Regumque corona decidit, sceptrum deridetur, purpura conculcatur, si rusticana ope non fulciantur. Dux insanit, mollescit miles, delirat sapiens, titubat artifex, status ipse mundi totus deficit, si rusticus colere agrum cessat. Hæc qui non credit, abstineat ab his, quæ rusticano sudore proueniunt, & siue omni Doctore in breui inueniet solutionem verbi.

TERTIO, agriculturæ dignitas ex hoc perpenditur, quod à celeberrimis viris plurimum est approbata & multipliciter priuilegiata. quod sic ostenditur. Quia primi nostri parentes, ex quibus totum genus humanum propagatum est, de agricultura & pecorum nutrimento viuebant; & quia seruos & ancillas non habebant, patet, quod ipsi cum filiis suis & filiabus propriis manibus operi rustico inseruiebant. Verum cum de protoplasto, scilicet Adam & vxore eius Eua non sit dubium, de aliis quibusdam sanctis hominibus exempla colligamus. Et primo de Lamech, qui postquam genuisset Noe, dixit: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Noe quoque, qui hominum secundus progenitor post Adam scribitur, quid post diluuium egerit ex nono capite Genesios patet, vbi sic legitur inter cætera: *Cœpitque Noe, vir agricola exercere terram, & plantauit vineam,* &c. Deinde ad glorioſos Patriarchas illos tres, videlicet Abrahã, Isaac & Iacob scriptura descendens nullos reddit⁹ habuisse illos commemorat, neque in ciuitatibus, aut villis, aut domibus habitasse, sed tanquam

3. Adam & alij maiores nostri agricolæ fuêre. Gen. 5.29. Gen. 9.20. Heb. 11.9.

peregrinos in casulis, id est, tentoriis super faciem terræ, & de agricultura & animalibus vitæ necessaria quæritasse. Filij quoque Iacob qui duodecim Patriarchæ appellantur, quid officij habuerint, ex ipsorum confessione patet, Genesis 46. capite, vbi dicunt: *Viri Pastores sumus, ab infantia nostra vsque in præsens, & nos, & Patres nostri, &c.* Iob similiter vir simplex & rectus Domini benedictione ditissimus effectus fuit de agris & pecoribus, nec vnquam sua creuit possessio per grauamen proximi, vt ipse testatur in libro suo capite trigesimo primo: quinimmo & manus aperta iugiter erat ad largiendum pauperibus.

Gen. 46. 34. Iob. 1. Iob. 31. 17. 38.

Moyses quoque, de cuius laude resonat cœlum & terra, omnium prophetarum excellentissimus, quamuis in regia fuerat aula educatus, tamen disponente Domino, antequam ad diuina oracula profecerat, prius in schola humilitatis per quadraginta annos oues Iethro cognati sui pascendo exercebatur. Gedeon vir fortissimus, dum operi rustico deseruiret, frumenta purgando, angelo sibi apparente, ducatum populi Israhel coactus suscepit, & hostes Dei prostrauit. Booz, qui & Abesan, duodecimus Iudex populi Israhel, dum aream ventilat, Ruth Moabitidem sibi desponsat, quæ in Christi genealogia ponitur. Dauid vir secundum cor DEI, dum oues patris sui pasceret diuina reuelatione in regem super totum Israhel vngitur. Elisæus, dum in duodecim iugis boum araret, & ipse in duodecim iugis boum arãtibus vnus esset, vt luculenter scriptura exprimit in glorioſum Prophetam pro Elia diuinitus eligitur. Amos pastor & rusticus, licet imperitus sermone

Exod. 3 1. Iudic. 6. 11. Iudic. 12. 8. Ruth. 3. 13. 1. Reg. 16. 13. 3. Reg. 19. 19.

mone, tamen scientia plenus, vt Hieronymus testatur in prologo, subtilissimum texuit oraculum, de pascuis in Prophetam assumptus. De Rechab & Ionadab, ac eorum filiis, qui iugiter in agris habitant, ac aliis viris splendidissimis sine numero longum est differere, qui omnes peregrinationem hãc transegerunt iusto labore manuum suarum sine tumultu ac pomposo apparatu huius seculi, contenti fidelibus aruis, celebre nomen posteris reliquerunt, & exemplum tutissimum. Hieron. in prol. galeato. Ierem. 35. 8.

NEQVE hoc prætermittendum est, quod etiam apud gentiles olim rusticana frugalitas summopere colebatur, & ad summos honores crebro tunc, licet inuiti, Rustici trahebantur. Vnde refert Valerius Maximus de TVLLO Hostilio: *Incunabula Tulli Hostilij agreste tugurium cepit: eiusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata. Validior atque imperium Romanum rexit, & duplicauit: Senectus excellentissimis ornamentis decorata, in altissimo maiestatis fastigio fulsit.* SERVIVS Tullius, de matre ancilla licet nobilis progenitus, strennue Romanum imperium rexit, tres montes vrbi addens, ac vltra prædecessores suos fossas rustico more circa muros duxit. NABVCHODONOSOR, Darius antequam mundi monarchiam susceperunt, in pascendis pecoribus cum cæteris pastoribus intenti fuerunt, sicut olim REMVS & ROMVLVS. L. QVINTIVS inclitus Romanus repertus in rure ab aratro sumptus est, & in Dictatorem creatus, qui Romam pœne desolatam propter aduersos casus magnifice consolatus est triumphis suis. T. Quintius etiam Dictator pari exemplo post cruentissima bella victor fidelis effe- Agricultura honorifica apud gentiles. Valer. libr. 3. cap. 4. T. Liu. lib. 1. dec. 1. Cic. lib. de Senect. A. l. 5. de ciuit. d. ca. 18.

Valer. l.4. c.3. Cic.de Senect. Aug. l.cit. Gell.lib.1. ca. 14.&l. 6.cap.8.

ctus, in eadem paupertate, qua prius vixerat, permanens, quatuor iugera suis manibus coluit. M. Curius vir dignæ memoriæ, quantum paupertatem dilexerit, patet ex hoc, quod oblatas pecunias respuit, dicens: *nec acie vinci, nec pecunia corrumpi possum.* Similiter Fabritius, Attilius Regulus, Scipio Aphricanus, & alij plures nobilissimi viri, ac secundum honestatem secularem probatissimi, quantum iustos labores dilexerint, & proximi grauamen vitauerint, & Rempublicam promouerint, nullo possumus stylo satis commendare.

Cur agricultura nunc contempta.

Quod autem hodie pauci reperiuntur, qui tam glorioſa exempla imitentur, manifestum signum est, quantum hic miser mundus in peius profecit. Siquidem superbia, auaritia, luxuria, acedia & cætera vitia adeo inualuerunt, vt pœne vix inueniatur, qui paternos mores ad bonum virtutis, & præcipue humilitatis spectantes imitari dignetur; nisi forte, quem necessitas coegerit extrema. Putantque iam homines scandala incurrere, si ea agant, vnde olim viri celebres grandem sibi honoris hauserant materiam. Constat certissime, & omnino verissimum est, vniuersum genus humanum à propagine rusticana originem traxisse: constat denique spectabilissimos viros olim ex animo sine omni necessitate rustico operi insudasse, ne arroganter vltra metam Patrum suorum se leuare putarentur, aut erubescere super hoc, vnde venissent. Constat rursum, nullos Imperatores, Reges, Duces, Comites, nobiles, mediocres, aut alios quoscunque homines cuiuscunque status aut conditionis ab hac lege esse alienos, vt dicere possint sine falsitatis rubore:

Omnes homines etiam Reges à rusticis sunt oriundi.

Nos

Nos de Rusticis non venimus, aut Rusticorum auxilio non indigemus; & tamen quidam homines vaniſſimi mortales, ac multis calamitatibus expoſiti, hoc quod ſunt, eſſe nolũt, videlicet filij Rusticorum, nec ſaltem hoc æquanimiter audire volunt. Verum etſi hodie potentes quidam & nobiles ita deſipiunt, tamen olim teſte B. Auguſtino li. 8. de ciuit. Dei, & aliis locis multis, multo amplior inſania Principes quoſdam occupauit, in tantum, quod putabant ſe non homines eſſe, ſed Deos, & contrarium dicentes trucidabant, nec informatores eorum ſanctiſſimos aliquo modo patienter audire potuerunt. Mira prorſus & miſeranda cœcitas. Aut ergo glorioſi illi Patriarchæ & Prophetæ, ac cæteri viri virtuoſiſſimi errauerunt, aut iſti.

Aug. lib 8. c. 26 & toto lib. 6. & 7.

SED abſit, vt ſic vanis & leuibus hominibus, acomni ſpurcitia plenis credamus, vt ab illis DEO dignis & vere nobilibus viris recedamus, quin potius veraciſſime dicamus, ſi totus mundus taceret, ipſi inter ſe mutuo per quotidiana conuitia, quibus iugiter madent, ſibi ipſis & aliis foris innoteſcunt, quales intus exiſtunt; ſed hos dimittamus, & bonæ voluntatis Rusticos, quantũ poſſumus, confirmare ſtudeamus, vt videlicet aduertant, quam grati eſſe debeant Domino de vocatione ſua: quoniam reuera non ad vile, ſed ad digniſſimum inter omnia mechanica officium vocati ſunt, quando talium Patrum imitatores eſſe meruerunt. Qui vero ſcire voluerit, qualem prærogatiuam in nouo Teſtamento agricultura habuerit, legat ſanctorum eremitarum ac monachorum regulas, & inueniet, quod præ cæteris redditibus ac prouentibus ſancti Patres elegerunt de paſtu animalium & agrorum fructi

Eremitæ exercuere ruſticam vitam.

fructibus, quos propriis manibus excolebãt viuere tamquam de ſtipendiis iuſtiſſimis: nec dubium eſt, quin alios prouentus præelegiſſent, ſi illos iuſtiores iſtis reperiſſent. Hinc B. HIERONYMVS, *ruſticitatem ſanctam appellat*, dicens, *O ſancta ruſticitas, quæ natos ad labores homines prouehis ad cœleſtia mundo ereptos.*

Principes coluere vitam ruſticam.

HANC Ruſticitatem multi Reges, Senatores, Patritij, Duces, Principes, Comites, Nobiles, Barones, milites, ac alij vtriuſque ſexus homines honorati, & mediocres, infiniti elegerunt, & non ſolum ſalui facti ſunt, ſed etiam ſupremas cœleſtis regni ſedes meruerunt. Teſtes ſunt ANTONIVS, Macharius, Arſenius, Ioſaphat, Synclerica, Brigida, Benedictus, Maurus, Iudocus filius Regis Britanniæ, Arnulphus dux Lotaringiæ, Carolomannus, & Childericus filij Regis Franciæ. Rachis Rex Longobardorum, ac plures alij Reges Franciæ, Angliæ, Bulgariæ, & cæteri. Item BRVNO primus fundator Carthuſienſis Ordinis, Stephanus & Bernardus cum fratribus ſuis, primi propagatores Ciſtertienſis Ordinis, aliique ſine numero. Hi omnes, quid egerint, quibuſve exercitiis ad culmẽ ſpiritualis perfectionis peruenerint, qui ſcire voluerit, ſacros legat codices, & in Regalibus manibus citius ſarculum, quam ſceptrum inueniat, citius cotem, quam margaritam, citius in menſis aquam cum pane arido, quam vina condita.

Vitas patr. p. 1. & 2.

Arnold. Auion. lib. 4. ligni vitæ. Et monachi inſtitutores Ordinum.

Cõtra inertes ruſticos inuectiua.

EIA, vbi ſunt iam delicati Ruſtici noſtri quidam, qui tantopere ſacros labores fugiunt, tam ſtudioſe ad otioſos dies anhelant. O miſeri, quid facitis, quid reſpondebitis diſtricto iudici quando videritis

videritis tales ac tantos viros palatia deseruisse,& ad vestram rusticitatem descendisse, sicque regna cœlorum promeruisse? Vos in rusticitate sancta nati estis, & quam faciliter continuare potestis, si vultis, deserere cupitis: illi in purpura nati, pariter & educati, quam relinquere ipsis vtique semimors est, tam sollicite vestram securitatem amplectuntur, cunctis mundi honoribus spretis atque deliciis. Eia aduertite, quam breue tempus laborare habetis pro æterna quiete; quam incertum est, an honores temporales sine periculo corporum & animarum adipisci poteritis, quos tamen adeptos certum est non diu retinere quenquam posse. Manete igitur in sancto statu vestro, securo & humili, & honorate officium vestrum sanctum à Deo institutum, & animo volente ac mente benenola hilariter exequimini ea, quæ ad ipsum spectant in timore DEI, & vere beati eritis cum omnibus, qui labores manuum suarum manducant, beneque vobis erit, hic & in æternum. Quod vobis concedat idem gloriosus DEVS, cuius operarij estis, qui per cuncta secula viuit & regnat, AMEN.

CAPVT IV.

Quarto debet quilibet fidelis & timoratus Rusticus humiliter Dominis suis obedire.

HHoc est, quod monet Apostolus ad Romanos decimo tertio capite omnibus Christianis loquens ac dicens: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati,* Ro.13.1.

potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ecce quam plana sententia, nihil sincerius dici potuit. Attende quid resistentibus comminetur, vtique tam huius quam futuræ vitæ dispendium. Nam contra eos Principes ius acquirunt siue ad occidendum, siue ad puniendum: & Dominus Deus eos æternaliter damnat, si absque pœnitentia sic moriantur. Hic heu plures Rustici deficiunt, nullatenus obedire volentes, nisi cum resistere non possunt; aut multas occasiones caluas fingentes, sæpe etiam mendaciter se excusantes, aut alio colore illicito palliantes se, & conceptus suos, vt à debitis seruitiis absoluantur. Hi omnes resistunt potestati, & Deum grauiter offendunt, quia multa peccata pro modico lucro sæpe committunt, & tanquam fures in cõspectu diuinæ maiestatis iudicantur, quia rem aut seruitium, quod alteri debent, ipso inuito detinent, siue per violentiam, siue per fraudem.

Rustici inobedientes qui.

Ast è contra boni rustici & fideles ambulantes simpliciter in via mandatorum Dei, nec mendacium, nec violentiam meditantur contra Dominos suos propter timorem DEI, sed omnibus iuxta eiusdem B. PAVLI monita reddunt debita: *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Sic syncere & fideliter seruientes, non tanquam hominibus, sed tanquam Deo, neque ad oculum placentes, sed ex animo, vt nemini quicquam debeant, nisi

Ro.13.7.

Ephes.6.7.

Ro.13.8.

nisi vt inuicem diligant, hoc est dicere, quod inter Dominos & subiectos debet esse mutua dilectio: quod facile contingit, quando inferior beneuole soluit debitum superiori: alioquin iugis inter eos rixa & inuidentia oritur cum DEI offensa. Et quia sunt nonnulli etiam bonæ voluntatis rustici, aliique Christiani nominis professores, etiam litterati, qui putant, quod subiectio ista famosa, qua per vniuersum pœne orbem rusticana plebs regitur, & præcipue illa, quæ vinculo seruitutis est alligata, sit iniusta, eo quod natura omnes simus ingenui, ideo ad tollendum hunc errorem aliqua sanctorum dicta sunt hic subiungenda. Constat namque, quod bonæ voluntatis homo facilius & libentius seruit, quando scit secum iuste agi: Sed quando putat quod violenter grauatur contra fas, pœne sanguinem pro aqua sudat, nisi fuerit valde in virtutibus perfectus.

Nō est iniusta subiectio rusticorum.

ESTergo sciendum, quod de communi subiectione hominis ad hominem nulla est dubitatio, quin iusta sit, imo necessaria; alioquin in Ecclesia DEI nullus esset ordo, sed confusio tota. Si enim nullus vellet subesse, sed æqualiter omnes præesse, totius humani generis optabilissimum bonum, quod est pax, continuo turbaretur, nec possent homines simul habitare, neque conuersari, veluti si plures ante vnam domum starent, & nullus alteri cedere vellet, vt præiret, necessitate omnes simul foris remanerent, aut forte se mutuo violenter opprimerent, donec vnus solus domum totam teneret. Hæc, quam essent absurda, bestiarū conuictus edocet, si homines ista nescirēt. Nam pulchro quodam & naturali instinctu vna alteri cedit,

Necesse est hominem homini esse subiectū.

Bestiæ sibi mutuo cedunt.

cedit, & quasi superiorem recognoscit. Ea autem, quæ secundum naturam sunt optime se habent. Igitur patet, quoc subiectio & prælatio necessario sint in populo DEI, & per consequens non omnis subiectio est violenta & iniusta, sicut nec prælatio.

Subiectio hominis triplex. Diuina.

INVENITVR namque triplex Prælatio, & triplex subiectio in Scriptura sacra. Nam quædam est diuina & naturalis, quæ apud omnes æqualis: & sic Dominus DEVS creator vniuersorum præsidet & dominatur creaturæ à se factæ, ita etiam suo modo parentes prælati sunt filiis. Et hæc iustissima est; & qui huic Prælationi resistit, nimis est

Psal. 13.2. Augustin. in Psalm. 13.

peruersus, iuxta illud Psalmi: *Dixit insipiens in corde suo, non est DEVS.* Vbi B. AVGVSTINVS dicit, quod *paucorum est ista insania, vt dicant, non est DEVS.* Sic vix vnquam repertus est aliquis ita proteruus, vt diceret, se parentes non habere, aut non habuisse, nec filios debere parentibus subdi. Omnis ratio proclamat, quod illis honorē rependere cum gratitudine debemus, à quibus esse habemus. Hinc in

Luc. 14. 16. Exod. 21. 16.

lege pari pœna plectuntur, qui Deum blasphemant, & parentibus maledicunt, quia morte digni sunt. Alia est voluntaria, & socialis, & ad istam

2. Subiectio socialis.

nemo tenetur, nisi se voluntarie obligauerit tacite vel expresse. Sic vxor subiecta est viro, & è contra secundum modum suum. Sic miles duci, dux regi, clericus sacerdoti, ciuis burgimagistro, & sic de singulis. Quamuis enim vir non teneatur vxorem ducere, tamen, postquam duxerit, tenetur cohabitare ei, & debitum reddere, & prouidere de illis, quæ statui coniugali sunt connexa. Sic de aliis omnibus statibus à primo vsque ad nouissimum.

NEMO

NEMO de communi lege tenetur suscipere principatum, sed si voluntaria consensione susceperit, iam se obligauit, & ideo tenetur ad ea quæ illi statui sunt debita & congrua. Similiter de communi lege non tenetur alteri seruire. Sed si pacto interueniente aut alia causa iuste se ad seruiendum astrinxerit, iam obligatus est, & seruire tenetur. Quare autem homo sic debeat esse omnino liber ab omni coactione, ideo est, quia alias non posset dici, quod vere esset ad imaginem DEI creatus, quando videlicet non haberet facultatem vtendi libero arbitio ad faciendum hæc aut illa quæcunque rationabiliter vellet, quia libera voluntas absolute loquendo soli Deo & nulli alteri subditur, nisi ipsamet se subiiciat alicui citra Deum. Et ideò ista Prælatio, & subiectio socialis nunquam est iusta sine præuio consensu de communi lege. quod dicitur propter illos, qui nati sunt in seruitute, quia illi sequuntur conditionem parentum suorum: quamuis aliàs causam ex proprio consensu non habeant, vnde sæpe dicta libertate priuentur.

Subiectio socialis requirit præuium consensum.

Ex istis patet, si aliquis omnino liber & absolutus ab omni obligatione humana, qui nullum omnino votum aut promissum emisisset, vti vellet naturali libertate, ita quod nullus super eum haberet iurisdictionem, siue auctoritatem præcipiendi hoc vel illud, talis posset ire in locum aliquem solitarium, vbi nullum haberet Dominum, & ibi vacare soli Deo & sibi. Et quandiu sic viueret, & se de manibus propriis nutriret, aut aliunde à DEO sibi prouisis, absque omni humano suffragio, tamdiu soli DEO subderetur, nec quisquã iuste

Homo quomodo soli Deo possit esse subiectus.

posset eum cogere ad aliquid etiam minimum: esset que talis sibi Dominus, sibi seruus, sibi prælatus, sibi subditus, nec aliquam communitatem intrare teneretur: sed quam cito se hominibus sociaret ab eis auxilium & solatium accipiendo, tunc statim teneretur se eis conformare in bonis moribus eorum, iuxta congruentiam status sui: quia incipit esse pars eorum, quibus conuiuit. Teste enim B. AVGVSTINO, *turpis est omnis pars, quæ non congruit cum suo toto.* Et iuxta vulgatum prouerbium: *Qui cum cæteris mel lingere cupit, oportet, quod pariter cum eis apum aculeos sustineat.* Quare sequitur secundum dictamen rectæ rationis, quod qui vult solatiis & auxiliis humanæ societatis participare, oportet, quod etiam onera eius, quantum sibi incumbit, rationabiliter ferat, & per consequens tacite vel expresse iurisdictioni se submittat: & ex tunc, & quãdiu sic est, obedire teneatur potestati humanæ in iis, quæ suum statum concernunt. Verum quia prædicta vita solitaria magis videtur esse angelica, quam humana, ideo vix aut parum in sacris Scripturis de illa inuenitur. Et est communis sanctorum sententia, quod non est consulendum leuiter, vt aliquis illam arripiat: quia periculosissimum est maxime rudibus & imperfectis in via DEI: quamuis quidam sanctissimi viri ipsam ab ineunte ætate elegerunt: Quia tamen priuilegia paucorum non faciunt communem legem, ideo tales sancti sunt magis admirandi in hoc, quam imitandi. Vita autem socialis est magis secura quoad omnem statum: & pro illa legitime conseruanda & dirigenda sunt valde multa scripta, & leges tam diuinitus promulgatæ, quam humani

Aug. l. 3. confes. c. 8. Gra. d. 8. cap. quæ contra. Prouerbiũ.

Vita solitaria angelica, sed non cuiuis consulenda.

manitus institutæ.

TERTIO. Prælatio est coerciua, & subiectio seruilis: & hæc nunquam est iusta, nisi præcedente peccato. Nec fuisset in statu Innocentiæ, sicut duæ præcedentes iuxta illud Apostoli: *Iusto non est lex posita, sed peccatoribus.* quod secundum Glossam intelligitur de lege coerciua, siue pœnali. Verum quia totum genus humanum propagatum est de stirpe vitiata & radice infecta per peccatum, ideo etiam tota natura humana multipliciter est serua, arctante eam decreto diuinæ iustitiæ, à quo nunquam se in hac vita absoluere potest. Et ideo ista communis seruitus, quæ dicitur Ecclesiastici quadragesimo, *iugum graue super filios Adam à die natiuitatis eorum vsque in diem sepulturæ*, absque dubio est iusta, quia à iusto DEO inflicta. Huic autem seruituti primæ succedit altera quotidiana, propter peccata, quæ quotidie committimus, quia *non est homo super terram, qui non peccet*, saltem venialiter. Et teste ipsa veritate: *Qui facit peccatum, seruus est peccati*: ergo qui quotidie peccat, quotidie fit seruus. Et ista est pessima seruitus, & sola hæc est culpabilis, aliæ autem sunt pœnales.

3. Subiectio seruilis. 1. Tim. 1. 9. Eccl. 40. 7. 3. Reg. 8. 46. Ioan. 8. 34.

Ex ista autem secunda seruitute generatur tertia, quæ dicitur legalis, de qua leges tractant, quia est iure gentium introducta: videlicet, quando tantum erat piaculum, quod grauioribus pœnis erat plectendum. Vnde olim apud piissimos Principes hæc clementia fuit, vt eos, quos in bello cœperant, hostes morte dignos vitæ reseruabant ad certa opera deputandos: & ob hoc seruus à seruando nomen accepit, & dictus est seruus, quasi seruatus. Vbi est notandum, quod ista

4. Seruitus legalis. Aug. l. 19. de ciuit. Dei.

Quando sit iusta.

seruitus legalis tunc solum iusta est, quando bellum iustum est, vel quando quis tale crimen committit, propter quod leges seruitutem infligunt. Est etiam alia quædam origo seruitutis multum virtuosa & perfecta, quando videlicet aliquis ex humilitate seipsum in seruum dat alteri intuitu DEI, sub qua comprehenduntur boni Religiosi, qui se in perpetuos seruos DEI consecrant. Est adhuc alia origo seruitutis, quæ ex necessitate procedit, quando videlicet quis propter defensionem alteri se tradit in seruum, aut quando quis propter debita tenetur, aut venditur, siue alia huiusmodi. Item quandoque cupiditas est causa seruitutis, sicut in quibusdam terris contingit, vbi serui præ aliis sunt magis diuites, aut amplius priuilegiati. Quare nonnulli ingenui tradunt se seruituti, ob hoc tantum, vt gratiam & honores, seu officia aut hæreditates à Dominis consequantur. Et quamuis, simpliciter loquendo, hoc non sit peccatum, nisi quantum cupiditas id persuaserit, tamen non videtur laudabile. Est enim libertas magnum donum DEI, quod pro re vili non debet vendi, sicut sunt temporalia. Vnde & Esau reprehenditur ab Apostolo, quod donum naturæ nobile, scilicet primogenituram pro cibo necessitatis etiam tempore fratri vendidit. Sola illa namque seruitus est laudabilis, quæ ex virtute procedit. Sic multi serui ex natiuitate sic procreati, magnum meritum apud DEVM habebunt, si fideliter Dominis suis seruiant cum tali intētione, quod volunt potius pœnale iugum sustinere, quam per fugam, aut violentiam, siue fraudem se à seruitute absoluere, & contra bonum virtutis agere Dominum DEVM offendendo.

Seruorum varia genera.

Heb. 13. 16

Gen. 25. 3.

SIMILI

SIMILITER de illis, qui se propter paupertatem vendunt, vt proximo satisfaciant est sciendum. omnes isti merito inter martyres sunt computandi. Qui autem propter sua peccata propria seruituti mancipantur, & nihilominus patienter sustinent cum plena contritione peccati, similiter non solum peccatorum remissionem, sed etiam meritum æternæ vitæ cum prædictis habebunt. Qui vero inuite & cum murmure seruiunt, seipsos miserabiliter decipiunt, nisi post pœniteant: nam neque apud homines, neque apud DEVM gratiam habebunt; quod tamen intelligitur de mortali impatientia. Non est enim mirum, si homo bonæ voluntatis in quotidiana seruitute desudans aliquando sentiat motus impatientiæ venialis, seu erumpentia verba minus suauia contra Dominos suos, quod vix à sanctissimis viris vnquam potuit obseruari, sed sufficit humilis recognitio cum petitione veniæ post huiusmodi lapsum, toties, quoties, cum proposito se deinceps præcauendi, & tunc non amittitur meritum.

Serui quidam martyres.

ET quanquam sint multæ species seruitutis secundum leges, tamen quantum ad propositum sufficit, pro dirigenda conscientia simplicium, est aduertendum, quod simpliciter loquendo de seruitute & stricte, tunc tantum illi dicuntur serui, qui omnino absque alia conditione appositi sunt alterius iuris, & perpetuo seruire tenentur, & quicquid habent, omni hora ad Dominorum pertinet voluntatem sine vlla contradictione seruorum, & hæc vix reperitur in partibus Alemanniæ, sed in Italia, & præcipue in locis maritimis, vbi quotidie venales adducuntur de terris Saracenorum

Qui proprie serui.

norum captiui, & emuntur in seruitutem simpliciter sine omni pacto præuio. Et hæc vocatur seruitus legalis, de qua iura communiter loquuntur in pluribus locis. Alia est seruitus conditionalis seu vsualis, quæ secundum diuersas regiones diuersimode narratur introducta, & successu temporis plenissime præscripta, ita quod de hac dubitandum non sit, quin sit iusta. Et ista habet limites suos, videlicet secundum morem patriæ, aut certè secundum pactum præuium ratificatum inter Dominos, & huiusmodi seruos ex communi consensu: ita quod quando solutum debitum fuerit: deinceps Dominus nec de persona serui, nec de rebus eius interesse habet, nisi forte post mortem eius, aut in certis casibus, secundum quod consuetudo, aut pactum de hoc cauit.

Seruitus vsualis.

Quid seruis agendum cùm non sunt soluendo.

VBI est diligenter aduertendum, quod fidelis seruus, qui se taliter obligauit, tenetur facere diligentiam suam nocte & die, quatenus Domino suo solitam pensionem soluat, ita quod si aliter fecerit, videlicet, negligendo laborem debitum, aut deliciis vacando vltra modum, grauiter peccat, & reus tenetur coram Domino DEO & hominibus. Si autem post fideles labores infortunium aliquod euenerit, ita quod pensionem solitam soluere non poterit, tunc cum bona conscientia potest se excusare, narrando causam simplici corde sine omni dolo, sicut se res habet, & tunc coram DEO & omnibus hominibus est excusatus. Si autem super hæc Dominus suus eum grauare voluerit, non statim debet currere ad lapides, aut minari, aut maledicere, sicut quidam proterui facere solēt, sed humiliter rogare, aut bonos

nos aliquos viros inducere, vt pro se intercedant, quatenus negotium in omni charitate sopiatur. Quod si fecerit in timore DEI cum omni mansuetudine, absque dubio pius & misericors DEVS non negliget fidelem seruum suum, sed mittet Spiritum bonum inter ipsum & Dominum suum, qui loquetur pacem inter eos. Aut, si Dominus vtique irrationabiliter grauare seruum vellet, tunc hoc certissime est tenendum, quod clemens Deus, aut gratiam patientiæ sibi dabit ad magnam coronam suam, aut illico vindicabit iniuriam pauperi factam, sicut sæpissimè factum legitur.

MAGNA igitur fiducia est omnibus sperantibus in adiutorio altissimi, quoniam non obliuiscetur DEVS illorum misereri, sed pauperum & afflictorum gemitus audiet, & faciet iudicium ipsorum. Scio quod loquor. Non longe ante hæc tempora Princeps quidam, dum vltra solitam pensionem inhumaniter quosdam rusticos grauaret, nec quicquam suspicaretur mali, subito absque aliquo morbo cœpit dolere ventre, & in breui miserabiliter os eius occlusum fuit, ita vt sine sacramentis formidabili morte, velut canis, vitam finiret. Noui ante annos viginti quendam famosum tyrannum, qui pœne nihil humanitatis habuit. Hic multa pecunia congregata per exactiones graues à pauperibus seruis, dum sibi prouidere vellet in futurum, caute eas, vt ipse putauit; cuidam honeste ciuitati in depositū dedit, sed mira res accidit, vt ciuitas ipsa in quodā necessitatis articulo cōstituta omnē illam pecuniā consumeret, succedentibúsq; necessitatum periculis, nihil ipsi Tyranno, qui tunc indigens factus erat,

Exemplū Domini crudelis in seruos.

Aliud exemplum.

reddere potuit: tanta siquidem eius sæuitia fuit, vt à proprio filio adhuc puero vinculis traditus, & à patria expulsus affligeretur. Armiger quidam circa idem tempus, dum seruos suos crudeliter tractaret, ita vt etiam mulieres incipparet sine causa, in sacra solennitate Paschali pœne in frusta concisus miserabiliter velut bestia in manibus percutientium spiritum efflauit. Nec mirum. Hoc enim Dominus Deus comminatus est vniuersis Prælatis in multis locis S. Scripturæ. Vnde Exodi 22. legitur: *Non contristabis aduenam, neque affliges eum; viduæ & pupillo non nocebis: Si læseritis eos vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus percutiamque vos gladio.*

Aliud.

Exod. 22. 21.

Vindicta à Deo contra Dominos crudeles nō facile petenda.

VERVM non hæc scripta sunt, vt statim quilibet læsus debeat vindictam petere à DEO contra aduersarios suos, sed vt sciant humiles, quod indigent seipsos vindicare, quia diuinum iudicium vigilat super hoc, vt eruat de manu violenti pauperem. Si quidem multo amplius consulendum est afflictis, vt patienter sustineant, & recogitent diligenter, si forte aliqua peccata habeant sub se, quæ nondum emendauerunt, propter quæ etiam grauioribus pœnis digni essent. Quod si non inuenerint, tunc cum omni fiducia supplicare possunt Domino DEO pro emendatione Dominorum suorum. Hæc autem oratio efficacissima est, & acceptissima coram DEO, & ipsis subiectis multo vtilior, quam si aduersarius de medio tolleretur: quia nescitur, qualis futurus erit, qui illi succedet. Quampluries enim expertum est, quod malo peior, & peiori pessimus succesſit in regimine. Quod tamen frequentius non contingit, nisi

Deus bonis bonos malis malos dat principes sæpe.

nisi propter peccata populi, aut ad exercitium electorum. Communiter námque diuina prouidentia bonis & modestis hominibus discolos præsides non permittit: nam iuxta vulgatum Prouerbium: *Qualis est rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Eccl. 10.2. & è conuerso, qualis populus, talis est & Princeps, qui regit ipsum. Hoc etiam in Scriptura sancta luculenter exprimitur. Nam bonis Dominus promittit Isaiæ sexagesimo capite dicens: *Ponam præpositos tuos iustitiam, & occupabit salus muros tuos.* Esa. 60. 71. Ezech. 20. 33. Peruersis autem comminatur Ezechielis vigesimo: *In furore effuso regnabo super vos.* Et Osee 13. cap. *Dabo vobis regem in furore meo.* Et in Iob dicitur, quod *regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi tollenda.* Est igitur culpa, vt esset tyrannorum plaga. Ose. 13. 11. Iob 34. 30

NEQVE tamen propter hoc tyranni sunt sine culpa, quia subditi metuerunt regimẽ eorum; Sed, sicut pater virgam in ignem proiicere solet, qua filium erudiuit, sic fiet etiam prælatis discoliș. Narrat beatus GREGORIVS in libro Dialogorum de Theodorico Rege Gothorum famoso tyranno, qui sanctum IOANNEM Papam, & Symmachum Patritium, ac Boërium, & alios æque catholicos viros martyrizari fecit, quod ab ipsis, quos iniustè occiderat, ab hac luce subtractus fuerit, & in os Vulcani proiectus. Sic de aliis multis legitur sine numero. Pariformiter quoque sentiendum de iniquis seruis esse constat, sicut de iniquis dominis, quia rarò bona morte defunguntur. Quanquam enim nonnunquam serui iniustè opprimantur, tamen non habent ius inuadendi Dominos suos, aut bona ipsorum. Et aliquos sciui, Greg. li. 4. c. 30. Seruis nõ licet inuadere Dominos iniquos.

qui contra fas diffidarunt Dominos suos, licet clamore totius vulgi iustificarentur, tamen Dominus DEVS apertè plagauit eos: & sicut fecerunt, factum fuit illis.

Quid cõtra eos agendum.

SED quæritur, quid faciendum sit seruis, qui non possunt tolerare tam iniusta grauamina dominorum? Respondetur, quod ad subsidia iuris possunt confugere, sicut alij ingenui facere solent. Nam in iure plenè dispositum est, quid in hoc casu fieri debeat. Dicitur enim in lege: *Sequitur de iure personarum*, in Institut. de his qui seruiũt. quod non licet sine causa rationabili Dominis *supra modum in seruos desæuire*. Et qui sine causa seruum suũ occiderit, non minus puniri iubetur, quam qui seruum alienum occiderit. Et quando est intolerabilis sæuitia Dominorum, possunt serui confugere ad loca sacra, à quibus extrahi nec possunt, nec debent, donec vendantur alicui probo viro, qui eos clementer tractet, & pretium nihilominus crudelibus Dominis detur. Expedit enim Reipub. ne quis re sua malè vtatur. Et quia frequenter sæuitia Dominorum seruos inhumaniter tractat, ideò etiam mos inoleuit in ciuitatibus eminentioribus, vt ciues eos sub sua defensione piè suscipiant, nec aliquod eis malum euenire sinant, nisi secundùm viam iuris. Si verò suprema potestas in culpa fuerit, ita quod non sit seruis locus euadendi tyrannidem, nec inueniãt aliquem, cui conquerantur iniuriam sibi factam, qui eos liberare possit, adhuc nullo modo permittitur eis inuadere, aut personam, aut substantiam Dominorum suorum, sed ad Dominum DEVM confugere debent, vt prædictum est.

Institit. Iust. lib. 1. tit. 3.

Ibid.

Verùm,

VERVM, quia multi & varij casus in hac materia euenire solent, ideò consultum est, quod semper ad aliquem disciplinatum virum referatur negotium, qui singula diligenter examinet, ne alicui fiat iniuria. Ex quibus patet, quod grauiter peccant Principes dissimulantes iniuriam pauperum seruorum, quando à vasallis suis opprimuntur; quia cùm sint principales administratores Reipub. nullum debent negligere in iure suo; nec facilè credere oppressoribus huiusmodi, sed sicut B. IOB fecit, diligentissimè causam examinare, & vnicuique, quod suum est, tribuere; alioquin tanquã consentientes apud Deum rei tenebuntur. Apertissime namque LEX dicit: *Dominorum potestatem in seruos suos illibatam esse oportere, nec cuiquam hominum ius suum detrahi.* Cui diuina lex consonat ad Ephesios sexto, vbi beatus Paulus vtrosque salubriter informat dicens: *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quoniam vnusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: Scientes, quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis. Personarum acceptio non est apud eum.* Ecce aurea doctrina, quæ vtinam sic iugiter seruetur, quia tunc nihil restaret, nisi abundantia pacis & dilectionis.

Principũ est seruos oppressos tueri.

Iob 29. 16.

Insti. Iusti. l. cit.

Ephes. 6. 5.

RVRSVM quæritur, quando seruis fit iniuria à Dominis suis, quando sit locus iustæ querelæ? Respondetur, quod si sint serui conditionati secundum

Serui quãdo iustè conqueri queãt cõtra Dominos.

dum certa pacta, aut consuetudinem patriæ præscriptam, tunc non licet Dominis grauare seruos vltra consuetum modum taliter præscriptum. Si verò sint simpliciter serui, tunc si Domini eis negant victum & vestitum necessarium, aut prohibent eos, aut iubent vltra quam ratio dominij se extendit, aut si ad mala cogant, &c. si iniustè affligant, si vltra vires laborare faciant. Pro quo est aduertendum secundùm THOMAM in 2.2. q.104.a.5. quod inferior suo superiori obedire non tenetur, si ei aliquid præcipiat, in quo ei non subditur, iuxta illud SENECÆ: *Errat, si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere: pars eius melior excepta est: corpora obnoxia sunt & asscripta Dominis: mens quidem sui iuris est.* Et ideò in iis quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solùm Deo. Tenetur autem homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus sunt agenda, sicut ad opera seruilia serui tenentur Dominis obedire, non ad opera naturalia, quia natura omnes homines sunt pares. Vnde quoad sustentationem corporalem, aut prolis generationem serui Dominis non sunt subiecti, vnde nec tenentur serui Dominis obedire de matrimonio contrahendo, aut non contrahendo: de virginitate seruanda, aut non seruanda, & huiusmodi. Item de ieiunio vltra posse, aut labore perpetuo, aut nuditate indiscreta, aut vigilia continua, aut aliis similibus, quæ naturam destruunt.

Sen. l.3. de bene. c.20.

Seruus nō tenetur obedire in omnibus.

S. Tho. ibi.

Maiori superiori potius obediendum quam inferiori.

ITEM quando maior potestas præcipit seruis, tunc minor potestas cedere debet. Si contra præceptum DEI nunquam debet subditus obedire homini.

homini. Similiter contra præceptum Papæ non valet præceptum alicuius potestatis inferioris. Et contra præceptum Principis non debet vasallus cogere seruos suos, cùm & ipsemet sit quasi seruus Principis. Ita & de aliis suo modo est dicendum, vt videlicet maior potestas semper primatum teneat. Sic enim Dominus DEVS Ecclesiam suam disposuit, vt nullus in ea sit absque subiectione. Et summus totius mundi Prælatus, videlicet Dominus PAPA non se aliquem magnum scribit, sed humiliter se *seruum seruorum Dei* nuncupat. Et in veritate ita est: nec audebit in conspectu diuinæ maiestatis aliquo alio titulo gloriari, nisi de isto. Nam hoc præceptum habet à Domino nostro IESV Christo, cuius Vicarius est, sicut dicitur Lucæ 22. *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Et, vt hanc humilitatem omnibus Christianis efficaciter imprimeret, seipsum in exemplum dedit, dicens: *Ego in medio vestri sum, sicut qui ministrat.* Et iterum: *Non veni ministrari, sed ministrare.* Et cùm in vltima cœna discipulorum pedes lauisset, ait: *Si ego vester Dominus & magister laui vestros pedes, quanto magis & vos debetis alter alterius lauare pedes? Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen, Amen, dico vobis, non est seruus maior DOMINO suo, neque Apostolus maior eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.*

Omnes in Ecclesia alicui sunt subiecti.

Luc. 22. 26

Matth. 20. 28.

Ioã. 13. 14.

MERITO hæc omnibus seruis maximè debét esse consolatoria, & libenter hoc exemplum amplecti, & beneuole seruire, quoniam si sic fecerint, sunt veri imitatores filij DEI. Ob hoc multi Reges & Principes nobiles ac mediocres altas

Serui imitãtur Christum.

sedes

sedes dimiserunt, & seruilem statum assumpserũt, vt CHRISTO Domino vicem rependerent. Erubescant ergo serui, & timeant, si Dominis suis humiliter non obediant. Erubescant similiter Domini & paueant, si seruos suos irreuerenter tractant: nam audituri sunt à tremendo iudice: *Quod vni ex minimis meis feciſtis*, qui in me credunt, *mihi feciſtis*, siue bonum, siue malum. Similiter à seruis exiget, qualiter suam doctrinam & exẽplum imitati fuerint, quando Prælatis dixit in persona Apostolorum, *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*. Reuera, quando vterque seriosè hęc aduertit, tunc benignitas in Prælatis, & fidelitas in seruis faciliùs surget. Qui verò his non compungitur, spiritualiter mortuus est.

Matth. 25. 40.

Luc. 10. 16.

Exemplũ eremitæ serui. Vitasp. 1. p. c. 16.

DE hoc legitur notabile exemplum in secundo libro Vitaspatrum cap. 19. vbi narratur de quodam sancto Patre, qui fuit seruilis conditionis, & per singulos annos venit de eremo ad Dominos suos deferens eis pensionem, sicut solent serui facere Dominis suis. Sed Domini eius magnam ad ipsum reuerentiam habentes honorabãt eum, occurrentes & salutantes eum, petentésque, vt pro ipsis DEVM exoraret. Ille autem mittebat aquam in peluim, & festinabat lauare pedes Dominis suis cum omni humilitate: obsequium eis cupiens exhibere. ipsi verò non acquiescebant, dicentes: Noli beatissime Pater grauare animas nostras. ac ille respondens dixit: Ego seruus vester sum: nam vos Dominos meos omnipotens DEVS cõstituit, & gratias ago vobis, quod me in seruitio DEI permisistis, & ideò detuli vobis pensionem seruitutis meæ, quam si non acceperitis, iam decreui

hic

hic manere & seruire vobis. Quod videntes Domini, acquieuerunt, ipsumq; dimittentes licentiabant, sicut petiuit. noluit enim libertate donari, neque ab annua pensione absolui propter timorem DEI: & ne labores sui essent in domo aliena, sed per eos æternam mercaretur libertatem in cœlestibus. Nunc redeundo ad causam, videlicet, cùm homines pij dicant, quod seruitus iniusta sit pro eo, quod homo venditur, sicut vacca & equus, quod irrationabile est, patet, quod non debitè loquuntur. Non enim est simile, vt iam dictum est clarè. Quod autem crebro fiant seruis oppressiones iniustæ, non est mirum, quia illæ etiam fiunt ingenuis, imò indifferenter statibus vniuersis. Propter hoc tamen non sunt status prohibendi in Ecclesia, tanquam illiciti.

Eremita renuit libertatem.

Seruitus non est iniusta.

Demum quæritur, in quibus casibus Domini habeant iustam querelam contra seruos? Respondetur, quod si seruus sciat insidias parari Domino, & ipse auxilium non tulerit, reus iudicatur. Similiter si viderit Dominum periclitantem, & eum non adiuuerit. Item si eum criminaliter accusauerit, vel diffamauerit. Item si se miscuerit vxori suę, vel simili delicto eum offenderit. isti sunt casus graues. Porrò si aliàs delinqueret, vel Domino non obediret, legitimè eum corrigere potest iuxta modum culpæ secundùm boni viri dictamen, semper in timore Dei sciens, quod eadē mensura remetietur ei, qua mensus ipse fuerit. Prudenter etiam Dominus aduertat, quid seruo expediat, sicut sollicitus est ad disciplinandum filium aut filiam. Sacri namque canones testantur, quia nonnullorum pernicioſa libertas est,

Dominī quando conqueri iustè queāt contra seruos.

Mat. 7. 2.

Grat. 11 q. 2. c. 8.

&

& salutifera seruitus. Qui enim adepta libertate superbire nouerunt, eis expedit, vt in seruitutem reuocentur, quatenus hominibus potius virtuosè obediant, quam vitiis perniciosè seruiant. Econtra sunt nonnulli serui, qui etiam ingenuis præstantiores existunt, & illis nonnunquam seruiunt, qui eos in virtutibus nequaquam antecedunt. Hi non tantùm libertate digni sunt, imò tanquam patroni venerari debent. Tanto siquidem maiori honore in futura vita præ aliis sublimabuntur, quanto hic in tãta subiectione timoratius conuersantur. Hinc scriptura ait: *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua.*

Serui quidam liberis meliores.

Eccl. 33. 31.

HÆc longius protracta sunt, sed nunc, sicut prius vniuersos Rusticos, siue liberi sint, siue serui, in communi omnes monemus, vt Dominis suis humiliter obediant in timore DEI. nec est alia via perueniendi ad veram nobilitatem, nisi per obedientiam. Quanto est enim stirps nobilior, tanto est ceruix flexibilior. Qui enim regẽdi sunt ceruicosi, degeneres comprobantur, etiamsi carnaliter nobiles existant. Verùm, quia pœnè per totum mundum hodie Rustici, sicut à diebus antiquis, multipliciter grauantur, ideò multa est eis patientia necessaria, quatenus in hac vita plenè purgentur, & coronas plures mereantur: Sicque depurati & dealbati tandem ab ipso, qui beatitudinem æternam iis promisit, qui propter iustitiam persecutionem patiuntur in æternum regnum assumantur: vbi est requies sine labore, saturitas sine fastidio, euasio periculorum, affluentia honorum, copia deliciarũ, abundantia diuitiarum, summa libertas, libera securitas, tranquilla

Obedientia est via ad nobilitatem.

Patientia rusticis necessaria.

quilla iucunditas, felix æternitas, gaudium sine dolore, libertas sine timore, per infinita secula. Amen.

CAPVT V.

Quinto debet quilibet fidelis & timoratus rusticus præcipue Clerum venerari, & ex corde diligere.

Rustici clerũ præ aliis venerantur.

HÆc est voluntas Dei, vt scilicet, qui Deum colit & veneratur, quod etiam similiter nuncios eius libenter aspiciat. Hic communiter Rustici sunt cæteris laicis præferendi: nam Presbyteros, qui bene viuunt, summo studio colunt, non solum verbis, sed etiam obseruantia exteriori, in omni loco, vbicunque res postulat. Quod si aliqui reperiantur inferioris gradus in Clero, in moribus dissoluti, & peruersæ vitæ, vagi & otiosi, non est mirum, quod à populo graui & laborioso minus reuereantur, cum tales nullis placeant, siue in cœlo, siue in terra. In quo tamen venerabiles laici, tamciues, quam rustici, & alij quicunque sunt pie monendi, ne tales presbyteros, aut clericos iudicare audeant propter reuerentiam diuini cultus, qui per ipsos in facie Ecclesiæ quotidie exhibetur. Nam, sicut dicit B. Gregorius, contingit aliquando, vt homo potens famulum habeat despectum. Et quamuis iure talis famulus, siue nuncius despicitur, tamen subditi non audent eum deridere, siue contumeliis afficere propter reuerentiam Principis, qui eum misit: quia sciunt, quod Princeps talem iniuriam reputaret tanquam sibi factam, & grauiter puniret. Sic etiam Dominus DEVS vult, quod famuli sui ab aliis non tangantur, quamuis etiam reprehensibiles sint secundum illud Psalmi.

Clerici etiam mali non facilè iudicandi. Greg l. 25. mor. c. 22. & 23.

Psal. 104. 15. *Nolite tangere CHRISTOS meos, & in Prophetis* seruis *meis nolite malignari.* Item super illud Numer. Nu. 1. 49. primo: *Tribum Leui noli numerare,* dicit Dominus MOYSI, *neque ponas summam eorum cum Filiis Israhel*, dicunt sancti, quod prohibitum est laicis à DEO, ne iudicium exerceant in Clericos, aut alios quoscunque diuino cultui mancipatos, quia sæpius contrarium facientes diuina vltio percussit.

Oros li. 7. hist. c. 36. Masselzel. REFERT Orosius, quod quidam Dux imperialis exercitus nomine Masselzel, cum periculosa quædam bella conficere deberet, Clerum conuocans, & quosdam honorabiliter secum ducens, deuote pro directione tanti negotij eorum orationes implorauit: factumque est, vt insperate de hostibus vbique triumpharet. Sed post in superbiam elatus, cum Clerum persequi inciperet, statim miserabiliter interfectus fuit. Et subdit idem Orosius notabile verbum, dicens: *Probauit in se vno, ad vtrumque semper diuinum vigilare iudicium, quando & cum sperauit adiutus, & cum contempsit occisus est.* Inuenitur etiam in sacris libris, quod ab origine mundi, quotquot fuerunt molesti cultoribus vnius veri

† Deut. 33. 11. DEI, iugiter infortunati extiterunt. Sicut aperte MOYSES imprecatur eis Deuteron. 33. dicens: *Percute dorsa inimicorum eius, & qui oderunt eum non consurgant.* Loquitur autem ibi de Leuitis. Aduertant hæc quique fideles rustici, ac alij vniuersi, & præcaueant sibi, quia omnino verissime inuenient, quod nihil lucrantur per huiusmodi blasphemias, quas quidam insensati contra proximos suos frequentant. Cur ergo pro nihilo tam huius quam futuræ vitæ dispendia sibi mercantur? quis eos non consideret, qui iugiter alienam vitam maculare

culare solent? quis non statim apud semetipsum dicat: cauebo me à talibus, quia immundum os habent: & sicut aliis retro dorsum detrahunt, sic facient & mihi.

Detractio contra clericos vetita.

CONTRA hos Propheta orat: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Hinc Apostolus etiam dicit, *detractores*, non solum hominibus, sed etiam DEO *odibiles esse.* Et si huiusmodi detractio contra quemlibet proximum graue peccatum est, quanto magis contra DEI vicarios? Nam tanto zelo Dominus Deus hoc prohibuit, vt merito omnis sensatus homo expauescere debeat, ne ad talia linguam laxet. Dicit enim Dominus, Exod. 22. *Diis non detrahes*, hoc est spiritualibus, *& Principi populi tui non maledices.* Rem refero, quæ in ciuitate quadam contigit, dum puer fui. Aurifaber quidam quotidie presbyteris detraxit. Hic sæpius à vicinis admonitus fuit, vt maledictam linguam corrigeret, ne sibi eueniret, quod talibus communiter accidere solet, videlicet, ne in hora mortis sacerdotis aduentu indignus fieret. Miser ille & infelix, quod à timoratis hominibus suadebatur parui pendens, primo vxoris solatio priuatus fuit, quia secum habitare noluit: deinde ad opus sedens subitanea morte, velut canis, vitam finiuit. Concurrentibus autem vicinis, & sibi mutuo dicentibus, quoniam quod prædiximus, iam euenit, tantus timor cunctos inuasit, vt in prouerbium verteretur, quod veraciter audiuimus à progenitoribus nostris, nunc oculis vidimus, quia ad eius mortem nunquam presbyter veniet, qui libenter presbyteris detrahit.

Psal. 119. 2.

Ro. 1. 30.

Exod. 22. 28.

Greg li. 4. epist. 31.

Exemplũ de detractore.

Detrahens Sacerdoti in hora mortis carebit sacerdote.

Theod. li. 1. hist. c. 11. d. 66. in scripturis.

QVANTA autem diligentia debeant fideles laici etiam aperta vitia cleri occultare, docet gloriosus Imperator CONSTANTINVS, & habetur in Decretis distinct. 96. vbi ait: *Vere, si propriis oculis vidissem sacerdotem DEI, aut aliquem eorum, qui monachico habitu circumamicti sunt peccantem, meam chlamydem explicarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.* Et quidem satis iuste, qui enim aliter facit, quantum in eo est, DEVM inhonorat. Nam, sicut dicit Apostolus propter reprobam vitam Christianorum blasphematur nomen Domini inter gentes, sic propter peccata spiritualium personarum nomen Domini blasphematur inter Christianos, & cunctus populus scandalizatur. Qui ergo libenter publicat & dilatat peccata clericorum aut religiosorum, conuincitur aperte, quod ruinam populi & dehonorationem diuini nominis procurare festinet. Recte ergo & consulte aget quilibet timoratus rusticus, si oti suo frenum imponat, omnia dubia melius interpretando, illa autem, quæ omnino mala sunt, occultando, quia per hoc ab infinitis periculis liberabitur. Huius figura præcessit olim in Noe & filiis eius, quia, vt dicitur Genesis 9. cum Noe inobriatus iacuisset & à Chã derideretur, alij duo filij eius, scilicet, Sem & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui: faciesque eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt. Sic vsque hodie boni filij faciunt parentibus suis, tam carnalibus, quam spiritualibus. Cum enim non sit homo super terram, qui non peccet, ad minus venialiter, nunquam deest calumniatoribus occasio improperandi & indignandi: Sed virtuosus

Rom. 2. 24.

Aperta etiam vitia cleri occultanda.

Gen. 9. 23.

virtuosus homo, quem communis infirmitas tangit, semper est pronior ad compassionem, quam ad indignationem, semper paratior ad occultandum, quam ad publicandum: & talis cum prædictis filiis Noe Domino moderante benedictione repleri meretur: infirmati vero neque hic, neque in futuro requiem inuenient, quia maledicti sunt.

Non solum autem sufficere debet timoratis laicis, vt Clerum & præcipue presbyteros non lacerent verbis detractoriis, sed neque libenter tales audire: qui hoc faciunt: imo tenentur eos in hoc sic honorare, siue sint præsentes, siue absentes ex animo propter reuerentiam diuini nominis, vt iam dictum est. De hoc idem glorioſus Imperator tale reliquit exemplum. Cum enim coram eo quidam Episcopi causas suas prosequi vellent, & suam sententiam super se peterent respondit: *Vos estis nobis à DEO iudices constituti: De vobis iudicare non audemus, sed nos potius vestram sententiam expectare decet: de vobis autem solus DEVS iudicabit.* Similiter alij multi Imperatores, Reges, Duces & Principes fecerunt, & faciunt vsque hodie, scientes, quod ab vtero matris vsque ad sepulturam expiari oportret eos per sacerdotum manus, nec vnquam ad superni regni palatia peruenient, nisi sacerdotali ope illuc mittantur, dicente Domino, *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Vbi dicit B. GREGORIVS, quod tanta est auctoritas Pastorum, quod etiam gregi timenda est sententia eorum, non solum iusta, sed etiam iniusta, ait enim: *tunc vera est absolutio præsidentis,*

Nec audiendi detractores cleriei.

Ruffin. l. 10. c. 2.

Greg. ep. 31. l. 4. 11. q. 1. c. sacerdotibus.

Matth. 18. 18.

Greg. ho. 26. in Euang.

Sacerdotum iniusta sententia timenda.

dentis, cum interni arbitrium sequitur iudicis. Sæpe fit, vt erga quemlibet proximum odio, vel gratia moueatur pastor, sed vtrum iustè vel iniustè obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & cùm iniustè forsitan ligatur, ipse obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo, vel absoluere timeat indiscretè, vel ligare: is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniustè. Nec pastoris sui iudicium temerè reprehendat, ne si iniustè ligatus est ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.

Sacerdotũ dignitas.

Ambr. l. de dignit. sacerd c. 3.

ITEM AMBROSIVS: *Nihil in hoc seculo sacerdotibus est excellentius, nihil sublimius Episcopis reperiri potest, sed noscamus quid sumus, ne sit honor sublimis, & vita deformis, ne sit deficia professio, & illicita actio.*

Chry. li. 2. de Sacerdotio.

ITEM CHRYSOSTOMVS: *Sacerdotij aspice dignitatem, agitur in terra, sed officium cœlestibus negotiis continetur. Non etim homo, non angelus, non archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse Spiritus sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne ministerio fungi præstitit angelorum. Per ipsos Christum induimus, per ipsos Dei filio coniungimur, per ipsos membra ipsius efficimur. Quomodo ergo isti nobis non sunt reuerendi magis, quam Reges aut Duces, sed etiam non magis honorabiles erunt, quam parentes?*

Mali clerici propter bonos sunt tolerandi.

SACERDOS, qui bene viuit, & bene docet, tam sibi, quam populo vtilis est: qui autem malè viuit, & bene docet, aliis est vtilis, sibiipsi pernicioſus. Melius est propter bonos, malos etiam fouere, quam propter malos etiam bonos negligere, propter bonos sacerdotes & malos ergo honorate, ne propter malos etiam bonos contemnatis.

Hinc

Hinc B. Paulus in epist. ad Thessalonic. ait: *Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt abundantius habeatis illos in charitate, & propter opus illorum pacem habete cum eis.* Et in prima ad Timotheum: *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Ex quibus verbis patet, quod fideles laici quicunque non solum debent presbyteros venerari: sed etiam ex animo diligere vltra alios, quia hoc ratio dictat. Cum enim summos benefactores summe debeamus diligere, constat, quod presbyteros, per quorum ministeria à potestate dæmonum liberamur, & DEO reconciliamur, post ipsum Dominum DEVM summe diligere teneamur.

1. Thess. 5. 13. Presbyteri diligendi à Laicis. 1. Tim. 5. 17.

QVOD si ad temporalia beneficia oculum dirigamus, tunc nihilominus testante B. AVGVSTINO & OROSIO maximam inuenimus diligendi occasionē sacerdotes Dei. Nam antequam Christiani nominis prædicatio oriretur super terram, tanta fuit in hoc seculo populorum turbatio, & præcipue rusticorum propter inquietudines bellorum, vt omnis auditus perhorrescat: sed postquam per sacerdotum ora Euangelica tuba sonuit in terra, sublimiter pax hominibus nunciata & reformata fuit. Testes sunt vsq; hodie terræ illæ, in quibus cultus Christiani nominis floret, quantum illic præ cæteris Rusticana gens moderatius administratur. Quoniam non cessant sancti prędicatores populum admonere, vt inter se pacem & caritatem seruent, & in timore Dei ambulent. Principesque similiter, vt clementer subiectis præsint. Et vt hæc omnia efficacius fiant, iuges ad

Sacerdotes sunt causa pacis inter rusticos.

Dominum preces fundunt, semper cum tali salu-berrima conditione apposita, quatenus sic transeant per bona temporalia, vt non amittant æterna. His quid salubrius excogitari possit, non reperitur in mundo. Satagite igitur venerabiles mistici sacerdotium diuinitus institutum honorare, vt æternos honores & temporalem prosperitatem cõsequi mereamini, per CHRISTVM Dominum nostrum, qui est sacerdos in æternũ secundum ordinẽ Melchisedech, benedictus & super laudabilis.

CAPVT VI.

Sexto debet quilibet timoratus rusticus decimas & pensiones, ac cætera debita fideliter soluere.

Decimas soluendas natura docet.

HOc si non esset à Deo præceptum, naturalis ratio doceret, quod sic ostenditur. Cum enim natura simus æqualiter omnes æque nobiles, æque liberi, æque diuites, tanquam ab vno parente progeniti, (vnde omnes vocamur fratres) nihil portantes in hunc mundum, constat, quod terra æqualiter naturali iure deberet hominibus diuidi. Sed quia non in solo pane viuit homo, sed indiget etiam multis aliis, ideo rationabiliter officia diuersa commissa sunt illis, qui ad hoc vtiliores putabantur; agri autem rusticis dimissi sunt. Si ergo rustici prouentus terræ sibi solum reseruare vellent, & nihil inde cæteris fratribus suis, id est, hominibus communicare, magnam iniuriam toti humano generi facerent: cum illi vix pauculas & angustas domos sibi reseruarint: ipsi vero latissimos agros possideãt; sequereturque officiariorum defectus, & tandem etiam ipsorum Rusticorum totalis

totalis destructio. Quod patet ad oculum. Nam multa necessaria sunt ad agriculturam exercendam, quæ per ipsos fieri non possunt, tum quia industriam non haberent, tum, quia tempus non sufficeret.

VERVM, quia Christiani sumus, loquimur non Christiano more: videlicet, quod nunquam bene ducitur humana vita, nisi primùm quæratur regnum DEI & iustitia eius. Ergo ante omnia fideles Rustici necessariò indigent ministris Ecclesiasticis, qui eos doceant, & sacramenta ipsis ministrent, secundùm quod hoc diuinitus est institutum. Et quia etiam isti ministri indigent quotidiano victu & vestitu, nec possunt simul & semel carnalibus & spiritualibus seruire, nec eadem hora in Ecclesia & rure laborare, ideò Dominus Deus instituit, quod decima pars omnium, quæ terra profert, & humano sudore proueniunt, ministris Ecclesiæ tribuatur. Insuper & primitiæ & oblationes superaddantur, quatenus personæ spirituales plenè sibi, & diuinis vacare possint, & pro omni populo DEVM exorare. Et reuera, quando sic fit, non minor, sed maior labor Clero incumbit, quamuis hoc non omnis homo æqualiter aduertat.

Cur rustici decimas dent clericis.

Cur Principibus aliquid debeant.

RVRSVM, quia pro agricultura exercenda tēporalis pax est necessaria, ideò secundò Rustici debitores fiunt Principibus terrenis & militibus, & iudicibus, ac aliis in dignitate seculari existentibus; sine quibus, nec ab hostibus, nec inter se pacem haberent. Aliis autem mechanicis de iure communi nihil debent, nisi quantum ipsis seruiunt. Si autem inter eos sint aliqui contractus

iusti priuatim initi de consensu Cleri & Principum, aut aliàs iustè præscripti, habent modum suum, ita tamen, quod semper commune bonum præferatur priuato. Similiter nec mechanici tenentur rusticis de communi iure, nisi quantum soluunt ipsis pro suis laboribus. Clerici autem & milites vtriusque debitores sunt: quilibet secundùm statum suum. Et quia istis, quando rectè faciunt, maior labor, & maius periculum imminet, ideò etiam maior honor ipsis debetur: dicuntur enim status regitiui, quia alios regere habent. Nam Prælati spirituales cũ suis clericis regunt populum Christianum quoad spiritualia. Principes verò seculares cum suis officiariis quoad temporalia.

Abusus huius sæculi.

OMNIA hæc tam pulchro ordine in primitiua Ecclesia instituta fuerunt, vt cuilibet statui rationabiliter sufficeret: nec aliquis grauabatur. Similiter etiam olim apud Iudæos & gentiles, prout in plurimum. Sed proh dolor, hic tam pulcher ordo hominum malitia inualescente tam multipliciter hodie confusus est, vt verisimiliter nunquam ad pristinum statum reuocari possit. Hodie, quæ clericis debentur, laici possident: quæ principibus deputata fuerunt, stabularij occupant: quæ rusticis in suos, ac familiæ ipsorum vsus dimitti debuerant, tyranni violenter auferunt. Sicq; fit, vt vis ius mensuret, nemóque in suo iure permaneat. Omnium horum causa peccatum est. Sed quia hic de informatione rusticorum principalis intentio est, ideo oportet, vt aliqua eorum vitia tangantur, ne sibi quasi innocentibus blandiantur, & per consequens iniustè affligantur: quæ tamen non omnes æqualiter perstringunt, sed quosdam,

dam, qui tanquam filij Belial sine iugo viuunt. Qui ergo innocentes sunt, audiant libenter, vt diligentius caueant, & Deo gratias agant, alioſque informent. Qui verò rei sunt, audiant patienter, vt emendentur, ne post hæc mala peiora eis eueniant.

Rustici olim quales.

LEGIMVS in sacris libris, ac Patrum nostrorum relatione didicimus, priora tempora Rusticos habuisse digniſſimos, moribus graues, fide integros, simplicitate redimitos, humilitate præcipuos, castitate præclaros, sermone veridicos, doli ignaros, sacro labori intentos, sobrios, compoſitos, compaſſiuos, beneuolos, charitatiuos, ac omni iustitia ita plenos, vt si grandia munera promereri potuiſſent, nec fallere voluiſſent, nec valuiſſent. Sic studiosè suis Dominis obedire satagebant, cũcta debita promptè soluendo sine querela, vt potius sibi ipsa naturę neceſſaria subtraxiſſent, quam fraudem aut simulationem, seu diminutionem excogitaſſent. Sic se ad contribules suos, ac cæteros, quibus conuiuebant, diligentiſſimè custodiebant, vt nulli facerent, quod sibi fieri non voluiſſent, & quod sibi ab aliis fieri cuperent, pro viribus tota diligentia adimplerent. Sicq; pacificè inter se viuebant, vt nedum ad iudicium non venirent, sed quid eſſet iudicium, aut sigillum, siue littera, aut excommunicatio, & alia similia, penitus neſcirent. Fueruntq; hæc quorundam piorum Rusticorum veterum lamenta, dum puer eram. O, ô, vbi eſt iam ille bonus antiquus mundus, de quo aliquando vidimus quoſdam tam legales viros ac fœminas. Eia, quid iam cernimus, quid audimus nunc? Quare autẽ iſta dixerint,

patet

patet ex sequentibus. His tam glorioſis virtutibus iuxta diuinum promiſſum ſuccedebat mentis ſecuritas, temporum tranquillitas, opulentia in rebus, ſanitas in corporibus, proſperitas in diuturna pace, honeſtas in familia, reuerentia & gratitudo ad omnem populum, mors ſeuera, & vita perenniter manſura.

Ruſtici quales nunc.

AST heu noſtra ætas miſerabilis plurimos his temporibus Ruſticos habet diſtortos mẽte & moribus, conuerſantes ſine timore, ſine fœdere, ſine benignitate, inuicem detrahentes, inuicem mordentes, inuicem nocentes, inuicem prouocantes, abſque miſericordia, abſque charitate, ſuperbos, tumidos, ingratos, inobedientes, doloſos, mendaces, bibulos ac ebrioſos ſupra modum, percuſſores, luxurioſos, otioſos, ac, vt breuiter dicam, ita excæcatos & peruerſos, vt nec ſciant, quid ſit Chriſtiana vita, aut ſcire velint: ita deſides & tenaces, vt nunquam bonum facerent, aut debita perſoluerent ſine coactione. Sic potationibus nocte & die vacantes, vt tabernarij omnem quæſtum eorum ſibi vſurpent, nihilq; vxoribus ac filiis & familiæ remaneat. His tot ac tantis malis ſuccedit diſſuetudo peſſima in domibus, videlicet quãdo Patresfamilias, qui ſubiectos inſtituere deberent, & à malis prohibere, ipſimet ſunt peruerſę vitæ: tũc enim labor negligitur, induſtria illa multa & ſollicitudo continua, quæ agriculturæ eſt neceſſaria, paruipenditur, lingua ad omnia inhoneſta & maledica verba laxatur, cæteraq; membra totius corporis vitiis ſubſternuntur.

Cur ruſtici quidam incorrigibiles.

ET quia ruſtica gens pro maiori parte litteras neſcit, ideò poſtquam mala conſuetudo naturam

peſſi

pessimam reddidit, fiunt penè incorrigibiles: quia sicut aliud nihil viderunt, nec sciunt, nec didicerunt, putant sibi totum licere, quod animo occurrit, totum esse bonum, quod solitum: contrarium verò asserentibus non credunt, & sic penitus verecundiam amittunt. Iam sic induratis respondendum est, cùm conqueruntur de tot plagis reuera magnis, quas perferunt vltra alios homines, & dicendum, quod quia non stant in bona vita Patrum antiquorum, ideò non sunt digni, vt temporalis prosperitas eos comitetur, neque, vt clementia aëris perfruantur. Quia etiam frons meretricis facta est eis, & erubescere nesciunt, & indurati se emendare nolunt; ideò duros tyrannos habere debent, qui eos sine misericordia conterant, sicut vitrum, si fortè vel serò ad cor redeant, & à prauitate sua recedant.

ITAQVE de Decimis dicere incœpimus, quas Domino DEO, qui omnia largitur, soluere deberent, sed iam superfluum arbitramur de hoc loqui, cum exigente pertinacia & inobedientia Rusticorum in tantùm excreuerint pensiones quotidianę, quod vix decimam sibi retineant, capiúntq; domini quod sibi placet, nec aliud pro iure habent, nisi quod volunt. Sic sic oportet audire vitricum, qui spernit dogmata Patrum. Sic tollit fiscus, quod non accipit CHRISTVS. Ita oportet, vt discant differentiam inter seruitium DEI & hominum; quia qui mandatis DEI obedire contemnit, quæ grauia non sunt, portabit onus hominum, velit nolit, vt experiatur, quod Deus verax & iustus est. Nec ista grauamina tyrannorum sufficiunt, quinimo, ignis, grando, fulgur, frigus,

Omnis afflictio rusticorum ex negatis decimis.

frigus, cauma, locusta, bruchus, ærugo, vermis, sterilitas, aër, ventus, nebula, aqua, nix, glacies, spiritus procellarum, & tandem totus orbis terrarum pugnabit contra insensatos. Vnde dicit B. Hier. in c. 3. Malach. HIERONYMVS 16. quæst. 1. cap. *reuertimini. Si quando fames, & penuria, & rerum omnium egestas opprimit mundum, sciamus hoc ex ira DEI descendere, quia fraudatur in decimis & primitiis.* Itē AVGVST. Aug. serm. 119. de tẽp. 16. qu. 1. c. decimæ. *Decimæ tributa sunt egentium animarum. quod si decimas dederis, non solùm abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis & animæ consequeris. Non igitur Dominus Deus præmium postulat, sed honorem. Deus enim noster qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatus est recipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est, quanto magis peius est peccatum non dedisse? De militia, de negotio, & de artificio redde decimas. Cùm enim decimas dando, & terrena & cœlestia præmia possis promereri, quare pro auaritia duplici benedictione fraudaris? hæc est enim DEI iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris. dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti, benefacere semper DEVS paratus est, sed hominum malitia prohibetur.*

Decimas negantes inuadunt aliena. *Decimæ enim ex debito requirantur, & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt. Et quanti pauperes in locis suis, vbi ipse habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante æterni iudicis tribunal apparebit, quia rem à DEO pauperibus delegatam, suis vsibus reseruauit. Qui ergo sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, reddat decimam, etiam de nouem partibus studeat eleemosynam dare pauperibus.* Hæc Augustinus.

Ex

Ex quibus verbis patet apertè, & concordat S. THOMAS in 2.2. quod decimæ & oblationes ad sacerdotes pertinent, non, vt eas solùm in suos vsus conuertant, sed vt eas fideliter dispẽsent, partim exponendo eas in his, quæ pertinent ad cultum DEI, scilicet ad Ecclesias ædificandas vel reparandas, siue conseruandas, ad sacra vasa & vestimenta, ad luminaria continenda, & similia: partim in iis, quæ pertinent ad proprium victum & vestitum, & ad decentem familiam iuxta sui status religiosam frugalitatem in omni castitate & sobrietate, non ad secularem pompam & libidinem, aut consanguineorum promotionem, aut huiusmodi: & partim in vsus pauperum, qui, quantum fieri potest, sunt de rebus Ecclesiæ sustentandi. Ecce quàm salubris doctrina, quæ ad omnia spiritualia respectum habet, iuxta illud Hieronymi & Ambrosij: *Quod superest, pauperum est.* Et iterum: *Quicquid habent clerici, pauperum est.* Ex quibus, & similibus piorum laicorum conscientiæ merito gaudere debent, quando ad tales vsus eorum decimæ conuertuntur, & alia quæcunque spiritualibus personis exoluunt aut largiuntur.

S.Th. 2.2. q.87.a.3.

Decimæ cur clericis pendãtur.

Hiero. ep. 150. ad Hedib. q. 1.

Ambr. ser. 81.

PATET etiam, quod ad huiusmodi, siue danda, siue exoluenda alacres esse debent & hilares, semper in corde habendo, quod non homini, vt homini, sed vt in persona CHRISTI cuncta largiantur. *Hilarem enim datorem diligit* DEVS. Et ipse CHRISTVS dicit: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Et ad Prælatos: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quod si viderint laici, quod ad prædictum vsum clerici non expendant

Hilariter dandę Decimæ.

2.Cor. 9. 7.

Matth. 25. 40.

Luc. 10. 16.

dant bona ipsorum, possunt eos humiliter & reuerenter admonere, vt videlicet memores sint officij sui, singula debitè dispensando, prout de iure tenentur. Et, si se non correxerint, possunt super hoc monere prælatos eorum, vt ad idem cooperentur. Si autem neque emendatio fuerit subsecuta, debent totum Domino DEO committere cum omni securitate, quia ipse disponet omnia secũdùm ordinem benedictæ sapientiæ suæ, quod nihil de merito peribit iis, qui honorant sanctum nomen suum, etiamsi sæpè dictæ decimæ & oblationes, siue aliæ quæcunque pensiones per maximos peccatores consumerentur. Immò sæpè plus merentur laici deuoti in tali casu propter virtutem patientiæ: quia tunc verè probantur Deum honorare, quando solitas decimas & oblationes, seu alias pensiones quascunque patienter illis soluerint sincerè propter Deum, qui ex sua virtute hoc non merentur. Sicùt in Ezechiele dicitur: *Signa THAV super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus Hierusalem.* Vbi dicunt Sancti communiter, quod quando aliquis videt malum fieri, & dolet, & libẽter illud emendaret, & non potest, tunc cæteris paribus plus meretur, quam si illud emendatum fuisset. Ratio est, quia pia mens plus ex hoc cruciatur.

Si clerici malè expendãt decimas, quid agẽdum laicis.

Ezec. 9. 4.

SECVRI sint ergo timorati Rustici, dummodo ipsis non consentiant, & faciant de necessitate virtutem: quia sicut eisdem expensis viuitur bene & male, sic eisdem laboribus meremur cœlum & infernum. Qui enim humiliter & patienter laborando ex bono corde se quotidie cum CHRISTO crucifigit, vt superioribus suis debita perfol

Labore eodẽ cœlũ & infernum mereri possumus.

persoluat, non dubium, quin regnum DEI mereatur. Qui vero inuoluntarie & cum murmure & corde rancoroso laborat, filius est diaboli, qui hic affligitur, & post hanc vitam damnabitur. Ecce vos omnes qui laboratis istud diligenter aduertite & pensate, quam necessarium est vobis cor beneuolum. Nam vnus & idem labor nonnunquam à duobus impensus, vnum mittit ad cœlum, & alium ad infernum. Quare? quia etsi par est labor, non est tamen par intentio laborantium. Sic duo similem pensionem aliquando soluunt, aut seruitium impendunt. Vnus libenter cum intentione placendi DOMINO DEO, alius coacte, & sine tali intentione. Primus meretur vitam æternam. Secundus supplicium sempiternum. Sic de omnibus aliis. Bonam siquidem voluntatem & simplicitatem cordis diligit Dominus DEVS, & quicquid ex illa procedit gratum est sibi: quod autem ex illa non procedit, abominabile est, quantumcunque etiam sit magnum & pretiosum. Quid ergo restat, nisi quod quilibet fidelis rusticus dirigat intentionem suam secundum hanc doctrinam, & bene securus erit? Neque hic est opus magna subtilitate aut difficultate, quia nil tam facile est vnicuique homini, quam bonum velle. Gratia igitur DEI concurrente, quæ omnibus parata est, facilius bonus & timoratus rusticus potest mereri cœlum, quam peruersus infernum. Sed, vt omnes salui fiant, qui stat, videat ne cadat, & qui cecidit, resurgere festinet. Quod vobis tribuat clemens & misericors DEVS, qui est benedictus in secula, AMEN.

Intentio pia laborem facit meritoriū.

Rusticus bonus facilius cœlum, quam malus infernū mereri potest.

CAPVT VII.

Septimo debet quilibet fidelis & timoratus rusticus solemnitates & ieiunia, ac cæteros ritus Ecclesiasticos deuote obseruare.

HOc est præceptum Ecclesiæ DEI, quam Spiritus Sanctus infallibiliter regit. Qui ergo hoc non obseruat, Spiritui sancto contradicit. Quomodo autem ista, & quo tempore debeant obseruari, in Parochialibus Ecclesiis, & cõmunis populi laudaubili consuetudine denunciatur. Vbi est aduertendum, quod in his magna est discretio necessaria, & multi multipliciter errant. Nam primo, quoad solemnitates Ecclesiasticas, quidam putant satis esse, si non corporaliter laborent, sicut aliis diebus: & ideo dormiunt diu, aut ludos exercent cum baliſtis, aut aliis, quæ sunt non minus laboriosa occupantur, quasi pro solatiis. Item quidam vacant potationibus, choreis, aut taxillis, & huiusmodi. Item quidam sollicitantur nimis diebus festiuis, quid faciendum sit in futura septimana, aut de aliis tractant rebus temporalibus, quasi hic perpetuo mansuri sint: Omnes tales non recte celebrant, quia ad hoc dies festi non sunt instituti. Immo qui peccant festiuis diebus, plus offendunt Dominum DEVM, quam aliis diebus.

Festi dies à quibus non recte celebrentur.

ET est proh dolor mala consuetudo, quod quidam directe faciunt contrarium, videlicet, quod plus vacant operibus peccaminosis diebus sacris, quam aliis, cum deberent econtra tunc amplius vacare Domino DEO, & emendare, quicquid minus bene fecerunt diebus ferialibus. Hæc est

Abusus factorum dierum.

antiqui

antiqui hostis versutia, vt quicquid Spiritus Sanctus instituit pro animarum saluatione, ipse conuertat ad animarum damnationem. Vnde propter hoc minus malum esset, quod tales operibus mechanicis & licitis occuparentur, quam, vt comessationibus, & tripudiis ac seditionibus vacarent.

Festis quæ opera queant exerceri.

SVNT præterea nonnulli, qui econtra nimis strictam habent conscientiam, videlicet, quod nec aliqua necessitate, vel magna vtilitate licere sibi putant quicquam operari. Pro quo est aduertendum, quod medium est tenendum. Nam sunt multa opera carnalia, quæ possunt fieri in diebus festiuis, scilicet, præparatio ciborum, adaquatio siue pastio pecorum, & extractio eorum, si in foueam ceciderint, aut huiusmodi: curatio infirmorum, venditio & emptio necessariorum. Item, quando imminet periculum ignis, aut incursus hostilis, licite possunt solita remedia applicari. Similiter propter impropitium cursum aeris possunt frumenta meti, aut congregari in horrea, & similia fieri, quæ necessitas aut communis vtilitas requirit. Item de halecibus capiendis, & nundinis publicis exercendis, & iis quę ad huiusmodi necessario requiruntur, idem est iudicium.

Ob necessitatem & vtilitatem magnam opera quędam recte fiunt in festis.

IN omnibus talibus & similibus est pie procedendum propter necessitatem aut euidentem vtilitatem. Dicitur notanter, *propter necessitatem aut euidentem vtilitatem*, quia si huiusmodi fierent propter cupiditatem, aut aliam causam minus iustam, non essent sine peccato. Datur etiam doctrina salubris à sanctis Doctoribus pro maiore serenatione conscientiarũ, quod tales, qui in prædictis

casibus minus possunt diuinis interesse propter prædicta opera exercenda suppleant in eleemosynarum largitione, & datione, & aliis piis operibus, vt sic efficiantur participes spiritualium rependendo temporalia. Studeant etiam, si possunt vnam Missam audire, aut preces fundere cum intentione plus faciendi, si tempus permitteret, aut in posterum supplendi, quando plenius huiusmodi vacare potuerint.

Eleemosynis supplẽda absentia à diuino officio.

Iciunia à quib. perperam seruentur.

SECVNDO, quoad obseruantiam ieiuniorum similiter plures errant. Nam sunt nonnulli, qui ieiunia nec in qualitate, nec in quantitate obseruant, & horam præuenire non curant, aut iterato se reficere, nihilque aduertunt ad statuta Ecclesiæ, aut bonam consuetudinem illorum, quibus conuiuũt. Hi certe sine timore conuersantur, & grauiter delinquunt. Sunt præterea alij, qui ecõtra nimis scrupulose ieiunare contendunt, in nullo rigorem remittentes: Quare etiam in varias sæpe infirmitates incidunt & nonnunquam perpetuo væsani efficiuntur. Sed medium est tenendum, vt caro videlicet discrete maceretur, ne lasciuiat, & nihilominus in sacro labore durare possit. Sunt namque plures casus in iure descripti, in quibus sine peccato ieiunium solui potest: videlicet, propter infirmitatem, paupertatem magnam & inediam præcedentem, propter labores magnos & necessarios, qui non possunt perfici sine comestione. Item propter viam peragendam ex mandato Principis, quando, scilicet, cursores debilitantur ex fatigatione itineris. Item de seruientibus ad mensam Principum, & peregrinantibus ex iusta necessitate, de mulieribus imprægnatis, & nutricibus seu lacten

Excepti à lege ieiunij.

lactentibus, infirmis, debilibus, senibus, & aliis similibus, est pie standum arbitrio alicuius boni viri, qui iuxta dictamen rationis & laudabilis consuetudinis pro loco & tempore pronunciet, quid vnicuique expediat.

Cæremoniæ Ecclesiasticæ obseruandæ.

Quoad tertium, scilicet de cæteris ritibus Ecclesiasticis, est firmiter tenendum, quod quicquid sancta mater Ecclesia, hoc est, communitas fidelium, obseruat, tam in sacramentis, quam in ceremoniis, aliisq; consuetudinibus sanctis, hoc debet quilibet Christiani nominis professor ex animo venerari, & deuote exequi quod sibi ex suo officio & statu incumbit, & quicquid contra hoc insurgit, tanquam omnino mortiferum ac venenosum abiicere & persequi. Habet namque huiusmodi generalis obseruantia singulare priuilegium apud Deum, sicut exemplum datur de legibus generalib. prouinciæ Nam qui tales bene obseruat, multum commodum reportat, & qui eas infringit, pœnam non euadit. Sic etiam de legibus Ecclesiasticis est sentiendum. Vnde contingere potest, quod peccator in domo sua seorsim orans non exaudiatur: Si autem ad Ecclesiam venerit, exaudiri mereatur propter communis orationis efficaciam. Ita qui palatium Regis solus intrat, sæpe nihil impetrat, imo repellitur: Sed si debito tempore cum aliis veniat, solito beneficio non priuatur.

Preces in Ecclesia factæ efficatiores domesticis.

Cultus diuini promotores à Deo exaltati.

LEGIMVS quoque in Ecclesiasticis historiis, quod illos diuina maiestas à diebus antiquis semper multiplici benedictione repleuit, qui libenter diuinum cultum dilexerunt & auxerunt. Testes sunt Dauid, Ezechias, Salomon, Constãtinus, Carolus, ac alij innumerabiles, qui tam huius, quam

futuræ vitæ beneficia consequuti sunt plurima.

Oros. li. 6. c. 6. A Deo puniti tẽplorũ inuasores.

Econtra, qui vnius veri DEI cultum destruere conati sunt, siue dehonestare, semper fuere instar fumi defectibiles, & infausti. Pompeius Romanæ vrbis Proconsul, ac victor mirabilis, puta, qui viginti duos Reges bellando prostrauit, postquam semel templum DEI in Hierusalem dehonestauerat, deinceps nihil prospere sibi vnquam successit. Nam Iulius Cæsar eum superauit quotidie contra spem, cum fortissimum exercitum idem Pompeius haberet. Tandem ad Regem Ægypti socerum suum fugiens miserabiliter capite punitus fuit. Hoc inter vniuersa exempla quæ in mundo vnquam scripta fuerunt contra vanitatem eius quasi primatum tenet, quando tantus vir, qui nunquam legitur succubuisse, aut contra secularem iustitiam aliquid egisse, pro hoc solo sic punitus fuit, vt nullibi refugium securum inueniret.

Oros. lib. c. 15.

Oros. li. 6. c. 13. Ioseph. lib. 14. antiq. c. 12.

Crassus quidam præfectus post eum non solum templum ausus est violare, quinimo & thesauros, à quibus Pompeius abstinuit, diripuit. Hic statim post à Rege Parthorum superatus fuit, & aurum liquefactum bibere coactus expirauit. Quid vltra? Summas monarchias tunc defecisse legimus, quando contra Dei cultum se erexerunt. Assyrij, Babylonij, Medi, Persæ, Græci, Romani quid contra omnipotentis DEI manum valuerint, in promptu est videre.

Princeps processionem sacramenti turbans male perit.

SVNT præterea exempla quotidiana de his plurima, vt vetera recensere non sit necesse. Scimus ante paucos annos Principem quendam olim inclytum & dilectum, qui postquam vnius processionis sacramentalis solemnem apparatum hostiliter

liter inuasisset, licet nihil profeciſſet, tamen deinceps sic infortunatus in omnibus extitit, vt ipsemet quasi admirans diceret, quod nihil prosperum in hoc mundo habere deberet. Tandem etiam sine sacramentis subito vitam finiuit. Scio diuersa monasteria, quæ violentias à pluribus sustinuerunt, sed ita continue diuina vltio huiusmodi inuasores perculit, vt infra breue tempus horribili morte cuncti ab hac luce migrarint. In vita S. ANDREÆ, & B. LAVRENTII, ANTONII, ac aliorum plurimorum Sanctorum legitur, quanto zelo cœlestes patroni Ecclesiarum suarum possessiones & iura defendant. Reuera non est iocandum cum talibus sanctis, qui cœlo præsident, & suos cultores desuper quotidie tuentur. Non enim beati illi, summi DEI milites iugiter excommunicari, assari, flagellari, ac fustibus cędi, aut derideri volunt. Quoniam etsi semel in manibus impiorum derelicti videbantur, sed deinceps gloria & honore coronati sunt, potentes effecti ad iuuandum omnes cultores suos, & ad deiiciendum omnes aduersarios ipsorum.

Cœnobiorum inuasores puniti.

Sancti tẽpla sua tuentur.

DE horrendis etiam plagis, quæ crebro contigerunt derisoribus sacrarum cæremoniarum Ecclesiasticarum, tale exemplum ante decem annos narratur euenisse.

Exẽplum irridentis sacros cineres.

Militaris quidam in die cinerum iocose suis adhuc in lecto iacentibus cinerem imponens quasi Ecclesiastico more, subito, antequam singulos circuisset, terribiliter oculos inuertens in terram corruit & expirauit.

Nonnulli quoque super feretrum se ponentes quasi mortui essent, vt tali ioco ad risum alios

prouocarent, fletum pro risu pepererunt. Multa similia diuersis contigerunt, vt discamus nos, qui adhuc superstites sumus, diuina venerari, & neque cum Deo, neque cum sanctis iocari. Nam, vt ait Apostolus: *Deus non irridetur*, sed quæ seminauerit homo, hæc & metet. Aduertant hæc quique fideles rustici, & sibi caute prospiciant. Studeant libenter festiuitates deuote peragere, nec eas sine necessitate infringant. Sermonibus & horis sacris, quantum possunt, interesse festinent, ieiunia diligenter obseruent, processiones, ac alia sacra exercitia Ecclesiastica frequentent, sacramẽta venerẽtur, & cultũ Dei pro posse augere conentur, sicque in omnibus, quæ ad Dei gloriã & animarũ salutem spectant, se benevolos & prõptos exhibeant, quatenus hic temporaliter, & post æternaliter à Domino benedici mereantur, eodem cooperante, cui laus est in secula, Amen.

Gal. 6. 7.

CAPVT VIII.

Octauo debet quilibet fidelis & timoratus rusticus pauperibus, quantum facultas permittit, eleemosynas elargiri.

Tob. 4. 6. HOc est, quod sanctus Tobias filium suum docuit dicens: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire*

Eleemosynæ fructus.

in

in tenebras. Fiducia magna erit corã ſummo DEO, eleemoſyna omnibus facientibus eã. Et Dominus in Euangelio promittit eis vitam æternam, dicens: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.* Et, vt ſciremus, quę ſint opera miſericordiæ, ſubdit *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Sitiui & potaſtis me. Infirmus fui, & viſitaſtis me. Peregrinus eram, & collegiſtis me. In carcere fui, & veniſtis ad me. Nudus eram, & cooperuiſtis me.* Econtra non facientibus opera hæc dicturus eſt: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius.* Matth. 25. 34.

Error eſt, impiũ dãtem eleemoſynas non poſſe damnari.

HIC eſt diligenter notandum, quod quidam peruerſi homines propter iſta verba errorem quẽdam pernicioſum dogmatizarunt, dicentes: Quod, quantacunque peccata commiſerit homo, dummodo hæc fecerit miſericordiæ opera, non poterit damnari. Et ratio eorum eſt. Quia ſententia damnationis pronunciabitur à iudice tantummodo contra illos, qui ea non fecerint. Ecce, quam abſurda doctrina, quaſi aliud nihil ſcriptum ſit in Euangelio, quam iſta verba. Multi fuerunt huiuſmodi falſi Doctores, qui quaſdam ſacræ Scripturæ particulas taliter ſecundum væſaniam capitis ſui extraxerunt, & pro libito expoſuerunt, & plures deceperunt. Quos omnes timorati laici diligenter cauere debent. Vnde B. AVGVSTINVS dicit, quod ille optimus Scripturarum tractator eſt, qui eas primum ex integro legerit, & ſic eas expoſuerit, vt nullam in eis contrarietatem admiſerit. Hoc quia ſuperbi, aut nolunt, aut neſciunt, ideo multipliciter deſipiunt.

Scripturæ quis optimus expoſitor.

Quis enim laicus hoc nesciat, quod luxuriari, iurare, blasphemare, & alia huiusmodi non essent peccata, si ab illo fierent, qui misericordiæ opera faceret? Quinimo notum est facillime ex scripturis, quod plures huiusmodi opera fecerunt ex vana gloria, qui ob hoc mercedem non habuerunt apud DEVM.

Opera bona in peccato mortali facta non sunt meritoria. Dionys. c. 4. de diu. nom. p. 4.

Et breuiter dicendum est, quod quæcunque opera exteriora, quantumcunque magna, si fiant in peccato mortali, hoc est, extra charitatem, non sunt æternæ vitæ meritoria. Vnde & ob hoc dicuntur mortua: *Bonum siquidem est ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus.* Quod, vt simplicibus notum fiat, attendant corpus humanum. Si enim aliquis debeat dici perfectus & formosus vir, oportet habeat singula membra integraliter & debite disposita: si autem vel vnum defuerit, iam non habet perfectum corpus. Sic etiam, quicunque esse desiderat verus Christianus, oportet, quod ab omni peccato mortali ad minus abstinea, & bonam voluntatem habeat ad faciendum omnia opera bona, quæ suum statum concernunt; & per consequens non solum debet misericordiam exercere ad proximum, sed etiam ad seipsum, sicut docet sapiens Ecclesiastici trigesimo, dicens: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Ecce nunc bonam doctrinam, qui animam suam immaculatam seruat, optimam misericordiam facit, & talis Deo placet, & quæcunque deinceps proximo ex misericordia impendit, similiter Deo grata erunt. Vnde & in Euangelio Matth. 23. antequam ad hæc verba Dominus veniisset, primum præmisit: *Pharisæe cæce munda prius, quod*

Eccl. 30. 24.

Matth. 23. 26.

intus

intus est, vt fiat quod foris est mundum. quasi diceret. Stultus & cæcus es, si ad alios fueris beneficus, & tibi ipsi pernicioſus. Fac igitur in te primum misericordiam, & deinde in proximum, & tunc lætus audies sententiam meam: *Venite benedicti Patris mei, &c.* Matth. 25. 34.

VERVM non propter hoc prohibendi sunt peccatores ab operibus bonis, imo exhortandi vt quicquid boni possunt interim faciant, donec misericors DEVS cor eorum ad pœnitentiam emolliat. Vnde dicit B. HIERONIMVS & AVGVSTINVS, quod mala morte raro leguntur periisse, qui libenter opera pietatis exercuerunt. Nam tales habent multos interceſſores, quorum precibus adiuti citius gratiam DEI promerentur: Sed sic sentire, quod peccata alia non noceant, si quis opera misericordiæ fecerit, extremæ dementiæ est. Sunt plures doctrinæ satis pulchræ de discretione habenda in eleemoſynarum largitione. Sed puto, quod pro rusticis non sint multum neceſſariæ, quare dimitto eas gratia breuitatis. Ipsi enim de paupertatula sua, prout communius, non valent magnas opes deducere. Diuites autem, & maxime Prelati, regulis illis diligentius intendere habent. Sufficit rusticis, quod excepto neceſſitatis articulo, sic debent opera misericordiæ pauperibus impendere, vt non impediantur à solutione debitorum suorum. Hoc enim debet præcedere, quod Apoſtolus dicit: *reddite omnibus debita.* Deinde *quod supereſt, date de illis eleemoſynam* indigentibus. Quod si visibilis neceſſitas immineat pauperi, ita quod si non dederit, aut mortem, aut notabilem infirmitatē incurreret, tunc

Tob. 4. 11. Psal. 40. 4. Aug. li. 50. hom. 39. Chryſ. ho. 33. ad pop. Antioch.

Ro. 13 7. Luc. 11. 46.

tunc sine omni discretione aut solicitudine de crastino, omnia debent esse communia, secundum quod dicit B. AMBROS. *Pasce fame morientem, si non paueris, occidisti.*

Amb. apud Grat. d. 86. ca. pasce.

Io. Diac. in vit.

QVOD prompti esse debeant fideles ad huiusmodi opera misericordiæ, docet præcipuus ille vir misericordiarum B. GREGORIVS in multis locis. Vnde narrat exemplum de quodam Patrefamilias, qui cum tota domo sua sedulo hospitalitati deseruiuit, & quadã vice cum ex more aquam infundere vellet in manus peregrini, subito non comparuit. Mirans super hoc, audiuit nocte sequenti Dominũ sibi dicentem. Hucusq; in membris meis suscepisti, sed heri meipsum. Similiter de Martyrio, qui Christum in forma leprosi portauit, sed Dominus de collo eius prosiliens ait: Tu me non erubuisti super terram, nec ego te erubescam super cœlos. Plura & alia reperiuntur exempla, & doctrinæ salubres, quæ per anni circulum in Ecclesiis prædicantur piis hominibus in consolationem pro se, & auaris in testimonium contra se.

S. Greg. l. 2. cap. 22. Exẽplum.

Greg. ho. 39 in Euã.

Opera misericordiæ spiritalia.

SVNT præterea opera misericordiæ spiritualia, quæ etiam fideles laici libenter pro suo modulo debent proximo subministrare, & sunt hæc: docere, & consulere indocto, castigare peccantem vel increpare, siue emendare aut corrigere delinquentem, consolari tristem, remittere offensam, ferre auxilium, aut patienter sustinere importunum, siue contumeliosum, ne peior fiat ex responsione, orare pro aliis indifferenter. Sed ad hoc maxime Prælati sunt astricti plus quam simplices, quamuis etiam pro loco & tempore suo modo

modo ad hoc subditi teneantur. Studeant ergo quique fideles Rustici pro viribus misericordiæ operibus insudare, vt & ipsi misericordiam hic & in æternum consequi mereantur à largo Domino: *qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* cui laus est, & gratiarum actio debetur per omnia secula seculorum, AMEN. Iac.1.5.

CAPVT IX.

Nono debet quilibet fidelis & timoratus rusticus, quantum in se est, cum omnibus hominibus, & præcipue cum contribulibus suis pacem seruare.

HOc est, quod monet Apostolus ad Hebræos duodecimo, dicens: *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Et Dominus in Euangelio mandauit discipulis suis de pace, dicens: *In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. & si ibi fuerit filius pacis, requiesset super eum pax vestra: Sin autem, ad vos reuertetur.* Item, vt breuiter eam Dominus nobis commendaret, ait: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* vbi à contrario sensu expositores dicunt, quod merito filij diaboli vocantur, qui pacem turbare non verentur. Hic est diligenter aduertendum, quod ista pax sancta non potest seruari, nisi inter homines bonæ voluntatis, qui DEVM timent, & iustitiam diligunt. Admonendi sunt ergo boni & pij laici, quod pacem peccatorum fugere debent, & nequaquam ipsis consentire, quando ad mala trahere volũt: quin potius eorum insultum patienter tolerare, antequam Heb.12. 14. Luc.10.16. Matth.5. 10. Rustici pacẽ peccatorũ fugiant.

quam à via DEI propter eorum iniquam pacem recedant. Et breuiter dicendum est cuilibet Christiano, & præcipue rusticano populo illud Saluatoris: *In mundo pressuram habebitis.*

Ioan. 16. 33.

Rustici omnibus benè faciãt, ab aliis mala expectent.

RESTAT ergo, vt sic se instituat timoratus Rusticus, quatenus hæc duo studiosè obseruet, videlicet, quod omnibus iustitiam seruet, & eam sibi fieri à nullo expectet, & quod omnibus pacem procuret, & à singulis persecutionem & contumeliam recipere sit paratus. Quod si aliter sibi euenerit, hoc quasi pro miraculo habeat, dicátque animæ suæ illud consolatorium verbum B. Pauli Apostoli: *Nos scimus, quoniam in hoc positi sumus.*

1. Thes. 3. 3.

quia omnes, qui in Christo pie viuere volunt persecutionem patientur.

1. Tim. 3. 12.

Nec mirum, quia veri Christiani sunt hic peregrini, & in regione hostium Christi. nam totus hic mundus coniurauit contra Christum, vt B. BERNARDVS dicit, sed pius Dominus non derelinquit sperantes in se.

Quando ergo ista pax temporalis turbatur, siue inter Principes, siue amicos aut vicinos, non debet ex hoc nimis dolere, aut pusillo animo fieri bonus Christianus, dummodo ipse non fuerit in causa, sed ad pacem sanctorũ se conuertere, quam reliquit CHRISTVS discipulis suis. Hæc pax sancta est, quod homo bene stet cum Deo suo, & quod per omnia sit de hoc cõtentus, an velit eum esse pauperem, aut diuitem, sanum aut ægrotum, honorabilem aut despectum, fortunatum aut infaustum, & sic de aliis. & quodcunque euenerit sibi, libenter accipiat, & gratias agat. Pax autem mundi ordinatur ad quietam fruitionem bonorum temporalium, & est nihilominus donum

Ioan. 14. 27.

Quæ sit vera pax.

Pax mũdi periculosa.

DEI:

Dei: & communiter eam tam electi, quam reprobi desiderant. Sed quia eam frequenter concomitatur multiplicatio vitiorum, ideo est simplici populo multum periculosa, imo & sanctis hominibus.

Quod sit populo rusticano periculosa, patet per illud Deuteron. 32. *Constituit* scilicet populum Israël, qui ad litteram rusticanus erat, *super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo. Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum & arietum, & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberent meracissimum. Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus est, impinguatus & dilatatus. Dereliquit DEVM factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Et de Sodomitis dicitur Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis, abundantia, & otium ipsius.* Hinc Dominus super Hierusalem fleuit, dicens: *Quia si cognouisses & tu, fleres, nam ea quæ sunt ad pacem tibi nunc*, subaudi, tibi sunt summè pernicioſa in futurum, quamuis id ignores. Ex his & aliis sanis doctrinis, & experientia quotidiana, exiuit illud notabile Prouerbium, quod *Rustica gens est optima flens, sed pessima gaudens.* Legitur in vita S. Ambrosii, quod cum quadam nocte apud quendã ditissimum Rusticum hospitaretur, & ab eo audisset, quod status eius semper fuisset felix, & quod nihil triste vnquam sibi accidisset, ait vir sanctus ad suos. Surgite, & hinc velocius fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Mox illo egresso terra se aperuit, & hominem illum cum tota substantia sua absorbuit. Similia multa de aliis leguntur.

Deut. 32. 13.

Ezech. 16. 49.

Luc. 19. 42.

Prouerb. Rusticus flens melior gaudente.

Petrus de natal lib. 36.

Restat

RESTAT ergo simpliciter fateri, quod magna est misericordia DEI, quod hæc temporalis pax aliquando turbatur, ne propter huiusmodi carnalem petulantiam homines bestiis similes efficerentur, & per consequens nunquam ad angelicam dignitatem proficere cuperent, ad quod facti sunt.

Pax vera rusticorũ.

De illa autem pace domestica, quam inter se Rustici seruare debent, imo & Christiani vniuersi,

Ephes. 14. 3.

dicit Apostolus: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* vbi dicit Cassiodorus: *Nec inueniri potest forma expressior conuersationis angelicæ, quam vnitas socialis.* Hinc Psalmista ait: *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* vbi dicit B. AVGVST. quod sunt aliqua bona, quæ non sunt iucunda, sicut ieiunare, laborare, & similia: sunt etiam aliqua iucunda, quæ non sunt bona, sicut deliciari, tripudiare, & similia: sed habitare fratres in vnum, pariter est bonum & iucundum.

Psal. 132. 1.

Chrys. Basil.

Eutym. in Psal. 32.

Pax sollicite custodienda.

AD hanc pacem requiritur sollicitudo magna, & diligens custodia, neque tantum bonum gratis venit, aut perseuerare solet, nisi cum ingenti studio, etiam inter illos, qui probatæ vitæ esse videntur. Quod si quandoque ex parte interruptum fuerit, citus debet ad pacem fieri recursus eius, ne si tardior mora interuenerit, diuina præsentia à nostris moribus se subtrahat. Ait enim B.

Hier. ep. 4.

HIERONYMVS ad Rusticum monachum, tractans

Psa. 36. 27.

illud Psalmi: *Declina à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Pax quærenda est, vt bella fugiamus, nec sufficit eam quærere, nisi inuentam, fugientemque omni studio persequamur, quia in pace habitat DEVS.* Rem refero breuem verbo, sed gra-

Erasm.

uidam sacramento pro domestica pace seruanda.

Mulier

Mulier quædam in Anglia fuit bene fidelis, ac virtutibus plena, & præcipue hospitalitati supra vires intenta. Hęc propter longum vsum bonorum operum sancta, vt vere fuit, reputabatur. verum in vno deficiebat, quod malos & iniurioſos homines ſibi vicinos, qui eam crebro & indigne moleſtabant, non omnino æquanimiter tolerabat, quinimo & aliquando minus patienter eis reſpondebat. Igitur poſt aliquod tempus, cum iam diu defuncta fuerat, quidam vir ſanctus eam in pœnis Purgatorij videns mirabatur, quod tantæ famæ femina adhuc illic detineretur, quæ nihilominus grauiter pro ſua impatientia, quam admiſerat, flere & pœnitere ſolebat. Cui Dominus viſionem exponens reſpondit. Ego ſteti coram Pilato, & pro hominum peccatis ſatisfaciendo ſilui ad contumelias illatas, non pro peccatis meis. Hæc autem, quia me in hoc imitari neglexit, ideo nunc iuſtum eſt, vt magna acerbitate purgetur, ne aliquod malum maneat impunitum.

Impatientia in Purgatorio punitur.

Ecce cariſſimi bonam doctrinam, quomodo ſcilicet turbationis tempore patientes eſſe debemus, & mutuæ paci prouidere. Et quanquam iuſte inuadimur, tamen ex hoc non datur nobis licentia malum pro malo reddere, ſed *in bono vincere malum* præcipimur, vt videlicet ad tempus patienter contumelias, aut alias iniurias ſufferamus, aut blande, leniterque reſpondeamus, ne proximum noſtrum, pro quo Chriſtus pretioſum ſuum ſanguinem fudit, noſtro furore peiorem faciamus. Qui hoc modo facere diſſimulat, grauiter poſtea recompenſabit in tormentis. Qui neſcit modo tolerare verba, tunc eum oportebit tolerare grauiſſima verbera, &

Rom 12, 21.

Patienter ferendæ iniuriæ.

ardores horrendos.

NVNC igitur ô venerabiles Rustici, ac cæteri laici quicunque tam viri, quam feminæ, cogitate nunc de periculo, dum agitur de periculo, pacem diligite, in qua DEVS habitat, vt Deus vobiscum permaneat, nec pro vili re tantum Dominum repellere velitis. Potius iniuriam pro ipso patienter accipite, quam reddatis, considerantes, quod ex mutua contentione infinita peccata oriantur. Omnibus ergo modis in silentio & pace vitam hanc breuem transigere satagite, condonantes inuicem, sicut & DEVS in CHRISTO condonauit vobis, quatenus de pace ad pacem migrare mereamini, vobiscum manente DEO pacis & dilectionis in cordibus vestris. Cui laus & gloria per infinita secula seculorum, Amen.

CAPVT X.

Decimo debet quilibet fidelis & timoratus rusticus sollicite ad hoc niti, vt familiam suam laudabiliter regat.

1. Tim. 5. 8. DICIT enim Apostolus ad Timoth. *Qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Qui ergo Patresfamilias sunt, primo debent seipsos instituere, ne sint reprehensibiles, fidem illibatam vxori seruantes, sobrij, prudentes, pudici, modesti, non vinolenti, non percussores, non litigiosi, non cupidi, non bilingues, non turpe lucrum sectantes: non inhonesta, non maledica verba loquentes, non deridentes, sed compatientes, non leues, sed legales esse studeant. Habeant deinde curam sollicitam

Rustici vt viuere debeant cum vxoribus.

tam erga vxores suas, vt eas diligant, & diligenter caueant occasiones displicentiarum: nec faciliter credant illis, qui inter se discordias seminare volunt, quia nuncij diaboli sunt. Similiter vxor virum honoret, & humiliter recognoscat eum sibi diuinitus prælatum, neque cum aliis viris familiaritatem habeat, aut colloquia, nisi pauca, & in tali loco, vbi nulla suspicio oriri possit. Timendum siquidem est, nisi mulier caute præueniat virum, eum venerabiliter tractando, tam verbis, quam aliis beneuolentiæ seruitiis, quod cito antiquus hostis seminarium periculosæ discordiæ inter eos mittet.

Coniugibus mutua opera necessaria.

ET quanquam principaliter in viro rei familiaris salus constituatur, tamen sine coniugis fideli adiutorio ipse parum aut nihil proficiet. Mulier quoque sine viri defensione flebilis creatura est; qui si diligenter ambo aduertant, quam, scilicet, sit ipsis mutua dilectio necessaria, & mutuum fidele iuuamen, tunc merito quilibet alteri deferre debet, quia reuera quicquid fit vni eorum, siue bonum, siue malum, in alterum redundabit Hinc per Apostolum dicitur ad Colos. 3. *Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad eas.* Item ad Eph. 5. *Viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. vxor autem virum suum timeat.* Hæc si ita fiant, domus ipsorum firma erit, & sancti angeli iuuabunt eos contra omnes malorum incursus, & florebunt, sicut vitis, & filij ac filiæ eorum sicut nouellæ oliuarum.

Col. 3. 19. Eph. 5. 28. Psal. 127. 3.

Laudatur concordia cõiugum.

MVLTA & grandia laudum præconia dicuntur in sacris libris de hac sancta concordia, & vnanimi fidelitate coniugatorum ad inuicem, sed

exhibitio in re est multo felicior. Satis in hoc concordant, quod probitas mulierum omnino sit prærequirenda in vtili regimine domus: & frequenter discoli mariti lucrifacti sunt per vxores sensatas.

Eccl. 26. 21. 16. Hinc Ecclesiastici vigesimo sexto capite dicitur: *Sicut sol oriens* mundo, sic bonæ mulieris *bonæ species in ornamentum domus eius disciplina illius, datum D E I est. gratia eius delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit. Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata, & mandata D E I in corde eius.* Monendæ sunt igitur vxores, vt maritos diligant ac propinquos ipsorum honorare assuescant, quia hoc specialiter viris acceptum est, & quasi naturaliter insitum, quamuis nonnunquam aliter ore loquantur:

Ose. 4. 2. *Sanguis enim sanguinem tangit.* Pariformiter & viri propinquos vxorum suarum beneuole tractent propter eandem causam.

Vxores familiam regere debent prudenter.

Deinde monendæ sunt vxores, vt discant familiam prudenter regere, gubernare domum, & seipsas irreprehensibiles exhibere; verba quoque carnalia & inhonesta tanquam pestem fugere, à quocunque etiam dicantur: & est quasi mirum dictu, quomodo mariti in hoc maiorem habent complacentiam, quando de verbis inhonestis, ac gestibus leuibus à suis vxoribus reprehenduntur, quam si in talibus plausibiliter sibi consentirent. Istis sic præsuppositis, videlicet, quod vir & mulier sibi mutuo sint bene consentientes, tanquam anima vna & caro vna in Domino, iam spes est de salubri statu ipsorum, & vtili regimine rei familiaris, & alias non. Si igitur eis sint filij aut filiæ, erudiant eos in Domino secundum doctrinam Apostoli ad Ephesios sexto dicentis: *Patres*

Filij vt sint habendi. Ephes. 6. 4.

nolite

nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini. Et iterum: *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Col.3.21.

DILIGENTER etiam aduertant parentes, qualis inclinationis sint filij, quia nonnulli sunt mollis complexionis, & naturaliter verecundi, alij duri & audaces, quidam benevoli, quidam proterui, & prout singulis expedit, ita disciplinam moderentur. Familiam quoque ita gubernare studeant, vt neque nimis serioſe, neque nimis blande, sed medie & temperate ipsis præcipiant: nam regimen nimis durum præcipitat, & regimen nimis laxum negligit curam domesticam. Quod autem temperatum est, prudenter conseruat, & fortiter auget prouentus quotidianos, sicque fiet, vt timori, aut amori paterfamilias habeatur à domesticis suis. Et quia sacra Scriptura dicit, *Nisi in timore DEI tenueris te, citius subuertetur domus tua*, ideo sollicite prouidere debet, vt tam famuli, quam famulæ DEVM timeant, & in præceptis eius ambulent, neque sustinere eos in domo sua debet, si in mortalibus peccatis, maxime publicis, viuere non formident. Timendum siquidem est secundum dicta B. AVGVSTINI, quod paterfamilias coram DEO tenetur rationem reddere, non solum de peccatis prolium suarum, sed etiam totius familiæ, si ipsos non correxerit, aut disciplinam debitam non dederit, &, si opus est, à se penitus non abegerit, si contumaces permanserint. Familia vt tractanda. Eccl.27.4.

QVANTVM igitur potest, curam impendat, vt honestam familiam habeat, & firmiter confidat in DOMINO. Quod si plus talibus largiatur pro- Famuli boni liberalius habendi.

pter eorum virtuosam conuersationem, quod plene hoc omnipotens DEVS sibi restituet & hic, & in futuro. Honorifice etiam, & ex industria consilietur cum famulis suis, maxime quos prudentiores nouerit, quid, & quando singula quæque fieri debeant: concordant enim in hoc Oeconomi expertissimi, quod familia digne regi nequit, nisi cum magna prouidentia, & præcipue ea quæ ad agriculturam spectant, quia ad plura respicere oportet, & ideo vbi plurima salus speratur, ibi multa consilia præcedere debent. Sunt proinde singula aptanda temporibus suis, iuxta quod sa-
Eccl. 2. 1. piens dicit: quia *omne tempus suum* habet tempus. Est enim tempus plantandi, tempus euellendi, tempus seminandi, tempus metendi, tempus arandi, tempus complanandi, tempus simandi, tempus tribulandi, tempus purgandi, tempus instrumenta præparandi, tempus laborandi, tempus quiescendi, tempus præmeditandi, tempus exequendi, & sic de aliis.

QVOD si in aliquo istorum negligentia, aut pigritia, seu inertia, aut imprudentia se immiscuerit, tunc totum regimen detrimentum patietur, & damnum sequetur. Non sic est vsquequaque de aliis officiis mechanicis, prout ad oculum quotidiana experientia edocet. Magna igitur vigilantia & industria Rusticis necessaria est ad tam varia & pœne contraria prosequenda, ad quæ vnus, aut
Rustici famulo vni fido committere debēt sua. pauci, non sufficiunt. Vnde & B. BERNARDVS vtile consilium dat iis qui diuersis curis grauantur, videlicet, quod eligere debent aliquem fidelem famulum, cui omnia committant cum auctoritate, ita vt quicquid faciat, sit factum,

quic

quicquid iubeat, sit iussum, neque facilè contra talem querelam recipiant, & nihilominus ipsi diligenter aduertant, vt negotia debitè tractentur. Qui sic procedunt, proficient: qui autem per se cuncta disponere volunt, neque consiliis acquiescere peritorum, tales seipsos inutiliter inuoluunt, & alios impediunt, familiamque crebro tanto tædio affligunt, vt ad nihil, quod vtile est, sufficiat.

Famuli aliquando laudandi.

EXPEDIT quoque famulis ac famulabus ipsis, si moderate honorentur, ac aliquando de bene actis recommendentur. Nam quando post magnos labores semper indignationes reportant, pusillo animo fiunt, & quasi de seipsis desperati, naturaliter infirmiores redduntur, nec vnquam ad ea quæ laude digna sunt consurgunt. Homo autem hilaris & bonæ spei fortificatur in naturalibus suis, & grandia confidenter aggreditur, præcipue quando beneuolenter & venerabiliter præuenitur. Hac practica IVLIVS CÆSAR vsus fuit, qui subditos suos *commilitones* appellauit, nec vnquam eis dolum, aut irreuerentiam exhibuit: quare tanta eos fidelitate sibi astrinxit, vt corpus & animam pro eo dare promptissimi essent, factumque est, vt tantorum virorum adiutorio suffultus, victor in orbe fierer. Hominis namque animus naturaliter nobilis est, & potestati recalcitrat, & ideo facilius ducitur, quam trahitur.

Exemplū Suet. in Cæsare.

Aliquando obiurgandi.

QVI autem beneuolentia non vincuntur, obiurgationibus prouocandi sunt, & potestate premendi, si nimis irrationabiliter lassati fuerint. Vbi est notandum, quod sunt quidam Patresfamilias, qui quadam mala & inutili clemẽtia familiam

suam destruunt, pro eo, quod nulla strenuitate ad viriles labores eam instituunt, nec desides corripiunt, neque valentes in bona actione & ordinata dieta perseuerare faciunt: Sicque fit, vt nec sibi, nec aliis in posterum vtiles sint. Et est reuera magnum malum. nam simplices & bonæ voluntatis homines hac occasione simul in corpore & anima destruuntur. Qui enim semel sacros labores desuescit, raro ad eosdem perfecte redibit. Hinc B. BERNARDVS ait, *si dimiseris rusticum, ne laborem continuet, statim molescit: quod si laborare cessauerit, quo merito æternam obtinebit vitam? orare nescit, contemplari, meditari, studere, legere, cæteraque studia spiritalis vitæ ignorat, & quid ei restat nisi otium? otium autem diu rationalis creatura sustinere non potest. Restat ergo, vt si laborare in vocatione sua cessauerit, ad vitia ruat, & diaboli cibus fiat: hæc sunt mercimonia libertatis malæ.* Non segnem quoque operam idem Pater sanctus cum inclytis fratribus suis agriculturæ impendebat, tam pro virtutibus acquirendis, quam pro quotidiani victus alimoniis adipiscendis.

Rusticus auocandus à labore non est.

Guil. Abbas in eius vita l. 1. ca. 4.

PRÆTEREA, nedum orthodoxi Patres hoc senserunt, sed & gentilium industriosa nobilitas idipsum luculenter aduertit, vnde apud eos duo status esse memorantur, qui specialiter ad laborandum sunt instituti, videlicet, militaris & ruralis. Legitur namque quod summus ill orbis monarcha OCTAVIANVS militibus suis tantam disciplinam indixit, vt neque vsum vel colloquium feminarum, neque delicias, neque otium, neque vestitum molliorem ipsis indulserit, sed exercitium continuum cum cibo grosso, & aspero indumento.

Exemplũ.

Rusticis non conuenit mollis vestitus.

to. Nam deliciæ, & mollior veſtitus cito animum eneruant. Eia vbi ſunt hodie tales milites & ruſtici, vbi ſtrenuitas ipſorũ inueniri poterit? nónne iam lepuſculis ſunt timidiores? nónne fœminis molliores? Sed venerabiles Ruſtici praua exempla reſpicere non debent, quinimò ſecundùm vocationem ſuam ſemper memores ſint, quod ad ſtatum ſanctum, humilem, ac laborioſum à Domino DEO vocati ſunt: & ideò cauere debent, ne in veſtitu, aut cibo, ſeu potu, ac cæteris, quæ ad vſum familiarem ſpectant aliquam oſtentationem, ſiue precioſitatem admittant: pro certo ſcientes, quod ſi aliter fecerint, tam Deum, quam ſanctos angelos, quam etiam totum mundum contra ſe prouocant, vt auferant ea, in quibus malè delectantur.

Nec mẽſa lauta.

Sit ergo menſa pro quotidiano victu de cibis ſubſtantioſis, & ſimpliciter præparatis, non delicatis, quia huiuſmodi cibi delicati faciliter digeruntur, & naturam minus iuuãt: cibus autem ſimplex & ſubſtantioſus ac vniformis naturam roborat, ſanitatem conſeruat, & ad laborandum corpus aptat, & bene in ſtomacho durat. Deliciæ verò, ac crebræ epularum variationes naturam inflammant & diſſipant, ac plures ægritudines introducunt. Teſtes ſunt delicati ciues, viri ac fœminæ, & alij, quicunque epulationibus quotidie vacant, quia diuerſis torſionibus & infirmitatibus grauantur, de quibus laborioſi Ruſtici nihil penè ſciunt. Et eſt vtique mirabile iudicium DEI, quomodo illi, qui magnum ſtudium pro ſanitate, aut conſeruanda aut acquirenda impendunt, cùm tanta pretioſitate epularum, rarò quod cupiunt

Ruſtici cur rarò ægri.

adipiſcuntur. Iſti autem, qui rugientem ſtomachum vix pultibus ac fabis ſolantur, ab ineunte iuuentute vſque ad decrepitã ſenectutem ſani communiter perſeuerant. Si aliud nihil ſciremus, merito deberet nos à damnabili gula cohibere. videmus namque ad oculum, quod plures gula, quam gladio moriuntur.

Ruſtici in feſtis cultius veſtiri queunt.

Sit denique veſtitus de lino crudo, aut panno groſſo iuxta morem patriæ apto ad labores quotidianos. Diebus autem feſtiuis, qui habet, poteſt vti veſtimentis aliquanto cultioribus, in quibus tamen omnis curioſitas deuitetur. Mos etiam laudabilis apud quoſdam antiquitus ſeruabatur, vt nuptiarum tempore de talibus veſtibus ſibi prouiderent, & pro diebus ſolemnibus ſeruarent vſque ad finem vitæ, aut quamdiu durare potuiſſent.

Conuiuia licita.

Cæterùm, quia expedit etiam nonnunquam rigorem laxare, ideò olim apud ſanctos Patriarchas, & Dei amicos ſancta conuiuia & ſolatia frequentabantur, quaſi in quoddam præſagium futuræ illius iucunditatis, quam in cœleſtibus cum angelis habituri erant. Sic & honeſti ruſtici cum familia ſua, aut cognatis, ſiue vicinis facere poſſunt certis diebus ſecundùm bonam conſuetudinem patriæ. In quibus ſemper cauere debent occaſiones peccatorum, maximè verba maledica, detractoria, & inhoneſta, &c. Conuenticula autem illa quę fiunt in tabernis, vbi ebrietates, ſcurrilitates, & cætera mala fiunt, omnibus timentibus DEVM cauenda ſunt. Choreæ etiam quamuis ex ſe peccatum non ſint, ſi debito modo & tempore fierent à perſonis laicalibus, tamen quia alia vitia frequenter ſe immiſcent, ideò cautius vitantur.

Non compotationes in tabernis.

Nec choreæ.

Illa

Illa autem solatia, quæ sine peccato fiunt debito tempore & modo, non solùm sunt licita, imò & meritoria, quia *diligentibus DEVM omnia in bonum cooperantur.* Rom.8.28. Studeant igitur venerabiles laici quicunque, sic seipsos & familiam suam in timore DEI gubernare, vt pariter cum ipsis post hanc vitam consequi mereantur gloriam sempiternam, AMEN.

CAPVT XI.

Vndecimò debet quilibet fidelis & timoratus rusticus ad hoc niti, vt non solùm à maioribus peccatis abstineat, sed etiam caueat se ab omni occasione mali.

HÆc doctrina Apostoli, 1.ad Thessalonicen.5. 1.Thes.5. Rationem huius assignat Sapiens Ecclesiastici 19.dicens: *Qui modica spernit, paulatim decidet.* Vbi dicunt expositores, quod impossibile est, quod aliquis possit vitare mortalia, qui non fugit venialia. Et dant exemplum de DAVID, qui idcirco in adulterium cecidit, eo quod oculos non custodiuit. Quanta mala sibi ab hac leui occasione venerunt, quod incautè alterius vxorem respexit, horrendum est dicere: Quando post adulterium simulatio, post simulationem homicidium sequebatur. Pœna quoque tam grauis sibi inflicta fuit, vt à Domino audiret: *Non recedet gladius à domo tua vsque in sempiternum.* 2. Reg.12. 10. Omnia hæc à leui scintilla ortum habuerunt, & quis modo securus erit? Restat igitur, vt omnes timeamus, & sollicitè vias nostras scrutemur.

Ecclı.19.1. 2.Reg.11. 2.

Hic communiter solent quidam Rustici dicere:

Ah

Rustico simplici non sunt ignota Dei præcepta.

Ah nos sumus rudes & simplices, & sine litteris, nec possumus omnia sic ad punctum seruare, & similia. Quibus ego respondeo, quod diligenter aduertant hanc obiectionem suam: & si ita inuenerint, quod impossibile sit eis talia scire & seruare, tunc meritò sunt excusandi, quia secundùm sententiam B. HIERONYMI maledictus est, qui dicit, quod DEVS præcepit aliquid impossibile. Videamus ergo de doctrina hac. Dicimus alicui simplici laico, noli respicere in faciem alicuius mulieris, ne capiaris in animo tuo pro eo quod scriptum est: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Item, noli irasci fratri tuo sine causa. Item, non concupiscas rem proximi tui. Item, noli detrahere proximo tuo. Item, noli in corde tuo suspicari malum de ipso, nec iudices eum. Noli dicere falsum testimonium, neque mentiaris, neque crimineris, neque forniceris, neque fureris, nec aliquid aliud facias proximo tuo, quod fieri non velis. Hæc sunt præcepta DEI. Iam respondeo, an intelligas, an non? Si dicis, sic. Ergo gratus esse debes, & seruare. Si dicis, non. Mentiris, & maledictus es. Nam multo difficilius est, dare causam, quod ista nescias, quam quod ea scias.

Hiero. l. 3. cõtra Pela. & in ca. 5. Matt.

Basil. orat. attende tibiipsi.

Mat. 5. 28.

Mentitur qui negat se posse seruare præcepta Dei.

REVERA nec summus Sophista hoc tibi persuadere posset, quod hæc & similia ignores. In anima tua hæc plantata habes, & tu, & paganus & Iudæus, nullus est excusatus. Si tibi non vis fieri furtum, nec alteri facere debes, & sic de singulis. Si dixeris, arduum præceptum est, non valeo seruare illud. Iterum mentiris. Omnia enim ista non laborem, sed quietem requirunt. Vbi est nunc

simpli

simplicitas tua? Tota die & nocte contra DEVM & proximum cogitas malũ,& dicis, simplex sum. O vtinam simplex esses. Dicitur enim simplex quasi sine plica.Si igitur sine plica malitiæ es,tunc verè simplex es: Quamdiu autem in te malum fuerit,non es simplex. Noli teipsum decipere. Vtere donis DEI,vt intelligas voluntatem eius,dum tempus habes. Quis rusticus simplex.

ERGO iam coactus responde, si ista scis,videlicet, quod malum est ista facere contra voluntatem DEI, nónne etiam malum est, quod te non vis cauere ab occasione faciendi hæc?Si scis, quod malum est cadere in fluuium, nónne æquè faciliter scire poteris, quod bonum & cautum est trãsire super ripam? Oh oh nihil facimus, quando nos excusare in peccatis conamur. Simplices esse in malo debemus,vt illud non faciamus,sicut columbæ, quæ neminem lædunt, & prudentes in bono, sicut serpentes, vt illud non amittamus. Verùm non sic ista scribimus, quasi homines rusticanos arctare velimus, quod omnes circumstantias humanorum actuum scire debeant, quæ etiam literatiores effugiunt, quod vtique est eis impossibile: sed, vt in his, quæ naturaliter insita sunt, velamen impiæ excusationis non prætendant: Quæ autem difficiliora videntur, ad Prælatos suos adducant, aut alios, qui talibus suffragari poterunt. Occasiones violãdi præcepti vitandæ. Matth.10. 16.

BONÆ igitur voluntatis homini hæc sufficiant,cui spiritus DEI præsto est, ad iuuandum in his, quæ ad salutem spectant. Qui autem occasionem quærunt recedendi à veritate,non mirum, si tenebris inuoluantur, atque irato DEO, quod videre

Falsò quędam leuia putantur non esse peccata.

videre noluerunt, dum poterant, postea dum volent, non poterunt. Sunt præterea quidam, quibus non videtur peccatum, quotidie iocari, otiosa loqui, officiosa aut otiosa mendacia fingere, alios plausibiliter deridere, carmina quoque minus honesta dictare vel cantare, crebro irasci, leuiter iurare, cachinnis, risibus, & similibus vacare, vltra mensuram comedere aut bibere, otiari, tempus minus vtiliter expendere, bona sua irrationabiliter consumere, & alia similia facere: putantes, quia ista non faciant ex malo corde, nec ex contemptu Dei aut proximi, quod propterea non sint peccata, aut fortè sint ita parua, quod de huiusmodi non sit curandum, & per consequens ea emendare vel confiteri non proponunt.

Matth. 12. 36. Greg. li. 7. mor. c 25.

AVDIANT qui tales sunt, quid ipsa veritas in Euangelio dicat quasi sub iureiurando, *Amen dico vobis, quod de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Otiosum autem est, quod caret ratione iustæ vtilitatis, aut necessitatis.* Si ergo de hoc minimo ita districtè ratio requiretur, quid de maioribus? Vbi est diligenter aduertendum omnibus laicis, qui simplicitatem suam prætendunt, quod illa omnino cauere debeant, quæ sine labore & industria fiunt, quia in talibus nullam excusationem allegare possunt: sed si quando talia committant ex humana infirmitate, humiliter recognoscant, & se emendare cum auxilio Dei proponant. Quis enim dicere audebit coram Deo: Non potui tacere, non potui quiescere? Si ita simplex es, quod rationabiliter loqui nescis, tace, & securus eris, quis te ad loquendum cogit? Ita de aliis, qui sine ratione de multis se intromittit

Cauenda peccata quæ sine labore fiunt.

tromittit,non mirum si cadat.

TIMENDVM est etiam coniugatis, quod in actu matrimoniali multa peccata ipsis subripere possunt,si diligenter se non custodiant. Magnum enim sacramentum est, & ideò, vt AVGVSTINVS dicit, nihil in lecto turpiter agere debes, nec excedas vltra concessam licentiam in lege DEI. Sit castus cum coniuge thorus: & si est cura propagandi liberos,non sit effrenata luxuries libidinum. Defer in lecto tuo coniugi tuæ honorem, quia membra CHRISTI ambo estis, ambo ab illo conditi,ambo ab illo reparati. Item actus coniugalis tripliciter fit sine peccato, scilicet, quando fit propter bonum prolis, aut causa reddendi debitum, aut propter vitandum adulterium. Hoc præintellecto, quod fiat debito modo,hoc est,honestè secundùm debitum ritum naturæ simpliciter, & debito tempore. Nam natura vetat tempus ineptum sibi, scilicet, menstrualis infirmitatis, quia tunc fœtus, qui concipiuntur, contrahunt complexionem leprosam, & alios morbos perpetuos: & ob hoc tales olim in lege Dominus interfici iussit, vt habetur Leuitici 20.cap. quia directè & voluntariè contra bonum prolis faciebant.

Eph. 5.32. Coniuges abuti non debent iugio.

Leuit.20. 18.

GRATIA similiter vetat tempus sacrum talibus explendi actibus, quia diebus ieiuniorum, & festiuis cessare debent, & DEO potius vacare. Et quanquam tunc non sine peccato exigitur,tamen qui cogitur ad reddendum debitum, aut nihil,aut minus peccat: Sed tempore menstruali, nec exigi, nec reddi debet. Possunt quoque boni & honesti viri faciliter hoc tempus considerare, quia

Actus cõiugales quando illiciti.

penè

penè semper vniformiter venit per singulas Lunationes, & facilè pro tunc se à coniugibus elongare. Fœminę namque quasi naturaliter verecundantur causam huiusmodi propalare: quamuis in hoc grauiter peccent, si prætextu talis verecundiæ viris consentiant; non enim quæ naturaliter fiunt ipsis imputāda sunt. A maledictione Euæ ista venerunt. Et breuiter, vt B. AVGVSTINVS dicit, paucum tempus sufficit ad prolis conceptionem, & post hoc omnimoda abstinentia vsque ad partum eius melior vtique & sanior est, quam illud iterare, quod superfluum ac læsiuum est.

PORRO in deuotis libris legitur, quam grauiter quidam coniugati, etiam boni ac sancti testimonij apud inferos in igne Purgatorij cruciantur pro excessibus prædictis. Quare vniuersis consulitur, quod cautè se habeant in his, vbi faciliùs delinquitur, etiam ab omni alia occasione mali se elongent, quia vnum peccatum est causa alterius, & ad aliud trahit, sicq; sollicitè cum DEO ambulent, quatenus ei hic & in futuro placeant & æterna ab eo gaudia percipiant.

CAPVT XII.

Duodecimo debet quilibet fidelis & timoratus rusticus, imò quilibet Christianus niti ad bonum nomen & probam famam apud proximos suos.

Eccles. 41. 15. 1. Cor. 10. 32. 1. Tim. 3. 7.

HOc est, quod Sapiens docet Ecclesiastici 41. vbi dicit: *Curam habe de bono nomine. hoc enim tibi magis permanebit, quam mille thesauri magni & pretiosi.* Et Apostolus monet fideles, vt sine offensione sint cunctis hominibus, vt quantū in ipsis est,

est, testimonium bonum habeant etiam apud eos qui foris sunt. Vbi est notandum, quod hæc similia facilia sunt ad dicendum, sed ad practicandum non ita: imo magna perfectio ad ista requiritur. Et ideo magni meriti est ad hoc tendere, quamuis pro libito id quod quæritur non poterit adipisci. Sunt præterea in sacra Scriptura quædam monita, quæ disponunt hominem ad hoc, vt sit bonæ famæ, & securæ vitæ, tam quoad corpus, quam quoad animam. Primo videlicet, vt caueat à familiaritate magnatorum & Principum, quia raro poterit homo simplex sic se habere, quin periculum incurrat propter difficultatem illis annexam. Vnde & sapiens dicit, *Pondus super se tollit, qui honestiori se communicat.* Secundo, quod officia publica declinet, in quibus vix aliquis sic caute se custodire poterit, quin aliquando à iustitia deuiet, sicut sapiens dicit: *Noli velle fieri iudex, & in loco magnatorum ne steteris.* Hic omnino admonendi sunt rustici, vt à strepitibus iudicialibus summe se custodiant, quia reuera experientissimi & doctissimi viri, ac in via DEI probatissimi in talibus vix sibi prouidere poterunt, vt sanam conscientiam & bonam famam reportent.

Bona fama vnde acquiratur.

1.

Eccl. 13. 2.

2.

Eccl. 7. 6.

TERTIO, quod non velit se de omni iniuria sibi illata vindicare ad vnguem, sed magis propter bonum pacis dissimulare, etiam cum damno aliquo temporali, quando hoc iuxta bonam æstimationem viderit faciendum. Hinc sapiens dicit: *In multis esto quasi nescius.* hoc est aureum verbum. Qui enim cum hominibus conuersatur, cito offendit & offenditur saltem venialiter. & ergo continua patientia in talibus est necessaria. Nam qui iugiter

Eccl 32. 12.

criminationibus & inculpationibus insistit, & ad omnem flatum irascitur, & cuncta secundum caput proprium disponere contendit, cito efficitur odibilis, & per consequens nomen bonum, quod diuitiis melius est, perdet.

4. Fama bona non est negligenda.

QVARTO in arduis negotiis consulte procedat, & si quando per maleuolos iniuste diffamatus fuerit, quod de talibus legitime se purgare festinet, quantum poterit: nec debet esse contentus de conscientia sua, pro eo, quod ipse sibi bene conscius & secutus est, quod talia non commiserit, qualia de eo dicuntur. Nam, sicut dicit B. AVGVSTINVS, *conscientia & fama duæ res sunt: conscientia nobis necessaria est propter nos, fama propter proximos:* & ideo contemnere propriam famam est mortale peccatum, & negligere est veniale vel mortale, secundum quod negligentia est maior vel minor. Cuius ratio est, quia est directe contra dilectionem proximi, quam ædificare tenemur per conuersationem bonam.

August de bono viduit c. 22. 12. q. 2. c. nolo.

Quid infamato agendum.

ET in huiusmodi magnis infamiis abluendis debet simplex homo semper habere recursum ad aliquem virum disciplinatum pro consilio inquirendo, quia non est negotium puerile. Si autem post legitimam purgationem infamia talis fuerit continuata, non debet curare, aut nimis dolere, sed cum B. Paulo *per infamiam & bonam famam* ad cœlorum regna discat peruenire: iam enim non habet, quod vltra facere possit. Et ideo debet Domino DEO totum committere. Sic perfecti viri iubetur tolerare infamiam iniuste illatam propter veritatem, & tamen nullo modo debent dare occasionem, quod de ipsis mala fama iuste valeat

2. Cor. 6. 8.

suspi

suspicari. Et hinc tãgitur ratio difficultatis supradictæ, videlicet, quod homo ex corde soli Deo cupiat placere, & omnem fauorem & honorem humanum contemnat, & tamen sic venerabiliter viuat honori, sic vt & oblatum etiam honorem DEO adscribat, neque contumelias iniuste illatas pensat. Hæc est ars artium, & perfectio perfectionum. Et quamuis vix reperiatur aliquis, etiam inter viros altæ professionis, qui eam perfecte habeat, tamen multi simplices laici ipsam à Domino mirabiliter obtinuerunt, vt in Sancto Iob, Tobia, Paulo eremita, Scholastica, Alexio, Francisco, aliis innumeris aperte claruit. Et quia hodie non est manus Domini abbreuiata, ideo nemo desperare debet, sed iugiter ad meliora conari.

DEMVM hortãdi sunt boni laici, vt caute cum proximo suo ambulent, ne verecundiam amittant, quia ex hoc multa mala sequuntur: quanto enim conditio vilior, tanto est ad vitia procliuior: ac proinde si semel homo pauper & degener verecundiam amiserit, totaliter deinceps putrescit, sicut pomum cute detracta, nec aliquod scandalum incurrere formidat. Sed quamdiu integram verecundiam habuerit, cohibetur & præseruatur per eam à multis peccatis. De aliis occasionibus scandalorum superfluum est hic scribere. Scit quilibet sensatus laicus, quid sibi displiceat in vicino suo, quod etiam debeat sibi displicere in seipso. & quod placet sibi in illo, hoc etiam placeat sibi in seipso, & ita faciat, & optime proficiet. Doctrina sapientis est. *in teipso disce proximum, & in proximo discet teipsum.* Estote igitur venerabiles

Verecundia quam necessaria laico.

Rustici secundum diuina monita perfecti secundum modulum vestrum, quia Dominus DEVS vester perfectus est, & ab omni specie mala abstinete vos, quatenus tandem post huius vitæ miserias æternæ gloriæ mereamini recipere coronas, Amen.

CAPVT VIII.

Tertiodecimo debet quilibet fidelis & timoratus rusticus cauere à societate mala, & consortio potantium & iurantium, ac omnium, qui sine timore DEI *viuunt.*

Prou. 4. 14. HÆc est doctrina sapientissimi Salomonis in Prouerbiis cap. 4. vbi sic dicit: *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. fuge ab ea, ne transeas per illam, declina & desere eam. Non enim dormiunt, nisi male fecerint, & non rapitur somnus ab eis, nisi supplantauerint. comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt. via impiorum tenebrosa,* Prou. 5. 21. *nesciunt vbi corruant. respicit Dominus vias hominis, & gressus illius considerat. iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur: ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.* Hic est aduertendum, quod homo nascitur cæcus quoad intellectum, & procliuis ad malum, quoad affectum. Et ideo bona educatio est sibi summe necessaria. Sed neque hoc sufficit, nisi & iam bene educatus teneat se in Psalm. 17. 26. societate bona, quia sicut Dauid Propheta dicit: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.*

HOMO

Homo igitur, cum ad annos discretionis peruenerit, tres habet inimicos, qui eum post se trahere cupiunt, scilicet, caro propria, mundus, & hostis antiquus. Caro persuadet otium, luxuriam, gulam, mollitiem. hanc si sequitur, bestialis efficitur, *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Mundus fallax persuadet auaritiam & gloriam temporalem. Hunc si sequitur, fit sollicitus supra modum, vanus & superbus. Hostis antiquus immittit inuidiam, rancorem, malitiam, suspicionem, blasphemiam, & desperationem. Hunc si sequitur, malitiosus efficitur, animosus, crudelis, & diabolicus. In tanta oppugnatione homo bene indiget adiutorio, & ideo, si solus est, verisimiliter periclitabitur. Et si sic, quanto magis, si in medio malorum constitutus fuerit? Inimici hominis tres. Psal. 31.9.

Sollicite ergo se conuertat ad bonam societatem, & tunc inueniet tres amicos fortiores, quam sint prædicti tres hostes. Nam contra carnem inueniet rationem secũdum Devm regulatam, contra mundum angelos sanctos & viros siue fœminas spirituales, contra diabolum Devm. Si hoc audierit, victor erit, & bene habebit: si nõ audierit, tũc pariter cũ illis peribit in æternũ. Sed quia nulla ars sine magistro discitur, ideo hæc est communis sententia sanctorum, quod homo bonæ voluntatis se applicare debet ad aliquem virum disciplinatum & doctum, qui eum instituat in omnibus, & cui tanquam Deo obediat, à quo viuendi modum accipiat, cui etiam omnia cordis sui secreta reuelet. Et si talem nec inuenire, nec ad manum habere semper potuerit, tunc debet cor suum ad Dominum Deum dirigere, vt ipsum à malis præ- Tres patroni hominis cõtra hostes. Magistro spirituali opus est.

seruet, & ad cuncta bona perducat, sibique in dubiis certiorem viam demonstret.

QVANTA autem sit pigritia & defectus in his duobus, flebile est dicere. Si enim aliqua causa prophana hominem simplicem vrgeat, vt videlicet timeat amittere in iudicio ouem, bouem, domum, vel agrum, statim sine omni dilatione currit alacriter ad Iurisperitos, qui eum iuuent, ne perdat, quod diligit, & ita inueniet. Sed si causæ animæ suæ stimulent eum, ne peccet, vix mouere vult pedem, vt saltem tepide pergat pro consilio inquirendo, ne Dominum Deum offendat. Et si pergit, vix talem inueniet, qui secure ipsum iuuare poterit inter tot altitudines Satanæ, quibus totus mundus implicatus est. Sed fidelis DEVS, qui non patitur electos suos tentari supra id quod possunt, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt sustinere possint, tã intellectum illuminabit, quam iuuabit affectum, si homo faciat quod in se est, quærendo videlicet bono modo consilium & auxilium à superioribus suis humiliter. Quod si non inuenerit, aut inuenire potuerit, tunc in simplicitate cordis sui dicat Domino DEO hæc aut similia verba. *DEVS æterne, qui absconditorum es cognitor, tu scis cor meum. libenter facerem, quod tibi esset magis gratum, sit illud scirem. Sed quia illiteratus sum, & me iuuare non valeo, idcirco ad piissimam misericordiam tuam preces meas porrigo, supplicans humilime, vt me his perplexitatibus, quibus nunc coarctor, iuuare digneris, quatenus te non offendam, sed quod expedit animæ meæ, nunc iugiter perage re valeam.* Qui sic procedit à Domino dirigetur.

1. Cor. 10. 13.

Quid agẽdum rustico, cum caret institutore.

ORATIO.

QVI autem non curat custodire conscientiam suam,

ſuam, ſed cum vanis hominibus vires & tempus expendit, non mirum ſi neſciat, quæ ſit voluntas DEI bene placens & perfecta, quare etiam facile à diabolo præcipitatur de vno peccato in aliud. Magnum præmium paratum laborantibus. Abſque dubio magnum eſt præmium cœleſtis regni, quod electis dabitur; & ideo etiam dignum & iuſtum eſt, quod cum magna diligentia & induſtria pro illo laborent. Siquidem B. GREGORIO teſte *ad magna præmia non peruenitur, niſi per magnos labores.* Greg. hō. 37. in Euang. Sed quantumcunque laboremus ſiue patiamur pro illa gloria ſuperna, nequaquam condigna eſt compenſatio huius meriti ad illud præmium, ſicut B. PAVLVS Apoſtolus dicit. Quia finiti ad infinitum nulla eſt comparatio. Quare ſemper humiliter ſentire debemus de nobis, & in veritate ita recognoſcere, quod *omnes iuſtitiæ noſtræ ſunt velut pannus menſtruatæ* in conſpectu illius candoris diuinæ maieſtatis. Qui autem ab hac humili recognitione recedit, putans ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ſeipſum ſeducit, & DEO non placet, nec dignus eſt, vt gratia DEI illum ſaluet. Ro.8.18. Iſa.64.6. Gal.6.3.

HVMILIAMINI igitur ô vos venerabiles laici vniuerſi, qui timetis DEVM, vt exaltemini. Fortiter à ſocietate carnalium hominum vos abſtinete, vt inter angelos numeremini, ſtrenue ab omni ebrietate vos temperate, vt Spiritu Sancto impleamini; ab inutili & pernicioſa conſuetudine iurandi os veſtrum cohibete, ne diuina vltio veſtras domos diſſipet, ſed magis pura oratione, & gratiarum actione cum omnibus bonis ditemini. Sicq; tota vita veſtra in omni virtute fulgeat, vt quicunque veſtrã ſanctam conuerſationẽ viderit, in bono ædificetur, ac Dominum pariter vobiſcum 1.Pet.5.6. Iac.4.10.

benedicat. Cui laus est, & perennis gloria per omnia secula seculorum, AMEN.

CAPVT XIV.

Quartodecimo debet quilibet fidelis & timoratus rusticus sedulo discutere conscientiam suam, & crebro confiteri.

Examen conscientiæ Rustici commendatur.

HIc timeo verisimiliter, quod moderni laici nimis sint negligentes, & valde deficiant à probitate laicorum antiquorum, semper illam excusationem iniquam prætendentes, quod aut sint ita simplices, quod hoc nõ sciãt, aut aliis sic præpediti, quod huiusmodi vacare tẽpus non habeant. O qualis est ista excusatio? industrij sunt ad peccandum, & simplices ad confitendum. Tempus habent ad opera iniqua perpetranda, & tempus non habent ad male acta emendanda. Sciunt discernere vsque ad minimam auenæ mensuram, quam habent in domo sua, & non sciunt quid habeant in conscientia sua. Et vtique illud quod sciunt, fotis est: & istud, quod se nescire dicunt, intus est. O nihil stultius est, quam vt quis decipiat seipsum. Si nescis, disce. Vide, an vnquam diligentiam adhibuisti ad hoc, vt scias voluntatem DOMINI DEI tui. Certe hoc pro verissimo tenere debes, quod ad hoc creatus es: Si autem hoc ignoras, ignoraberis.

Quid mane rustico agendum.

POSTPOSITA igitur excusatione calua ista, quæ communiter laicis est valde familiaris, disce, quomodo conscientiam tuam discutere debes. De mane quando surgis, statim assuesce gratias agere DEO tuo, quod te in hanc horam vsque perduxit, deinde

deinde recogita si aliquod peccatum nocte commisisti,& pete de hoc veniam, ac nota illud cum proposito confitendi, maximè, si mortale fuerit. Ora etiam ad Dominum,vt de futuro securus fias, dicens: Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire. Similiter de agendis, vt angelus sanctus dirigat te vbique in prandio & cœna. Similiter gratias age Domino de beneficiis suis, & in simplicitate cordis sume necessaria vitæ, quæ DEVS largitus est tibi.

Quid per diem.

IN conuersatione tua per diem, si solus fueris, coge cor tuum ad cogitandum aliquid boni: & si aliquid mali irrepserit, pelle à te, vt melius poteris. Si fueris cum hominibus, noli alteri aliquid facere vel dicere, quod tibi non vis fieri. Ecce quam breuis viuendi norma. Esto fidelis in opere tuo, veridicus in sermone, patiens in iniuriis, & statim eris homo sinceræ & bonæ vitæ. De sero, antequam lectum introeas, recogita an sic vixisti, & si nihil te cómisisse mali inueneris, gratias age DEO:sin autem, signa diligenter, cum proposito emendandi & confitendi. Ora deinde DEVM, vt noctem illam tu,& familia tua, transeas absq; macula peccati. Eia quis homo audebit dicere in veritate;Hoc nescio? Sic viuere mihi est impossibile, cùm gratia Dei omnibus sit parata?

Quid vesperi.

Vita improborum laboriosior quam piorum.

VERE vere peruersorum vita subtilis est, & difficilis valde. Illam sequi laboriosum, scandalosum, & doloroſum,& periculosum supra modum, si bene homo aduertat. Sed vita bona simplex est, facilis, honorabilis & secura. hoc præsuppositio, si homo simplex & bonæ voluntatis vellet stare cõtentus in vocatione sua, & se non intromittere de

his, quæ sunt aliena à statu suo, nec ambulare in mirabilibus super se. Quod si verò aliquid tunc ei molestum, siue iniurioſum accideret, quando sic simpliciter & bene ambularet in via Domini, nil de hoc dolere deberet, sed gratias agere, quia per hoc ad maiorem gratiam & gloriam peruenireț.

Examen conſcientiæ esse vtile.

1. Cor. 11. 12.

DE vlteriori discussione conſcientiæ non opus est plura dicere, cùm nil aliud sit hoc, quam seipsum examinare, an rectè ambulauerit in via Domini, an non. Applicet igitur vitam suam ad statum proprium, & tunc conſcientia testimonium ei perhibebit de his. Quod autem sit vtilis ista discussio, docet Apostolus 1. ad Corinthios ca. 11. dicens: *Quod si nosipsos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur. Cùm autem iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Igitur qui flagella horrenda diuinæ iræ hic & in futuro vult à se & domo sua remouere, studeat nunc, dum tempus habet, conſcientiam propriam examinare, & quæ malè gessit humiliter deflere, & quæ bene fecit in DEVM gratitudinem refundere. An non faciliùs est dicere pio corde: DEVS tu propitius esto mihi peccatori, recognosco peccatum meum hoc & illud, quàm grauissimas ægritudines sustinere, aut damna, siue scandala, aut certè acerbissimum Purgatorij ignem?

Nullũ malum erit impunitũ.

1. Pet. 4. 17. Heb. 10. 31.

Ecce modò de electis loquimur, à quibus nunc iudicium incipit, eo quod nec minimum malum, etiam quoad ipsos, manebit impunitum, & si sic est, *quis finis eorum, qui non credunt Euangelio* DEI, nec seruant mandata eius: *Horrendum est incidere in manus DEI viuentis.* Præueniamus ergo faciem

ciem eius in confessione, non tantùm semel aut bis in anno, sed per singulos dies, effundendo videlicet cor nostrum tanquam aquam in conspectu Domini DEI nostri, & quando copiam presbyteri habere possumus, etiam sacramentalem absolutionem expectemus. Confessio sincera cõsulitur.

TRADITVR quidam modus valdè securus à sanctis Patribus, quoad illos, qui in mortalia peccata ceciderunt. Quod, scilicet, quando sibi non bene conscij sunt, an perfectam confessionem fecerint, quod semel ad minus recolligant totam vitam suam in amaritudine animæ suæ, & tunc post plenam huiusmodi præmeditationem confessorem eligant idoneum, cui totaliter confiteantur, quæcunque commiserũt, morosè, funditus, & corde sincero, donec conscientia scrupulis omnibus, maximè mortalibus, exuatur, & ad quietam ac serenam pacem perueniat. Et generalis de tota vita.

Qua habita, deinceps bonæ voluntatis homo diligentius se custodiat, tanquam post pericula factus prudẽtior, & ne iterum multitudine obruatur, sæpius de quotidianis confiteatur. Crebra sit confessio.

Confessor idoneus est proprius & immediatus Pastor doctus & literatus, sciens discernere inter mortale & veniale, aut aliquis de eius commissione aut licentia deputatus. Si igitur proprius pastor fuerit impeditus, potest subditus ab eo licentiam petere, & alium quemlibet accipere.

DE illa quoque generali recollectione, si memoria non suffecerit pro vna vice, potest per aliquas septimanas, aut menses, vel annos, si opus est, confessionem iterare, toties quoties peccata non confessa ad memoriam venerint, dicens, Oblita quomodo confitẽda.

hæc

hæc aut similia verba. Pater, quando confessionem generalem feci, tunc aliqua oblitus fui, aut pro tunc ad memoriam nõ venerunt: & exprimere ea, sicut oportet. Quod si scribere nouit, potest omnia simul in charta notare, pro iuuãda memoria, & corã sacerdote tractim recitare & compunctè, vt videlicet de singulis confessor possit deliberare. Hoc enim vtile est. Nec valet quorundam imperitorum duritia, qui hoc reprehendunt, quasi non ex charta, sed ex corde fieri debeat confessio: cùm & omnia Ecclesiastica officia simul & ex corde, & ex libris fiant, vnum enim alterum iuuare debet.

Confessio de scripto consulitur.

Quod autem dicitur, non *per Breue* debere fieri confessionem, intelligendum est, quod confitens non debet confessori literam vel chartam porrigere, vt ipse legat ex ea peccata, aut destinare eam illi more aliarum missiuarum, sed ore proprio pronunciare debet. Si etiam videtur alicui impossibile, quod antiqua peccata reuocare ad memoriam possit, talis debet hunc modum aduertere, videlicet, quod recogitet annos, & locum, & societatem, cum qua vixit, & officium quod exercuit, & alia iuuamina memoriæ, & inuocare gratiam sancti Spiritus, faciendo melius quod possit pro recordatione præteritorum. Et tunc pro certo penitus credere debet, quod aut Spiritus sanctus oblita ad memoriam sibi reducet, aut dimittet absque dubio quæ taliter à memoria euanuerunt. Bonus enim Dominus est his qui quærunt eum, *& humiles spiritu saluabit*. Studeamus igitur vti misericordia eius, dum tempus est, ne, quod absit, si tantam neglexerimus salutem, cogamur

Quod studium necessarium sit in præparatione confessionis.

Thren. 3. 25.

Psalm. 33. 19.

velimus

velimus nolimus, sentire iustam vindictam.

Præceptū de confessione & communione annua.

CÆTERVM de iure communi non tenetur laicus nisi semel in anno confiteri, videlicet tempore quadragesimali ante solemnitatem Paschalem, quando etiam tenetur de necessitate communicare. In casibus autem certis tenetur pluries cōfiteri: videlicet, si super annum velit communicare, aut si fuerit in periculo mortis, aut si conscientia dictat confitendum aliquod mortale, de quo sibi conscius est, & copiam confessoris habuerit, & tunc non debet laborare ad deponendum scrupulum illum, quia ad melius tendit, & ex satis probabili opinione procedit. Item si occurrat Confessor cum verisimili cōiectura, quod eius copiam illo anno non poterit habere, sicut sæpe contingit de Pœnitentiariis Domini Papæ vel Episcopi. Tunc enim statim tenetur se præparare ad confitendum, si tales casus habuerit.

Confessio crebrior quando.

Quando anticipanda.

IDEM est sciendum de proprio pastore, quando timeret similiter, quod debito tempore illius anni non possit eum habere: Nam tunc tenetur præuenire extremum articulum anni; alioquin ex parte sui esset culpa, quod mandatum Ecclesiæ nō esset seruatum. Sed hæc & similia hominibus bonæ voluntatis nō est necesse proponere: ipsi enim prompti sunt & solliciti exspuere venenum, quam citò sentiunt. Qui autem in extremis periculis tātum remedium quærunt, rarò conualescunt. Securam igitur viam studeant boni laici tenere, & seipsos cautè præuenire, sicq; mundè ambulare per singulos dies, vt quacunque hora Dominus venerit, paratos eos inueniat, & ad cœlestia regna perducat, eodē cooperāte, cui laus est in secula, Amē.

CAP.

CAPVT XV.

Quintodecimo debet quilibet fidelis & timoratus laicus, siue rusticus fuerit, siue alterius officij, imò quilibet Christianus, sæpius meditari de præceptis DEI, & obseruatione eorum, & vt in recta fide ambulet.

Deut. 6.7. HÆc est doctrina Moysis in multis locis, & præcipuè in Deuteronomio, similiter & aliorum Sanctorum omnium. Ratio huius est, quia post legem datam, & informationem acceptam solent tentationes insurgere: & ideò oportet monere fideles specialiter de constantia & prudentia: & hoc non semel, neque bis, sed penè per singulos dies, & præcipuè illiteratos. mirum enim post Euangelicam tubam solet bellum consurgere. Nam homo peccatis detentus quasi non sentit tentationes; sed quàm citò vitam corrigit, tunc etiam de illis crebro tentatur, quæ naturaliter antea exhorruit. Vndique igitur oportet vigilare, quamdiu viuimus, quia nulla est in ista peregrinatione securitas, sed bellum continuum. Bona est ergo similitudo ista, si trahamus eam ad nos, vt more ciuium, qui quotidie ab hostibus impetuntur, nostram ciuitatem, id est, nostram conuersationem custodiamus.

Homo munire se debet contra tentationes.

DE hoc iam multa dicta sunt. Sed hic annectendum est, quod aliquando homo bonæ vitæ sentit magnam alacritatem & facilitatem in via DEI, aliquando magnam difficultatem & tædiũ: & vtrumque sibi in bonum veniet, si constans & prudens permanserit. Tentat igitur diabolus hominem bonæ vitæ per hæc duo iugiter, scilicet, vt

Dæmon tétat eum in duobus.

vel

vel ipsum per errorem seducat, vel per tædiū vincat. Sed, vt non seducatur, oportet eum esse prudentem: &, vt non vincatur, oportet eum esse constantem: Solus enim saluus erit, *qui perseuerauerit vsque in finem.* Supponamus igitur primum videlicet, quod constans & feruidus permanserit homo in via DEI, & videamus, quibus dolis conetur eum decipere, vt labores eius inanes faciat. Matth. 10. 22.

VBI est aduertendum diligenter, quod summo studio laborat inimicus, vt fidem integram à corde auferat, maximè quoad rudes & simplices homines attinet, quia tunc scit, quod totum fundamentum bonæ vitæ collabatur. Facit autem hoc sub specie boni, quia alias non crederent illi. hinc est, quod seminat diuersas hæreses, immittit quādoque abominandas blasphemias contra DEVM & Sanctos suos, quasi non sint iusti, aut pij, siue misericordes, aut quod posset melius mundus regi, & similia. Et si in his non profecerit, tunc suadet sortilegia, & auguria, & incantationes, & alia quæ sunt contra rectam fidem. Per quæ, proh dolor, penè totum genus rusticanum, ac alios quosdam laicos non modicè vsque hodie irretiuit, & post se trahit. Vnde & ob hoc aliqua monita sunt hic ponenda tanquam maximè necessaria pro illorum extirpatione. Dæmon tētat simplices maximè in fide.

SCIENDVM ergo primo, quod primum mandatum DEI est. *Non habebis deos alienos coram me. non facies tibi sculptile. non adorabis eos, neque coles.* Vbi dicunt sancti Doctores, quod Dominus DEVS omnia ex nihilo creauit, & in esse produxit, & in esse conseruat, & ideo iustū est, & rationabile, Deut. 5. 7.

nabile, quod creatura hoc recognoſcat, & ſuo creatori obediat, ipſúmque diligat, & ſecundùm voluntatem ipſius viuat. Sed hoc diabolus facere contempſit, & ob hoc ad infinitam miſeriam & æternam damnationem corruit, & totus peruerſus factus eſt. Quare etiam homini inuidit, quod ad tantam gloriam perueniret, vt par angelis efficeretur, à qua ipſe tam turpiter corruerat. Et quia per infelicem experientiam ipſe nouit, quod quam citò creatura inobediens DEO facta fuerit, ſtatim exoſam ipſam habet, & à ſe proiicit, ideò ſuaſit homini, quod non curaret de mandatis eius, vt hac occaſione odium DEI ſibi prouocaret. Quod & proh dolor, factum fuit. Nam ſtatim, vt Adam & Eua præceptum fregerunt, diuinam indignationem incurrerunt, & de paradiſo in hanc mortalitatem proiecti fuerunt.

Cur dæmõ ſuadeat tranſgreſſionẽ præceptorum Dei.

Gen. 3. 23.

DEMVM ad tantam væſaniam penè totum humanum genus peruenit, vt poſtpoſito vno vero DEO nefandos dæmones pro diis coleret, & ab ipſis ſalutem, auxilium atque conſilium ſperaret: ſtetitque in hac miſerabili cæcitate mundus vltra duo millia annorum, ita quod vix pauciſſimi ſaluarentur: Sed pius Dominus miſertus ſuper tantis malis rurſum hominibus per Moyſen præcepta dedit, quorum illud primum fuit, quod iam dictum eſt, vt videlicet homines ſe auerterent à dæmonibus, & ad ſuum creatorem redirent. Sed hoc parum iuuit. tandem miſit vnigenitum ſuum in carnem, & ille Apoſtolos in orbem terrarum, vt cultum veri DEI inſtituerent, & idololatriam deſtruerent, quod vix tandem cum maxima difficultate factum fuit. Verùm quantumcunq; poſtea ſancti

Homines coluere dæmones pro diis.

sancti Patres laborauerint, non potuerunt tamen omnes reliquias abominandæ superstitionis à populo Christiano extirpare vsque in præsens tempus.

Ecce iam habemus solidum fundamentum, per quod faciliter deiici potest totum sacrilegæ superstitionis figmentum. Sed vtinam miseri crederent, & aduerterent, ne tam infeliciter perirent. Fundamentum igitur, hoc est: quod homo debeat creatori suo obedire, & ipsum diligere, & omne bonum ab eo sperare, eumque colere. Item, quod non debet abiicere, siue peruertere ordinationem diuinæ sapientiæ in rebus ab eo creatis, sed vnaquaque re vti, sicut ipse instituit. Itẽ, quod non debet habere aliquod pactum expressum, vel occultum cum dæmonibus, neque ab eo auxilium, vel consilium quærere. Item, quod debet firmiter credere, quæ sãcta mater Ecclesia credit, & respuere, quæ prohibet, & humiliter obedire in omnibus regulis sacræ fidei, & determinationi eius.

Fundamẽtum cõtra omnes tẽtationes ponẽdum.

Iam ad particulares casus superstitionum esset descendendum, vt simplices & bonæ voluntatis homines, moneremus, sed tot sunt, vt nesciam, à quo incipere debeam. Præmitto primum, quod diuersæ sunt causæ, quæ huiusmodi trufas pepererunt. nam aliquando ex sola leuitate credendi, procedunt, vt in vetulis, puellis, & pueris, & rudibus hominibus. aliquando ex ioco & confícto, ne ad fallendum & irridendum alios, vt in scholaribus, aut aliis parasitis. aliquando ex vano timore, vt in his, qui nimirum timent sibi, aut suis, ne damna incurrant. aliquando ex cupiditate & pigritia, vt in illis, qui furãtur aliena, ne ipsi laborare

Superstitionũ origo.

Trufas, id est, imposturas vel superstitiones.

cogantur pro victu quotidiano. aliquando ex superbia, vt in illis, qui alios in potestate, aut diuitiis, seu scientia præcedere concupiscunt. Aliquando ex inuidentia, vt in illis, qui non fauent aliis prospera. Aliquando ex impatientia, vt in illis, qui paupertatem, aut infirmitatem, vel iniuriam sustinere non possunt, aut nolunt. aliquando ex ardore luxuriæ, siue carnalis amoris, vt in philocaptis. Omnibus istis incitamentis agitatur cor humanum, & variis mediis quærit adipisci, quod male gessit.

Iob. 1. Vere magice multa fieri.

POSSVNT autem omnia ista per auxilium dæmonum, qui hæc suadent, etiam ad effectum perduci occultis modis, si DEVS permitteret. Hoc quoque ex pluribus locis sacræ Scripturæ posset ostendi, sed solus IOB sufficit, cuius corpus, & substantiam, ac proles dæmon abstulit. Non ergo mirum, si & aliis simile contingat. Et hic soluitur error quorundam simplicium, qui nolunt credere, quod possit aliquid superstitiose fieri, sed putant totum mendacium esse quicquid de illis dicitur. Et quanquam istud videatur de pietate procedere, tamen non valet, quia est magis ex duritia, quam fide. Sed sunt informandi, videlicet, quod non debent credere, id quod fit, licitum esse taliter operari. Quę enim aperte ad oculum fiunt, non debemus inficiari, sed caute aduertere, quomodo fiant, & quare fiant.

ET iterum soluitur ex isto, quare communis populus aliquando durior fit, quando per idiotas informantur minus plene, videlicet, quando dicitur ei, quod non debet fidem adhibere huiusmodi trufis, quia est impossibile, quod fiant. nam

statim

ſtatim populus reſpondet. nos aperte videmus, quod hoc & illud ſic & ſic fit. non debemus hoc credere. Ecce duo directe oppoſita. Primo omnino nihil vult credere. Secundo vult nimis libenter credere. Sed medium eſt tenendum, ſcilicet, quod poſſibile eſt operationes ſuperſtitioſas fieri, occulta vel aperta dæmonum cooperatione. Sed eſt grande peccatum, & directe contra mandata Dei; & quod non eſt poſſibile ipſas fieri per illas obſeruantias, quas ipſi malefici ſolent applicare. Exempli gratia, credendum eſt, quod permittente Deo maleficus poteſt per auxilium dæmonis occidere vaccam vicini ſui, ſed non eſt credendum, quod illa incantatio, ſiue maledictio, quam ipſe profert, vaccam occidat, ſed dæmon aperte vel occulte hoc facit, vt ad peccatum malitiæ, & infidelitatis homines trahat. Nec eſt curandum, an aperte coram populo hoc fiat, an inuiſibiliter, nam vtrobique fides periclitatur ſimplicium. Si enim malefico faciente aperte coniurationes dæmon viſibiliter appareat, & ei obediat, putant debiles in fide, quod illa ars necromantiæ efficax ſit, & ſuper dæmones poteſtatem habeat, ſed non eſt ita, quinimo dæmones fingunt ſe compelli, vt animas decipiant, nec quicquam curant de tali coniuratione, eo quod non fiat, per aliquam poteſtatem ſuperiorem, ſed tantummodo per iniquam eorum perſuaſionem, & humanam curioſitatem, ſtultitiam aut malitiam. Si vero effectus ſuperſtitioſi occulte fiant, tunc æque, imo amplius fides populi periclitatur, quia putant illud eſſe diuinum, quod eſt diabolicum: & iuxta ſententiam B. AVGVST. *peior eſt draco ſibilans, quam leo*

Quid ſit credēdum vere fieri per magos.

Dæmō nō cogitur per coniurationes.

Auguſt. in Pſal. 90.

leo rugiens. hoc est, plus debet homo Christianus timere occultas insidias diaboli, quam apertas, quia has potest cauere, illas autem vix aduertere.

Regula ad cognoscẽdam ob seruãtiam vanam.

DICAMVS ergo secundum scripturam & sacros canones, quod omnis obseruatio, cuius effectus expectatur aliter, quam per rationem naturalem, aut per diuinum miraculum, debet rationabiliter reprobari, & de pacto dæmonum expresso vel occulto vehementer haberi suspecta, quantumcunque etiam sancta & salubris videatur. Dicamus etiam secure, quod nulla verba hodie in Ecclesia DEI sunt diuinitus instituta ad determinatos effectus producendos, nisi tantum sacramentalia secundum ritum suum, scilicet à debito ministro super debitam materiam cum intentione faciendi, quod Ecclesia facit, & non aliter. Dicamus quoque nullas ceremonias, aut characteres, seu signa laicis diuinitus tradita esse, aut ab Ecclesia instituta pro aliquibus determinatis effectibus producendis.

Nulla verba nisi sacramentorum valẽt ad certum effectum producendum.

VT autem simplices intelligant, quid sit ex aliqua causa naturali seu miraculosa determinatum effectum producere, hoc sic est accipiendum, quod aliquo verbo, dicto, vel signo, aut charactere protracto aliquid necessario sequeretur, quod ille intendit, qui hoc dicit, vel facit, sicut, in naturalibus videmus, quod quicunque aquam effundit super ignem, sequatur necessario, quod ignem extinguat. Ex quo sequitur, quod aspersio aquæ benedictæ, & consignatio crucis, & similia, non habent determinatos effectus ex necessitate repellendi omne periculum spirituale & corporale, sed habent congruentiam ad hoc. Ita de aliis cæremoniis

Crucis signi, & aquæ benedictę nõ est determinatus effectus.

remoniis vniuersis. Si enim per signationem crucis, aut orationem Dominicam, aut aliam quamlibet sacram operationem in Ecclesia consuetam statim omne malum propelleretur necessario, tunc fides & spes, quoad multa, euacuarentur: neque stantibus rebus, vt nunc, creator haberet plenum dominium super creaturam à se factam. Patet aperte. Quia si haberet homo talia adminicula, tunc non esset in potestate DEI, aut alicuius alterius creaturæ, quod homo posset tentari, puniri, seu mori, &c. statim enim signaret se, aut orationem funderet, cum ei aliquid contrarium accideret, & continuo liberaretur necessario, cuius contrarium quotidie videmus. Ceremoniæ quo sensu sunt vtiles.

Sunt ergo omnes orationes, & ceremoniæ Ecclesiasticæ sanctæ & bonæ, & pro bonis adipiscendis, & malis propulsandis frequentandæ, sed effectus determinatos non habent, sicut sacramenta; quamuis non minus debemus confidere in spe & pia fide de eorum effectu salubri, si & in quantum DEO placeat, & nobis vtiles sint ad salutem. Ecce notabilem cautelam, ex qua reprobatur quorundam imperitorum presbyterorum, seu aliorum quorumcunque stulta dogmatizatio, volentium fideles inducere, vt hæc aut illa credant, & tunc necessario ipsis ad votum ita succedet, sicut credunt, aliter non. Nimis enim extendunt illud dictum saluatoris: *Omnia possibilia sunt credenti.* Et: *Fiat tibi secundum fidem tuam,* cum similibus. Talia enim non sunt referenda indifferenter ad omnia, quæ homo cupit, sed ad illa, quæ spectant ad salutem animæ. Aliter enim est dicere iniuriam ipsi Saluatori, quasi occasionē dedisset per Marc. 9. 23. Matth. 9. 29.

huiusmodi verba alicui contra saluté animæ suæ. Timendum siquidem est, quod per hæc verba male intellecta plures sint superstitiones introductæ, & quasi diuinæ & authenticæ essent.

DEBET ergo sic populus informari, quod firmiter in DEVM credant, & in omnibus periculis & necessitatibus confidenter sub alis protectionis suæ confugiant cum tali promptitudine animi ac fiducia, quod omnia patienter & grataner cum
Iob.1. B. IOB de manu Domini velint recipere, seu prospera, seu aduersa, neq; aliter de ipso optimo creatore sentire, quam de piissimo patre, qui aliquando consolatur filios, aliquando castigat, prout sibi placet, & ipsis filiis prodesse nouit. Qui sic credit, & sic cum DEO ambulat, illi omnia sunt possibilia, non quidem, vt ipse mirabilia faciat, sed vt ea à DEO impetret merito fidei suæ.

Sacra verba sola, superstitiose aliquando vsurpari.

SVNT præterea quidam homines modicæ intelligentiæ vltra alios, qui audacter dicunt. Nos pro certo scimus, quicquid fit per *Pater noster, & Aue Maria*, & Euangelia, & Credo, & Psalmos, & alia sancta verba, hoc est licitum. Et quia duri sunt, à diabolo possidentur ad ipsius voluntatem. Quod autem hoc friuolum sit, per eorum responsionem statim patebit, si ab eis quæratur, an possit abusus fieri sacrorum verborum. Puto enim, quod respondebunt, quod sic, si aliquo
Matth.4.6. modo memores sint, quod diabolus CHRISTVM tentauit per sacra verba. Similiter quod hæretici sine intermissione sacra Scriptura abutantur.
Psa.49.16. Et in Psalmis dicitur: *Peccatori autem dixit DEVS, quare tu enarras iustitias meas, &c.* Dicant modo, si audeant, quicquid fit per sacra verba licitum esse

esse. Certe non audebũt, si aliquem sensum habent.

SED tamen veraciter loquendo, nihil horum per sacra verba fit, quæ ipsi putant taliter fieri, sicut iam dictum est. Neque ad hoc sunt instituta diuinitus: & ideo impossibile est, quod præter DEI ordinationem tales effectus habeant, sed vt diabolus simplices decipiat sacra verba suis trufis applicat. Fuit ante paucos annos famosa quædam vetula totaliter auguriis occupata, quę hoc modo cuiusdam principis pedẽ recenter gladio perforatum sanauit. Nam statim, vt vulnus vidit, inclinauit se & hæc verba protulit: *In nomine Patris, & filij & Spiritus Sancti, Amen.* stetitque sanguis, & illico vulnus curatum fuit. At ille lætus exclamans dixit. Si aliud nihil vellet dicere, semper deberet me curare. Postea idem casus Coloniæ examinatus fuit, & superstitiosus iudicatus, eo quod nulla ibi signa alicuius miraculi fuerunt, nisi tantummodo abusus S. Verborum. Exẽplum.

PARI modo faciunt nonnulli auguritrices, & etiam quidam viri effeminati pronunciantes sacra verba super febricitantes, aut aliter infirmos. Similiter & super bestias pro ipsorum conualescentia. Item contra vermes, qui fruges in agris aut holera in hortis, aut fructus in arboribus corroduut. Item contra lupos benedicunt vaccas, & oues & equos, & asinos, vniuersa pecora campi, quasi securius sit ea dæmonibus tradere, quam pastoribus commendare, aut melius animam damnare, quam bestiam amittere. Et est infinita stultitia animarum errãtium in his & aliis, quæ numerare aut tædiosum est, aut vix possibile. Verum latet hic laqueus inimici valde occultus, Vetularũ benedictiones superstitiosæ.

videlicet quod ista ideo sint tolerabilia, quia ad vtilem finem tendunt: Sed, teste Samuele, magis vult *Deus, vt obediatur voci suæ, quam oblationes arietum, & hircorum pinguium:* hoc est, dicere, quod Deus voluntarie permittit aut præcipit quandoque aliqua, quæ secundum communem vsum sunt damnosa, vt appareat obedientia, siue inhobedientia hominum. Et quia omnia largitur, & potens est multo maiora retribuere, ideo iustum est, vt homo per omnia se illi subiiciat, tam quoad corpus, quam quoad animam, quam etiam ad exteriorem substantiam.

1. Reg. 15. 22.

Aug. serm. 46. de sanctis, & l. de honestate mulier.

Hinc est, quod Avgvstinvs dicit nonnullos esse martyres in propriis lectis suis, qui potius volunt ægrotare & mori, quam Deum offendere admittendo sortilegos pro cura sua. Ita & de aliis similiter est dicendum suo modo, qui potius parati sunt damna & penuriam perpeti, quam contra mandata Dei facere. Proinde sunt & aliæ plures superstitiones malignæ, quarum effectus tendunt ad malum finem etiam sub capitalibus pœnis in lege prohibitum, scilicet ad furta, homicidia, destructionem segetis, vinearum, & huiusmodi. Sed ista communiter non diu manent sine iusta vindicta.

Dæmonis fraus cum per incantationes nocet.

Vbi tamen est diligentissime aduertendum, quod antiquus hostis aliquando in vno tali opere duas animas lucratur, vnam, videlicet, per hoc quod ei suadet alteri nocumentum inferre: aliam per hoc, quod suadet ei superstitiosum remedium apponere. Sic aliquando contingit rusticis, vt quando percipiunt sibi lac auferri per maleficia, quod tunc ponunt ad loca quædam particulas

culas quasdam herbarum, vel alio modo conantur impedire prædictum effectum per verba ignoto, aut maledictiones, &c. Sed vnum est ita superstitiosum, sicut reliquum. Si autem vellent efficaciter à talibus trufis liberari, deberent humano & Ecclesiastico more procedere, primo videlicet diligenter inquirendo à vicinis, an esset aliis suspectus de tali nequitia, &c. Deinde, si magnitudo periculi id exposcit, debent facere, sicut consuetum est in Ecclesia DEI, quæ ordinat contra talia maleficia preces, ieiunia, Missas, imploratione Sanctorum, eleemosynas, ac alia pia opera diuinæ iræ placatiua. Qui autem male credulus per maleficium vult liberare se, non est dignus vt à Domino DEO, & sanctis angelis adiuuetur: & ideo non est mirum, quod à spiritibus nequam grauiter affligatur. Et hæc sunt simplicibus valde pensanda.

Vt sint auertenda damna sagarum.

Maleficia maleficio non debet tolli.

RVRSVS est adhuc alia superstitio de obseruantia dierum, videlicet, quod sint aliqui dies infausti, neque tunc aliquod opus inchoari debeat, aut vestis noua indui, aut iter arripi, &c. quæ omnia sunt friuola, & à vanis astrologis, & paganis contra Dei ordinationem introducta. Aduertant fideles diligenter, quod omnes dies Deus creauit, & sunt valde boni & quod omnium operum bonorum Deus est director, & sancti angeli cooperatores: ergo vtique non est timoratis hominibus de hac stultitia metuendum. Similiter de aliis sine numero, (vt de occursu leporum, vel cattorum, volatu auium aut garritu, de casuali aliquo euentu vel opere, puta, si calceum sinistrum aut chirothecam primum induat, vel verbum aliquod audiat, quod fortunam bonam

Obseruantia vana dierum.

vel omen significet, cum similibus pestiferis imaginationibus,) est firmiter tenendum secundum rectam rationem & Catholicam fidem, quod in veritate nihil habent penitus efficacię, sed sunt deliramẽta infelicium hominum, qui sæpe Deo permittente propter suam malam credulitatem merentur affligi, & terreri à quolibet folio volante.

Remediũ contra vanas observationis.

O si homo memor esset suæ dignissimæ conditionis, & cogitaret se ad imaginem Dei factum, & quotidie sanctissimis angelis vallatum, tunc erubescceret potius, quam metueret ab huiusmodi stultitiis vanissimis. Est etiam hic subiungendum, quod bonis hominibus & fortibus, & doctis in fide contingunt aliquando huiusmodi infortunia cum præstigiis præfatis diuina ordinatione, vt eorum fides nota fiat aliis, & sit exemplum toti Ecclesiæ. Et cum totus populus videt, quod non curant talia figmenta, neque obseruant se ab eis, tunc ædificatur ad fidem. Scio quendam presbyterum timoratæ & bonæ vitæ, qui cum audisset, quod signum infaustũ esset, si calceum sinistrum mane primum indueret, & de hoc ei tentatio molesta esset, vt videlicet hoc caueret, ipse econtra directè semper sinistrum calceum primo induit, & sic phantasia cessauit. Et hoc est bonum remedium in similibus.

De illa etiam superstitione, quæ communiter fit à quibusdam mulierculis infatuatis, & duris in conceptibus suis, videlicet, in abstinendo à quibusdam laboribus & cibis contra communem Christiani populi consuetudinem: puta; quæ non volunt nere feriis quintis post vesperas, eo quod tunc Saluator inchoauit passionem suam, & ad

crucem

crucem iuit, aut in die Paschæ nolunt carnibus vesci, quasi hoc DEO sit gratius, eo quod tunc communiter populus fertur ad esum carnium: aut certis diebus cessare volunt ab operibus, qui non sunt festiui, & similibus aliis singularitatibus ab omnibus talibus superfluis phantasiis debent venerabiles matronæ abstinere, & humiliter seposita omni singularitate conformare se ritui communi sanctæ matris Ecclesiæ, & laudabili consuetudini illorum, quibus conuiuunt. Si autem aliquæ ex indocta & simplici deuotione aliquid de huiusmodi vouerunt, debent hoc humiliter confiteri, & absolutionem petere cum promptitudine tali, quod velint libenter obedire suis superioribus pro commutatione in melius. dicit enim sacra Scriptura, quod *displicet DEO infidelis & stulta promissio.* Stulta promissio est de superstitionibus. Eccl. 5. 3.

AD istud potest referri, quod incautum est, quod quædam mulieres inducunt viros suos, vt voueant abstinentiam coitus certis diebus, vt tali pacto mitius habeant in puerperio. Scio, quod loquor, qualia pericula inde prouenerint. Melius est ergo, vt dimittant sacramentum in sua libertate, neque inuicem se defraudent, nisi fortè ad tempus ex consensu, vt vacent orationi, absque omni voto præuio, maxime perpetuo. Sint proinde bonæ feminæ memores quotidianæ miseriæ, quam ab Eua susceperunt, pro eo quod voluit nimis sapiens esse; & diligenter caueant, ne velint imitari singularitatem capitis sui. Non ponant os in cœlum, quasi sufficientes sint sibiipsis leges dare, sed magis *in subiectione & silentio discant* secun Vota indiscreta. 1. Cor. 7. 1. Tim. 2. 11.

secundum Apostoli monita, & tunc bene securæ erunt.

Regula cognoscendi superstitiones.

De vlteriori progressu huius materiæ breuitatis gratia supersedeo, simul sperans, quod hæc hominibus bonæ voluntatis sufficiant, si hæc duo, quæ supra dicta sunt, diligenter aduertant, videlicet quod quicquid in mundo fit per rationem naturalem, aut per diuinum miraculum, non est superstitiosum: quicquid aliter fit, quantumcunque sanctum appareat, suspectum debet iudicari.

Cautela cõtra magos.

Est etiam bona cautela, si quando huiusmodi augures se offerunt ad docendum, vel faciendum mirabilia, quod statim quæratur ab eis, an sint parati venire in publicum, & coram doctis viris suam scientiam, vel artem proponere, vt examinentur, ne fortè ipsi errent, & per consequens alios errare faciant. Ita fit in aliis artibus etiam mechanicis. Quod si noluerint, tunc responderi debet eis illud Saluatoris: *Omnis qui malè agit, odit lucem, ne manifestentur opera eius.* Si autem parati sint se offerre ad examen expertorum, statim diiudicabuntur.

Ioan. 3. 20.

ADMONENDI sunt ergo quique fideles laici, vt in recta fida ambulent, & in via mandatorum DEI se exerceant, ab omni quoque specie impiæ superstitionis se abstineant, semper etiam, quod incertum est, ac dubiosum declinent, quod autem securum est teneant, quatenus tandem post hanc ærumnosam vitam in gloriam æternam intrare mereantur per gratiã Domini nostri IESV CHRISTI, qui est via veritatis, & vita regnantis cum Patre & Spiritu sancto per secula seculorum, Amen.

CAP.

CAPVT XVI.

Sextodecimo debet quilibet fidelis & timoratus Christianus cuiuscunque professionis fuerit, vel officij, crebro de morte cogitare, & breuitate huius vitæ, & bonis ac simplicibus verbis inuocare Dominũ DEVM, *quatenus post præsentis vitæ labores ad æternam requiem ipsum perducat.*

HÆc est doctrina sapientis Ecclesiastæ 11. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Quam autem vtilis sit ista præcogitatio, ostenditur Ecclesiastici 7. vbi sic dicitur: *memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Tria enim sunt, quæ principaliter hominem à DEO separant, scilicet superbia, auaritia, & luxuria. Sed si homo cordialiter attendat mortem mox futuram, tunc faciliter se ab his continere potest. Nam de superbia sic dicit Seneca: *Quid cliẽti tuo iraſceris? Sustine paululum, ecce venit mors, quæ vos pares efficiet.* De luxuria AVGVSTINVS. *Nihil sic reuocat à peccato, quam frequens mortis meditatio.* Et AMBROSIVS. *Nudi omnes nascimur, nudi morimur, nulla est distinctio inter cadauera mortua, nisi fortè, quia grauius fœtent diuitum corpora luxuria distenta.* De auaritia HIERONYMVS. *Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.*

Eccl. 11. 8.

Eccl. 7. 40.

Mortis meditatio antidotũ contra vitia.

Sen. lib. 3. de ira in fine.

Aug. lib. 2. de Genes. cont. Manich.

Ambr. lib. 6. hexam. cap. 8.

PROPTER has tam magnas vtilitates mos inoleuit apud summos Prælatos, vt dum supra alios promoti fuerint, statim per aliquod signum memoria mortis ipsis imprimitur. Nam coram Domino Papa incenditur stupa lini cum his verbis,

Hieron. epist. ad Paulin.

bis, *sic transit gloria mundi*. Coram Imperatoribus & Regibus afferuntur diuersa marmora varij coloris cum hac interrogatione: De quali marmore vis tibi monumentum fieri? Et in approbatis regionibus diuersæ sunt institutiones ad idem seruientes. Hinc dicitur Eccleſiastæ 7. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorũ admonetur hominum, vt viuens cogitet, quid futurum sit.*

Eccl. 7. 3.

Mors cur incerta.

QVÆRET hic forte aliquis, quare hora mortis sit incerta? Respondetur, quod propter tres causas. Prima est, propter naturam humanam in vigore suo conseruandam, quia si pro certo sciret homo aliquo determinato tempore se moriturum, ex hoc natura nimis debilitaretur, & ad bona opera minus valeret. Sicut patet in illis, qui ad mortem iudicantur. Secũda causa est propter electos, qui per opera liberæ charitatis debent mereri vitam æternam. Mors autem necessario imminens certo aliquo tempore anxietatem nimiam in mẽte suscitaret, quæ dulcedinem diuini amoris impediret, & in quibusdam naturaliter pauidis penitus extingueret. Tertia causa est propter augmentum bonorum operum. Sicut B. GREGORIVS dicit: *Ad hoc enim conditor noster latere nos voluit finem nostrum, diemque nostræ mortis esse nobis incognitum, vt dum semper ignoratur, proximus esse credatur: & tanto quisque sit seruentior in operatione, quanto & incertior de vocatione, vt dum incerti sumus, quando moriamur, semper ad mortem parati venire debeamus.*

Gregor. 12. moral. & ho. 13. in Euang.

Auguſt. ep. 80. ad Hezich.

MAGNA igitur diligentia præparare nos ad bonam mortem debemus, quia, vt dicit B. AVGVSTINVS, vnumquemque in quo inuenerit

suus

suus nouissimus dies cum hoc seculo egreditur, talis in die nouissimo iudicabitur. Qui autem voluerit bene mori, studeat bene viuere: *quia non potest male mori, qui bene vixit*, & vix bene moritur, qui male vixit. Ad bonam autem vitam requiritur continuum DEI adiutorium, quod sine intermissione per deuotas orationes postulare debemus. Assuescat ergo bonæ voluntatis laicus, quantum potest, vt semper orationem in ore habeat, dicendo hæc aut similia verba: *Miserere mei DEVS, sicut scis, & sicut vis.* aut: *Custodi me DOMINE, vt pupillam oculis.* Seu aliud, quod deuotio suggerit. Neque hic opus est aliqua subtilitate: nam cæteris paribus homo simplex & bonæ vitæ facilius inuenit puram orationem quam litteratus.

Idem I. de discip. Christ. ca. 2.

Orationes iaculatoriæ. Psal. 16. 8.

Scio quendam doctissimum virum dixisse: Ego acute de oratione & contemplatione scribo, & subtiliter disputo; sed, quando necessitas instat, tunc omnium illorum obliuiscor, & simpliciter inuoco Dominum DEVM, sicut vnus alius rusticulus. Ecce nobile verbum. Et S. THOMAS dicit, quod quietius in Christiana fide ambulat iustus laicus, quam subtilis Philosophus. Non se ergo excusent boni rustici, aut putent, quod prædicta sint eis impossibilia, sed aduertant, qualiter pro solatio vano in grauissimis laboribus iugiter solent homines cõfabulari, & etiã quandoque cantare. Si dènique hoc ita est quare non etiam possent similiter orationem saltem breuem, siue mentaliter, siue vocaliter proferre? Idem de cantu spiritualiter compunctiuo, quod etiam mendici facere solent, est sentiendum pro loco & tẽpore, *quia omnia DEVM diligentibus cooperantur in bonũ*, sicut contra

Rustico tã facile bene orare quã docto.

Ro. 8. 28.

contem

contemptoribus omnia in malum.

Oratio Dominica breuiter exponitur.

PORRO, quia oratio Dominica inter omnes alias primatum tenet, & est laicis magis familiaris, ideo hic pro complemento huius Opusculi eam cum quadam simplici expositione ponam. PATER NOSTER. Qui hoc dicit, debet duo aduertere, vt scilicet, studeat se exhibere bonum filium, quia tunc bene inueniet clementem Patrem: Sin autem, virgam sentiet. Qui dicit, *Noster*, debet omnem hominem fratrem recognoscere, aliàs dicere deberet: *Pater meus*. Omnes enim natura sumus filij vnius parentis ADAM, sed per gratiam sumus filij Dei, & ideo tam gratia, quam natura fratres: *Sanctificetur nomen tuum*. Hic auferetur superbia, quæ nobis est nimis infesta: quia quam cito aliquid gratiæ homo percipit, statim vult se magnificare. Sed meminisse debemus illud Apostoli. Quid habes, quod non accepisti? 2. Cor. 4. 7. ADVENIAT *regnum tuum*. Hic admonemur sursum corda habere, & tædere huius vitæ animam nostram, & sitire fontem illum æternę gloriæ. Qui hoc desiderio non ardet, doleat, pulset, oret. FIAT VOLVNTAS *tua*. Hic temperatur omne spirituale desiderium nostrum, quia nescimus, neque id quod petere debemus, neque tempus, neque horam, quando expedit nobis accipere, quod diu postulauimus. Fiat ergo voluntas tua Domine, quia optimus es, & sapientissimus longe vltra creaturam tuam. SICVT *in cœlo & in terra*. Hic innuitur, quod summa perfectio hominis est, quod sit conformis voluntatis diuinæ.

Perfectio summa hominis.

PANEN *nostrum quotidianum da nobis hodie*. Hic petitur omne necessariũ huius vitæ, tam spirituale, quam

quam corporale, sed magis spiritualia, quia etiam non petentibus Deus dat temporalia: sed spiritualia nulli, nisi desideranti, & si dederit temporalia, hoc iratus facit, non placatus. Regula est certissima, quod nunquam aliquis intrauit regnum cœlorum sine omni merito proprio, quia oportet, vt ad minimum quiuis homo consentiat motioni diuinæ. Dicitur etiam: *Hodie*, quia oportet sine intermissione orare, & nunquam deficere. Hoc exponens AVGVSTINVS dicit, non cessat orare, qui non cessat bene facere. & tota vita iusti oratio est. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hæc clausula expositione non indiget, nisi forte, quod hic loquitur de debito offensæ. *ET ne nos inducas in tentationem.* Hic non petitur, vt Christianus homo non sentiat tentationem, sed, vt non consentiat: non enim omnis qui videt carcerem, inducitur in carcerem; sicut non omnis qui vdet patibulum, suspenditur in patibulo, sed ille qui malum agit. Et sicut vtile est homini, vt huiusmodi pœnalia sæpius aspiciat, quatenus tali occasione à malo recedat, sic etiam salubre est homini, vt malas tentationes crebro sentiat, nec tamen consentiat, vt hac occasione tentationes vincere assuescat. Vnde dicit B. Augustinus: *non est maior tentatio, quam nulla tentatione pulsari.* Et B. Gregorius: *Eos pulsare hostis negligit, quos quiete iure se possidere sentit.* Sed quia sine diuino adiutorio vincere non possumus, ideo illud in prece Dominica postulare iubemur: *Sed libera nos à malo.* Istud etiam expositione non indiget: sed exhortandi sumus, vt quicquid post hanc orationem no-

Spiritualia Deus dat petẽti. Nullus adultus iustus sine merito veniet ad cœlum. Luc. 18.1. Au.ep.121.

Auguſt. in præf. Pſal. 144. Greg.l.33. mor.c.8.& l.24.ca.12.

bis euenerit, siue prosperum siue aduersum, totum de manu Domini gratanter suscipiamus. Amen: id est, vere: Ita est, vel ita fiat. Hæc conclusio est magnæ perfectionis, & totius laboris fructus, vt videlicet parui pendamus terrena, & cœlestia principaliter quęramus. Tendit ergo tota oratio ista Dominica perfectissima & dignissima ad hoc, vt inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia. Quod vobis ô venerabiles Rustici, pariter & nobis, potenti manu, concedat omnipotens & misericors DEVS, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat, per omnia secula benedictus, AMEN.

Epilogus. DE CÆTERO carissimi fratres & sorores in Domino confortamini, & hæc paucula, quæ scripsi vobis, cordis aure percipite, neque vobis sufficiat, si ea semel, aut bis legeritis, siue audieritis, sed velut animalia munda, quotidie ruminate, quæ spiritus DEI loquitur vobis per hunc qualemcunque libellum statui vestro dedicatum. Quod si aliqua fortasse occurrant, quæ primo intuitu non capitis, ne sit vobis graue, cum & hic mos semper apud tractatores sacrarum Scripturarum fuerit, vt potum cum panibus sitientibus animabus porrigere soleant, hoc est, facilia cum grauioribus. Maneat pietas, & reuelabitur veritas. Puto tamen, sicut noui industriam vestram, si volueritis pro medietate facere diligentiam talem ad excolendam terram cordis vestri, qualem facitis ad purgandam glebam agrorum vestrorum, vt fructum ferant, cito ex his in agnitionem voluntatis diuinæ ac spiritualis augmentum gratiæ proficietis.

CON

III. De liberi arbitrij proprietatibus. 226
IV. De liberi arbitrij actionibus theoremata. 229
V. Quod necessitas gratiæ in cooperatione liberi arbitrij nihil diminuat de eiusdem libertate. 235
VI. De cooperationis nostræ necessitate & vtilitate. 238

De Infantiæ statu.

CAP. I. Quid nomine infantiæ intelligamus. fol. 245
II. De præstantia status infantiæ. 246
III. De proprietatibus infantis ante baptismum. 249
IV. De proprietatibus infantium in lucem editorum. 256
V. De statu Infantum post mortem. 262

De Innocentiæ statu.

CAP. I. Quid nomine Innocentiæ intelligatur. fol. 269
II. De proprietatibus corporis humani in statu Innocentiæ. 272
III. De proprietatibus animæ humanæ cùm suis potentiis, intellectu & voluntate; & primò de intellectu. 282
IV. De proprietatibus animæ in eo statu quoad voluntatem. 285

De Iudicum statu.

CAP. I. Quid iudicum nomine, iudicij & iustitiæ, intelligatur. fol. 291
II. De dignitate status iudicum. 293
III. De officio vel proprietatibus iudicum. 297
IV. Quando iudices delinquant illegitima iudi-

cij vsurpatione.302.
V. Quando iudices teneantur sententiam ferre secundùm allegata & probata.305
De laicorum statu.
CAP. I. Quid voce laicorum intelligamus. f.310
II. De officio laicorum subditorum.311
III. De laicorũ subditorum proprietatibus.319

PARS II.

De laicis Magistratibus.

CAP. I. Quod inter laicos aliqui legitimè sint superiores vel magistratus.fol.327.
II. De officio Laicorum magistratuum.332
De statu matrimonij.
CAP. I. De nomine & definitione matrimonij.f.339
II. De dignitate matrimonij.341
III. De tribus bonis matrimonij.345
IV. De matrimonij proprietatibus.351
V. De matrimonij impedimentis.361
VI. De matrimonij incommodis.375
De Medicorum statu.
CAP. I. Quid nomine Medici & medicinæ intelligatur,& quot sint eius genera.fol.384.
II. De præstantia medicinæ.386
III. De necessitate & vtilitate medicinæ.390
IV. In morbis nõ esse figẽdã spẽ omnẽ in medicinis & medicorũ arte,se maximè in Deo.392
V. De officio medicorum.397
VI. De proprietatib.quibusdam medicorũ. 404
VII. De monitis quibusdam à medico seruandis ne facilè delinquat.406

De Militiæ ſtatu.

CAP. I. De vocabulo militiæ & belli. fol. 408.
II. Militarem ſtatum eſſe honeſtũ & licitũ. 409
III. Quæ conditiones honeſtam & licitã militiam reddant. 417
IV. De proprietatibus boni militis. 421

De Monachorum ſtatu.

CAP. I. Quid intelligatur nomine Monachi. f. 431
II. De dignitate ſtatus Monaſtices. 433
III. De virtutibus Monaſtici. 439
IV. De proprietatib. quibuſdã Monaſtices. 449
V. De Ritibus & Cæremoniis Monaſtices. 458
VI. De ſtatus Monaſtici fructibus. 469

De Morientium ſtatu.

Exempla. 475
Inſtitutiones ſanctiſſimæ Philippo primogenito filio, à ſancto Ludouico Rege ſub mortem propoſitæ. 502

De Naturæ ſtatu.

CAP. I. De nomine & definitione naturæ. fo. 505
II. De dignitate naturæ & rationis. 508
III. De naturæ, naturaliſq; legis proprietatib. 512

De Nobilitatis ſtatu.

CAP. I. Quid nomine nobilitatis intelligatur. f. 518
II. Veram nobilitatem non ex genere, ſed ex virtute petendam. 520
III. Veram nobilitatem etiam Philoſophi & Poëtæ Ethnici ex virtute morali petendam docuerunt. 529 (532
IV. Nobilitatẽ generis per ſe eſſe magnificiẽdã.
V. De Nobilium proprietatibus. 541

De Paupertatis voluntariæ ſtatu.

CAP. I. Quid nomine paupertatis voluntariæ

intelligatur.fol.550
II.De dignitate & pſtãtia huius paupertatis.552
III. De fructu voluntariæ paupertatis.556.
IV. De proprietatibus paupertatis. 566

De Peregrinorum ad loca ſacra ſtatu.

CAP.I. Quid nomine Peregrinationis intelligatur. fol.576
II.Peregrinationis huiuſmodi eſſe religioſas & imitandas. 579
III. De dignitate ſacrarũ peregrinationũ. 583
IV.De ꝓprietatib.vel ritib.peregrinationis.586
V. De fructu ſacræ peregrinationis.591.

De Proceſſionis ſacræ ſtatu.

CAP.I. Quid nomine proceſſionis ſacræ intelligatur. fol.599
II. S.Proceſſionis antiquitas & dignitas.602
III. Proceſſionum ſacrarum vtilitas.605
IV.Ritus aliquot,vel ꝓprietates ꝓceſſionis.608

De Pœnitentiam ſtatu.

CAP.I. Quid nomine pœnitẽtiũ intelligatur.614
II. De diſcrimine pœnitentiæ publicæ & ſolemnis. 615
III. De ritibus pœnitentiæ ſolemnis.617
IV. De nouo genere pœnitentiũ,id eſt, publicè ſe diuerberantium,& de voce diſciplinę.619
V. Licitam, & diuinis literis conſentaneam eſſe diuerberationem diſciplina factam, 621
VI. Exemplis variis eadem ſui diuerberatio illuſtratur. 624
VII.De multiplici fructu huius pœnitẽtię.633
VIII. De proprietatib.vel ritib.diſciplinæ.636

De Pontificis ſummi ſtatu.

CAP.I. De variis nominibus S. Pontificis.fol.641
II. De

CONTRIBVLIBVS quoque veſtris,& præcipue Paſtoribus parochialium Eccleſiarum,ſi deſiderent, ſecure communicate, quia ſunt principalium Doctorum ſententiæ, & quæ non vbique æque prompte habentur, aut inueniuntur. Feci enim hunc ipſum libellum per doctos & probatæ vitæ viros diligenter examinari, qui idipſum mecum teſtantur. In omnibus igitur glorificemus Dominum DEVM, à quo bona cuncta procedunt, qui ſacramenta benedictæ voluntatis ſuæ nobis etiam rudibus dignatus eſt aperire in his diebus nouiſſimis: quod vtique multis Regibus & Principibus, ac ſapientibus huius mundi non eſt datum. Gratias ergo cum prompta obedientia eidem agamus de die in diem, quatenus feliciter in nobis impleatur, quod B. Apoſtolus PAVLVS in epiſtola ad Corinthios prima ad conſolationem humilium loquitur perſonarum dicens: *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multos ſapientes ſecundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex DEO eſt, vt ſciamus, quæ à DEO donata ſunt nobis.*

Opuſculũ hoc approbatum eſt à doctis & piis viris.

1. Cor. 1. 26.

1. Cor. 2. 12.

STVDEAMVS etiam nos mutuo exhortari per ſingulos dies, & ad bona opera incitare, & à malis retrahere, quoniam nihil ſic DEO placet, & gratum eſt ſanctis angelis, qui nobiſcum ſemper conuerſantur, & cuſtodiunt nos. Hoc enim

Angeli nos ad bona opera prouocãt.

officium ipsorum est, vt iugiter nos ad bona prouocent, & quos trahere nequeunt, saltem à malis prohibeant. Nam multo plura reprobi mala facerent, si per beatos spiritus non impedirentur. Angelicum igitur officium quilibet pro modulo suo implere festinet, quatenus inter angelos connumerari mereatur. Reuera, si homo per mille annos laboraret, & aliud nihil faceret, quam vt proximum suum ad aliquod bonum prouocaret, aut ab aliquo peccato retraheret, nequaquam esset condigna comparatio tãti laboris ad hunc fructum tantillum, vt modo apparet. Ratio est, quia quæcunque fecerit homo in hac vita, siue bona, siue mala, mercedem recipiet in futuro perpetuam. Qui ergo alterum ad bonum incitat, infinitũ sibi præmium procurat. Et qui aliquem damnandum ab vno malo opere retrahit, ab aliqua æterna pœna licet non ab omni, eum præseruat, eo quod pro quolibet peccato certa pœna æternaliter mansura reprobis infligetur. Constat autem, quod finiti ad infinitum nulla est comparatio. Vnde patet, quod verum sit, quod iam dictum est, licet mirum videatur, ita & à contrario sensu ostendi potest, quam grande peccatum sit eius, qui aliquem ab vno saltem bono impedit, vel ad vnum peccatum trahit, quia non habet vnde illi tantum damnum refunderet, etiamsi totum orbem illi dare posset. Hæc vera sunt & vtilia hominibus, si cordialiter attendant, quamuis plures sint, qui huiusmodi salutis monita paruipendant, sed nouit Dominus, qui sunt eius.

Quantus laborum fructus.

Graue peccatum est aliquẽ à minimo bono opere retrahere.

ITERVM redeo ad monendos vos chariſſimos fratres & sorores, ac alios venerabiles rusticos

cos vniuersos vt non negligatis tempus vestrum. Ecce ego os vestrum sum & caro vestra, sine dolo, sine simulatione loquor vobis. Nihil horū cupio, quæ possideris, in sincera CHRISTI charitate moneo vos, & prout potui, desiderio vestro parui. Et sicut vobis obediui, ita & vos, non pro mea, sed vestra salute DEO obedire satagite, quatenus hic qualiscunque labor in vestra conuersatione fuerit, fructum inueniat salutarem. Pacem & veritatem diligite, & DEVS pacis erit vobiscum. Nemini facite, quod vobis fieri non vultis, & quod vobis fieri vultis, aliis pro posse libenter faciatis. Omnem superuacuam sollicitudinem abiicite, & in Domino sperate, quoniam ipsi est cura de vobis. Prælatos, siue spirituales, siue seculares tanquam Dei vicarios honorate: inuicem diligite, parentes reuereamini, filios & filias in Dei timore educate, à societate mala, sicut à peste, fugite, DOMINVM DEVM timete, & in præceptis eius ambulate, otium vitate, sacros labores adamate, sine intermissione orate, beatam Virginem MARIM, & sanctos DEI quotidie inuocate, & in cunctis bonis operibus vos exercete, ac in ipsis perseuerate, quatenus in hora mortis, quæ delicatis & otiosis hominibus pauenda est, vos lætum æternæ vitæ refrigerium inuenire mereamini, per gratiam DOMINI nostri IESV CHRISTI, cui vos commendo & verbo gratiæ eius, qui cum DEO Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per infinita secula, AMEN.

Auctor indicat se rusticis parētibus ortum.

MARIA Virgo quotidie inuocāda.

***

FINIS.

II. De excellentia Pontificij ſtatus. 645
III. Eadé excellentia oſtéditur ex priuilegiis S. Petri ex nouo Teſtamento collectis. 649
IV. Eadem excellentia oſtenditur ex prærogatiuis S. Petri extra ſcripturam notatis. 654
V. Eadem excellentia ſedis B. Petri oſtenditur teſtimoniis SS. Patrum. 657
VI. Petro ſucceſſiſſe nō ſolū in Epiſcopatu Eccleſiæ Romanæ, ſed etiam in primatu totius Eccleſiæ omnes Romanos Pontifices. 660
VII. De ſummi Pōtificis poteſtate, temporali & ſpirituali, & primò de ſpirituali. 666
VIII. Summum Pontificem poſſe condere leges obligantes in conſcientia. 671
IX. De poteſtate temporali ſummi Pōtificis. 673
X. De virtutibus, quæ ineſſe debent ſummo Pontifici. 676

De Prælatorum ſtatu.

CAP. I. Quid nomine Prælatorum intelligatur. fol. 687
II. De dignitate ſtatus Prælatorum. 690
III. De virtutibus Prælatorum. 693
IV. De officio Prælatorum. 700
V. De vitiis præcipuis Prælatorum. 709

De Puerorum ſtatu.

CAP. I. De Puerorum nomine, eorumque ſtatu non contemnendo. fol. 716
II. De puerorum proprietatibus. 718
III. De mediis informandę pueritiæ idoneis. 726

De Regum vel Principum ſecularium ſtatu.

CAP. I. Quid nomine Regū intelligatur. fol. 736
II. De Regum dignitate & excellentia. 738
III. De Regum virtutibus. 739

IV. De Regũ & Principũ ſæculariũ officio. 751
V. De mediis idoneis ad conſeruandum & confirmandum Regnum. 762

De ſtatu Sacerdotum.

CA.I. De Sacerdotis nomine & ſignificatione. f. 773
II. De dignitate Sacerdotum. 775
III. Eadẽ dignitas oſtẽditur ex Patrũ dictis. 780
IV. De virtutibus Sacerdotum. 784

De Senectutis ſtatu.

CA. I. Quid nomine ſenectutis intelligatur. f. 791
II. De ſenectutis dignitate & præſtantia. 793
III. De virtutibus ſenectutis. 799
IV. De commodis ſenectutis. 807
V. De ſenectutis vitiis & incommodis. 813
VI. De mediis perueniendi ad laudatam ſenectutem. 818
VII. Quouſque homines à condito orbe ætatem produxerint. 822

De Viduitatis ſtatu.

CAP. I. Quid nomine viduitatis intelligatur. f. 828
II. De præſtantia ſtatus vidualis. 830
III. Quãti fecerint ethinici caſtitatẽ vidualẽ. 833
IV. De vtilitate caſtitatis vidualis. 836
V. De proprietatibus viduitatis. 841

De Virginitatis ſtatu.

CAP. I. De nomine & definitione virginitatis. f. 854
II. De dignitate & præſtantia virginitatis. 856
III. De proprietatibus virtutis. Virginitatis. 861
IV. De virtutibus virgini neceſſariis. 867
V. De mediis ad tuendã virginitatẽ idoneis. 878

De vouentium ſtatu.

CAP. I. De definitione voti. fol. 883
II. De materia legitima voti. 886

III. De

III. De votorum dignitate & vtilitate. 889
IV. De votorum reddendorum neceſſitate. 893
V. De quibuſdam voti proprietatibus. 895

De regimine ruſticorum libellus.

Præfatio. fol. 900
CAP. I. Debet quilibet agricola fidelis primò Deum timere. 902
II. Quilibet fidelis agricola debet ſecundò firmiter credere, quod omnia opera ſua, quantumcunque minima ab omnipotente Deo copioſa mercede præmiabuntur in cœlis, ſi permanſerit in ſimplicitate & voluntate bona. 908
III. Quilibet fidelis agricola debet tertio officium ſuum honorare, tanquam à Deo inſtitutum, & hilariter exequi ea, quæ ad ipſum ſpectant. 916.
IV. Quilibet fidelis & timoratus ruſticus debet quartò humiliter dominis ſuis obedire. 925
V. Quilibet fidelis & timoratus ruſticus debet quintò, præcipuè clerum venerari, & ex corde diligere. 945.
VI. Quilibet timoratus ruſticus debet ſextò decimas & penſiones ac cætera debita fideliter ſoluere. 952
VII. Quilibet fidelis & timoratus ruſticus ſeptimò debet ſolẽnitates & ieiunia, ac cęteros ritus Eccleſiaſticos deuote obſeruare. 962
VIII. Quilibet fidelis & timoratus ruſticus octauò debet pauperibus, quantum facultas permittit, eleemoſynas elargiri. 968
IX. Quilibet fidelis & timoratus ruſticus debet nonò,

nonò, quantum in se est, cum omnibus hominibus, & præcipue cum vicinis, & cum contribulibus suis pacem seruare. 973

X. Quilibet fidelis & timoratus rusticus debet decimò sollicitè ad hoc niti, vt familiam suam laudabiliter regat. 978

XI. Quilibet fidelis & timoratus rusticus vndecimò debet ad hoc niti, vt non solum à maioribus peccatis abstineat, sed etiam caueat se ab omni occasione mali. 987

XII. Quilibet timoratus rusticus duodecimò debet, imo quilibet Christianus niti ad bonum nomen, & probam famam, apud proximos suos. 992

XIII. Quilibet fidelis & timoratus rusticus debet decimotertiò cauere à societate mala, & consortio potantium & iurantium, ac omnium, qui sine timore Dei viuunt. 996

XIV. Quilibet fidelis & timoratus rusticus debet decimoquartò sedulò discutere conscientiam suam, & crebro confiteri. 1000

XV. Quilibet fidelis & timoratus laicus decimoquintò debet, siue rusticus fuerit, siue alterius officij, imo quilibet Christianus sæpius meditari de præceptis Dei, & obseruatione eorum, & vt in recta fide ambulet. 1006

XVI. Quilibet fidelis & timoratus Christianus, cuiuscunque professionis fuerit, vel officij, decimosextò debet crebrò de morte cogitare, & breuitate huius vitæ, & bonis ac simplicibus verbis inuocare Dominum Deum, quatenus post præsentis vitæ labores ad æternam requiem ipsum perducat. 1021

ESTANTE 11
Tabla 7.ª
N.º 7

BVSÆVS
DE STATIBVS
HOMINVM

878